BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
32 N
23

SUMMA THEOLOGIÆ

AD USUM SCHOLÆ ACCOMODATA

TOMUS QUINTUS,

QUI DUOS COMPLECTITUR TRACTATUS:

I. De Actibus Humanis.

II. De Legibus.

AUCTORE

NICOLAO L' HERMINIER


Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore,
Insignis Ecclesiæ Cenomanensis Canonico Theologo,
Et in eadem Ecclesia Archidiacono de Passaio.

EDITIO PRIMA VENETA

Ad postremam Parisiensem

Ab innumeris mendis expurgata, ac Indicibus locupletiſſimis aucta.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



VENETIIS

MDCCLXI.

Typis Jo. Baptistæ Pasquali.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

Quid ſit Actus humanus & quotuplex.

ACtus humanus dicitur ille qui fit ab homine humano modo agente, id eſt, ex prævia ratione, ex mentis attentione & judicio; unde ab actu hominis vulgo ſecernitur: Actus enim hominis eſt actio quæ fit ab homine quovis modo agente, vel etiam citra quamlibet mentis attentionem. Actus humanus dicitur moralis, quia ſubjicitur regulis morum, adeoque pertinet ad mores.

Ex actibus humanis alii ſunt eliciti, alii imperati. Eliciti ſunt ii qui a voluntate ſola producuntur, eliciuntur, ut amor virtutis & odium peccati. Imperati dicuntur ii qui licet imperentur a voluntate, tamen ab aliis facultatibus exercentur, ut locutio, ambulatio.

Actus imperati, vel ſunt interni, vel externi. Interni qui exercentur a potentia exiſtente in organo interno, quales ſunt actus qui procedunt ab intellectu & appetitu ſenſitivo. Externi ſunt ii qui exercentur a potentia exiſtente in organo externo, qualis eſt locutio, vel ſcriptio.

Præterea actus humani ſunt duplicis generis, alii enim ſpectant finem, alii ſpectant media: Tres numerantur qui ſpectant finem, videlicet amor, intentio & fruitio: Tres itidem qui verſantur circa media, nempe conſenſus, electio & uſus: hæc diviſio eſt S. Thomæ 1. 2. q. 8. & ratione, vel ipſa uniuſcujuſque noſtrum experientia nititur.

Amor hic eſt actus voluntatis quo bonum aliquod diligit, in eoque ſibi complacet ſine ulla intentione inquirendi media quibus illud comparare poſſit; interdum enim placet voluntati objecti alicujus bonitas, de cujus tamen adeptione non cogitamus, ejuſcemodi eſt amor regiæ dignitatis in plebejo.

Intentio eſt actus voluntatis quo in finem contendit per media univerſim ſpectata, & quæcunque tandem illa ſint, quantumvis nondum definita ſint illa media, quod non fit niſi per electionem; unde recte definitur, amor, finis cum cogitatione mediorum conjunctus.

Fruitio eſt actus voluntatis in bono adepto & poſſeſſo conquieſcentis. Porro non eſt perfecta fruitio quæ non eſt Dei ipſius poſſeſſio; in eo enim tota perficitur virtus moralis, quod ſciat homo uti utendis nempe rebus creatis, & frui fruendis nempe Deo, qui ſolus eſt finis ultimus noſter, ut mox demonſtraturi ſumus. Et hi quidem ſunt actus voluntatis circa finem.

Conſenſus eſt actus voluntatis medium aliquod tanquam finis conſecutioni idoneum approbantis; medium porro dicitur quod inter intentionem & finis ipſius poſſeſſionem medio veluti loco poſitum eſt.

Electio eſt actus voluntatis unum medium præ alio aſſumentis; electio & conſenſus inter ſe differunt in eo quod poſſit eſſe conſenſus quo plurima probentur media ad finem adipiſcendum idonea, unum tamen duntaxat eligatur, unde medium placet voluntati

per conſenſum, alteri præfertur per electionem.

Uſus eſt actio voluntatis ſeipſam aliaſque ſibi ſubjectas facultates applicantis ad utendum mediis jam in ordine ad finem conſequendum aſſumptis; uſus & electio inter ſe differunt, electio enim fit perſæpe rei futuræ & longe ante uſum.

His tribus voluntatis actibus quæ ſpectant media, anteire dicitur deliberatio ſeu conſultatio, quæ ſcilicet eſt mediorum inquiſitio & ad quam actionem pertinet aliqua mediorum cum fine & eorumdem inter ſe collatio; an ejuſcemodi actio ſit intellectus an voluntatis, acrius diſputare animus non eſt nec otium; ad utramque facultatem ſatius dicetur pertinere: ad intellectum quidem quatenus illa media percipiuntur, ad voluntatem vero quatenus expenduntur.

Horum omnium actuum exiſtentiam, ſeriem & ordinem fatebitur & animadvertet, quisquis ſupra ſeipſum paulo attentius reflectere voluerit; ut primum enim objectum quoddam ut bonum ab intellectu proponitur voluntati, naſcitur illico in voluntate quidam amor, quædam complacentia: tum voluntas vehementius in illud bonum contendit, efficacius illud proſequitur, & eſt intentio: deinde inquirit media ad ejuſcemodi propoſitum finem conducentia, eaque inter ſe comparat vel cum ipſo fine, idque per deliberationem & conſultationem; hæc media quæ fini conſequendo videntur maxime idonea, approbat per conſenſum: ex iis vero quæ utiliora ſunt præ aliis aſſumit per electionem; tum poſtea facultates ſibi ſubditas adhibet ad illa media aſſumenda & applicanda, & eſt uſus: denique in adepto ſemel fine conquieſcit, & eſt fruitio; iſta conſtabunt in quovis exemplo.

Atque his velut jactis fundamentis, ut perfecte & cum ordine omnia pertractentur quæ ad actus humanos univerſim ſpectatos attinent, duo potiſſimum examinabuntur, videlicet principia actuum humanorum & illorum naturam ſeu regulas, ex quibus ſuam mutuantur bonitatem vel malitiam.

De principiis Actuum humanorum.

Principia actuum humanorum ea dicuntur omnia, quæ quovis modo concurrunt ad actus humanos efficiendos; eaque ſunt duplicis generis, ſcilicet externa & interna. Principia externa ea dicuntur quæ poſita ſunt extra hominem, ut finis; interna quæ ſunt in ipſo homine, ut facultates & habitus.

Principia interna ſunt duplicis generis, videlicet congenita & acquiſita. Congenita dicuntur ea quæ a natura ſunt in homine nec pendent a labore & induſtria, ejuſmodi ſunt intellectus & voluntas. Acquiſita dicuntur, quæ ſtudio, labore & vigiliis comparantur, quales ſunt habitus qui reſident in potentiis. De his omnibus actuum humanorum principiis agendum eſt; prius vero de externis quæ tria numerari ſolent, videlicet bonum, finis & beatitudo; ſiquidem actus omnis humanus fit propter aliquem finem, finis omnis eſt bonus, & ſi eſt ſimpliciter ultimus, eſt etiam ſummum bonum & beatitudo. Sed quoniam in iis quæ pertinent ad finem & bonum pertractandis, operam ſufficientem navare ſolent Philoſophi Morales, his prætermiſſis fuſius pro officio noſtro agimus de beatitudine.

De Beatitudine hominis.

Beatitudo ſatis intelligitur id quod nos reddit beatos, deſcribitur a Cicerone 3. Tuſcul. quæſt. *Bonorum omnium ſecretis malis omnibus cumulata complexio.* Idemque plane eſt ac felicitas

tas & ſummum bonum. Duplex diſtinguitur, nempe naturalis & ſupernaturalis: beatitudo naturalis eſt ea quæ ſolis naturæ viribus poteſt comparari, qualem admittebant Philoſophi Gentiles, & qualis etiam foret cognitio Dei ut autoris naturæ, in mente eorum qui ſtatum naturæ puræ poſſibilem eſſe arbitrantur; beatitudo ſupernaturalis eſt ea quæ ſine auxilio ſupernaturali comparari non poteſt, qualis eſt beatitudo Chriſtianorum pro altera vita, de qua quidem beatitudine nunc diſſerere ratio inſtituti poſtulat.

Hæc beatitudo ſupernaturalis alia eſt objectiva, alia eſt formalis: objectiva eſt objectum quod hominis appetitum ſatiare poteſt; formalis vero eſt actio per quam poſſidetur hocce ſummum bonum: de utraque agendum eſt.

De Beatitudine objectiva.

CUm experientia compertum haberent Piloſophi Gentiles nulla boni creati poſſeſſione expleri unquam poſſe appetitum humanum, innumeras variasque pro variis affectibus de objecto beatitudinis opiniones commenti ſunt: ſiquidem avari homines ſummum bonum in divitiis poſitum eſſe dixerunt, libidinoſi in voluptatibus corporeis, quidam in honoribus, alii in ſola virtute, *ridenda & miſeranda*, inquit S. Auguſtinus, *ſuperborum hominum felicitas*. De beatitudine naturali, qua donari poſſet homo hac in mortali vita, diſſerebant illi Philoſophi.

Nos vero contendimus & neminem in terris degentem poſſe ex omni parte eſſe beatum, & ſolum Deum eſſe perfectæ beatitudinis objectum; in hunc finem ſit

CONCLUSIO.

Solus Deus eſt objectum noſtræ beatitudinis. Siquidem objectum beatitudinis eſt ſummum bonum plene & perfecte ſatians appetitum hominis: atqui ſolus Deus plene & perfecte ſatiare poteſt appetitum hominis. Tunc enim plene & perfecte non ſatiatur appetitus hominis, cum ipſi aliquid amplius optandum ſupereſt: atqui ſolus Deus ita poteſt ſatiare appetitum hominis, ut ei nihil amplius optandum relinquatur; quocunque enim bono creato poſſeſſo appetitus ſeu voluntas hominis expetere poteſt bonum increatum: atqui ſolus Deus bonum omne, bonum infinitum, bonum increatum complectitur; ergo ſolus Deus plene & perfecte ſui poſſeſſione explere poteſt appetitum hominis; adeoque ſolus Deus eſt beatitudo objectiva hominis.

Quamobrem Deus in Scripturis paſſim dicitur beatitudo noſtra. Geneſ. 15. *Ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis.* ubi nomine mercedis intelligitur vita æterna & ſuprema beatitudo, ut explicare ſolent Interpretes. Pſal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* & Pſal. 72. *Quid enim mihi eſt in Cœlo; & a te quid volui ſuper terram? defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum ..... mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino meo ſpem meam.* Apocalyp. 21. *Qui vicerit, poſſidebit me, & ero illi Deus.* Quibus accedunt alia Scripturæ teſtimonia, quibus mox oſtendetur in viſione & amore Dei poſitam eſſe beatitudinem formalem. Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te Deum verum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* 1. Joan. 5. *Hic eſt verus Deus & vita æterna.*

Idemque docent SS. Patres quorum modo referemus teſtimonia, ut oſtendamus poſitam eſſe beatitudinem formalem in viſione intuitiva Dei; egregie vero inter cæteros Auguſt. lib. 12. de Civitate Dei cap. 1. *Dicimus itaque*, inquit, *incommutabile bonum non eſſe, niſi unum verum Deum, ea vero quæ fecit,*

ſecit, *bona quidem eſſe quod ab illo*, *verumtamen mutabilia*, *quod non de illo*, *ſed de nihilo facta ſunt* ..... *quod cum ita ſit huic naturæ quæ in tanta excellentia creata eſt*, *ut licet ipſa ſit mutabilis*, *inhærendo tamen incommutabili bono*, *id eſt ſummo Deo*, *beatitudinem conſequatur*, *nec expleat indigentiam ſuam*, *niſi utique beata ſit*, *eique explendæ non ſufficit niſi Deus*, *profecto non illi adhærere vitium eſt*. Paulo antea dixerat: *Non eſt creatura rationalis vel intellectualis bonum quo beata ſit niſi Deus*.

Rurſus vero id oſtenditur, quia vel ſolus Deus eſt beatitudo objectiva hominis, vel illa dici poteſt conſiſtere in aliquo bono creato: atqui nullum eſt bonum creatum quod dici poſſit beatitudo objectiva hominis: id enim caderet vel maxime in divitias & bona fortunæ, vel in voluptates corporeas, vel in dignitates & honores, vel in virtutem ipſam; vel denique in illorum omnium ſimul complexionem: ad hæc enim capita revocari poſſunt ſingulæ Philoſophorum Gentilium, etſi prope innumeræ, opiniones: atqui nemo rectus & ſapiens dixerit in aliquo ex iſtis præfatis bonis poſitam eſſe hominis beatitudinem.

Ac primo quidem non conſiſtit in divitiis & bonis fortunæ: ſiquidem objectum beatitudinis debet eſſe præſtantiſſimum quo nihil melius & majus deſiderari poſſit, aliter plene & perfecte non ſatiaret appetitum; præterea debet eſſe proprium bonis, non commune bonis & malis; conſtat enim malos nunquam poſſe felices eſſe; denique debet eſſe conſtans & non caducum, aliter enim homo non erit ab omni anxietate & ſollicitudine immunis: atqui opes & bona fortunæ non ſunt ejusmodi; ſunt enim divitiis alia bona longe meliora, ſcilicet bona ſpiritalia quæ ad animum non ad corpus pertinent; inſuper bonis & malis hominibus ſunt communia, quin potius a viris malis & facilius obtinentur & abundantius poſſidentur; ac demum fluxa ſunt & caduca, quandoquidem pendent ab incerta cauſa, ita ut nobis etiam invitis & ſine culpa amittantur; ergo non conſiſtit beatitudo objectiva hominis in opibus & bonis fortunæ.

Quamobrem id frequenter prædicant ſacræ Scripturæ. Proverb. 22. *Melius eſt bonum nomen quam divitiæ multæ*, *ſupra argentum & aurum gratia bona*. Eccleſiaſtici 31. *Beatus dives qui inventus eſt ſine macula*, *& qui poſt aurum non abiit*, *nec ſperavit in pecuniæ theſauris*. Matth. 5. & Lucæ 6. *Beati pauperes ſpiritu*, *quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum*. Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe*, *vade*, *vende quæ habes & da pauperibus*, *& ſequere me*.

Secundo, nec in voluptatibus corporeis & ſenſibilibus collocari poteſt hominis beatitudo; quia ſimiliter non ſunt bonum præſtantiſſimum, non ſpectant enim partem hominis nobiliſſimam, cum ei conveniant ſecundum partem ſenſitivam, quæ quidem rationali eſt longe inferior. Deinde vero voluptas corporis & ſenſuum communis eſt bonis & malis, quin potius convenit & animantibus brutis. Ac demum non eſt bonum conſtans & firmum, ſed facile turbatur & evaneſcit; pendet enim ab operationibus corporis, quod cum multis obnoxium ſit infirmitatibus perſæpe læditur; adeoque in voluptate corporis & ſenſuum non conſiſtit objectiva hominis beatitudo.

Quocirca id inculcant paſſim Scripturæ, quæ non modo invehuntur adverſus libidinoſos qui hac in mortali vita ſectantur corporeas voluptates, ſed & putidum profligant Cerinthi & Mahometanorum errorem, qui vitæ futuræ beatitudinem in voluptatibus tam cibi & potus quam veneris collocabant. Joan. 6. *Operamini non cibum qui perit*, *ſed qui permanet in vitam æternam*:

ſi au-

ſi autem iſte cibus periturus eſt, profecto non poterit in eo conſiſtere patriæ beatitudo, ſed in alio longe excellentiori. Matth. 22. ſic loquitur Chriſtus: *In reſurrectione nec nubent, nec nubentur, ſed erunt homines ſicut Angeli Dei.* Id eſt puri & liberi ab omni hujus vitæ carnali voluptate, ut & ipſi Angeli. Unde Apoſtolus ad Rom. 14. *Non eſt enim Regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto.* Ubi per Regnum Dei ſupremam intelligit beatitudinem, per eſcam vero & potum, carnales epulas & corporis delicias omnes. Quod idem docet 1. ad Corinth. 15. his verbis: *Caro & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt.* Ubi nomine ſanguinis & carnis intelligit carnis opera & delicias.

Tertio, non eſt poſita hominis beatitudo in honoribus & dignitatibus mundanis propter rationes ſuperius allatas; non ſunt enim bonum optimum & præſtantiſſimum, cum virtus ipſa ſit longe excellentior: honor quippe eſt ſolummodo virtutis & excellentiæ teſtimonium, honor non propter ſe expetitur, ſed propter virtutem. Deinde viris probis pariter ac improbis honores attribuuntur; quin potius viri magni & ſapientes perſæpe honores contemnunt, quos vident ſæpius delatos qualibet honoratione indignis. Sunt denique bonum quoddam maxime caducum & labile, honor enim non eſt in noſtra poteſtate, eſt in honorante, non in honorato, difficile acquiritur, facile amittitur, pendet enim ab hominum levitate & inconſtantia; igitur dici non poteſt ſummum hominis bonum, ſuprema beatitudo.

Quo fit ut hancce vanam hominum gloriam aperte reprobet Scriptura, Matth. 6. & Joan. 12. de hypocritis gloriam hominum quærentibus ſic loquitur Chriſtus: *Qui dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei;* & de Phariſæis, Joan. 5. *Quomodo poteſtis credere gloriam ab invicem expectantes & gloriam quæ a Deo eſt non quærentes.* Matth. 6. ait Chriſtus: *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis,* & cap. 16. verba faciens de iis qui vanam de ſuis operibus captant gloriam, ait: *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* Unde paſſim in iiſdem Scripturis poſita eſſe dicitur beatitudo in contumeliis & perſecutionibus. Matth. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum: beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſus vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælis.* Et in Epiſtola Jacobi cap. 5. *Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt.*

Quarto, nec in ipſa virtute conſiſtit beatitudo objectiva hominis; ſiquidem beatitudo objectiva eſt ſummum bonum propter ſe expetibile, in quo debemus conquieſcere tanquam fine ſimpliciter ultimo: atqui virtus, vel etiam chriſtiana non eſt ejusmodi; eſt enim expetibilis propter Deum, ad quem tendere debet homo & evehi per virtutum exercitationem: omnis enim habitus eſt propter actionem, & omnis actio debet eſſe propter Deum, cujus eſt finis & præmium; igitur beatitudo objectiva hominis poſita non eſt in ipſa virtute. His adde quod virtus moralis hominem non reddit a morbis, doloribus, egeſtate, cæteriſque vitæ miſeriis immunem, ut docet experientia: ſed hominem qui ſit ejusmodi miſeriis & calamitatibus obnoxius, beatum tamen eſſe ſolus ſibi perſuadebit Stoicus, cujus omnino ridenda eſt hac in parte animi vanitas & ſuperbia, ut egregie ſcribit S. Auguſtinus Epiſt. 155. c. 1. *O nimium ſuperba jactantia, ſi beata vita eſt in cruciatibus corporis, cur non in ea manet ſapiens ut fruatur? ſi autem*

tem miſera eſt, quid obſecro te, niſi typhus impedit, ne fateatur, ne oret Deum, ne juſto & miſericordi ſupplicet, qui potens eſt & vitæ hujus mala vel avertere vel mitigare, vel ad ea toleranda fortitudine armare, vel ab eis omni modo liberare, & poſt hæc vere beatam vitam dare, quo nullum malum admittatur, & ubi ſummum bonum nunquam amittatur.

Quinto denique nec in illorum omnium bonorum creatorum vel cumulatiſſima complexione poſita eſt hominis beatitudo propter rationes mox adductas; nec enim & illa omnia ſimul congregata hominis appetitum explere poſſunt; quod quidem expertus olim docebat nos Eccleſiaſtes, cum omnia bona creata vaniſſima eſſe toties pronuntiat, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*. Accedit quod illa omnia bona non ſint in noſtra poteſtate; difficile poſſint acquiri, facile vero vel nobis invitis amitti, cum fortunæ & levitati hominum ſubjaceant, non ſint bonum optimum & præſtantiſſimum, quibus nempe Deus longe melior & præſtantior, quo ſolo ſatiari queat appetitus hominis, quippe qui ſolus *replet in bonis deſiderium noſtrum, merces noſtra magna nimis*; igitur illa bona vel etiam cumulate in eodem homine collecta, non poſſunt æſtimari judicio viri prudentis objectum noſtræ beatitudinis. Unde ſupereſt ut in ſolo Deo omnem noſtram collocemus beatitudinem, ad eumque ſolum tanquam finem ſimpliciter ultimum tendamus.

Objicies: Illud non eſt objectiva hominis beatitudo, quod non poteſt ab homine poſſideri: atqui Deus non poteſt ab homine poſſideri, quia in Deum jus & dominium habere non poteſt homo; ergo.

Diſtinguo min. Deus non poteſt ab homine poſſideri poſſeſſione civili & juridica, C. poſſeſſione objectiva, quomodo objectum poſſidetur a facultate, N. Non eget iſta reſponſio majori explicatione, cum enim dicimus Deum poſſideri ab homine, id intelligimus de ea poſſeſſione, qua objectum poſſidetur ab aliqua facultate quæ ipſum attingit, quomodo Deus a creatura rationali poſſidetur, per cognitionem ſcilicet & amorem fruitivum.

Inſtabis: Ut Deus poſſideatur ab homine per cognitionem & amorem, inter facultates hominis & Deum debet eſſe aliqua proportio: atqui inter facultates hominis & Deum nulla omnino eſt proportio; ſiquidem inter objectum infinitum & facultatem finitam nulla eſt proportio, ut per ſe patet; ergo nequidem poſſeſſione objectiva Deus ab homine poſſideri poteſt.

Diſt. maj. Inter facultates hominis & Deum debet eſſe aliqua proportio habitudinis, C. proportio entitatis, ſubdiſtinguo; proportio generica & imperfecta, C. proportio perfecta & ſpecifica, N. Proportio idem eſt ac convenientia & ſimilitudo; unde verum eſt facultatem debere cum objecto habere aliquam proportionem, debent enim objectum & facultas convenire in aliquo communi attributo. Hæc proportio ſeu convenientia eſt entitatis, eſt enim penes aliqua attributa quæ ſunt in entitate tum objecti tum facultatis. Unde non parum hallucinantur omnes fere Theologi recentiores, quando iſti dudum in Scholis tritæ objectioni reſpondent; ajunt enim inter Deum & intellectum humanum non reperiri proportionem entitatis, quod manifeſte falſum eſt, Deus enim & intellectus humanus conveniunt in aliquo ſuæ entitatis attributo, puta in immaterialitate; quo fit ut dici debeat ſolum non reperiri Deum inter & intellectum humanum proportionem entitatis perfectam, quia non conveniunt in omnibus & ſingulis ſuis attributis.

Scilicet proportio entitatis duplex diſtinguitur, generica nimirum & ſpecifica:

fica: proportio entitatis generica ea eſt quæ in generica quadam ſimilitudine entitatis, id eſt quorumdam genericorum attributorum communione, poſita eſt; eſt v. gr. inter hominem & lapidem proportio generica, quia in nonnullis perfectionibus genericis conveniunt; proportio entitatis ſpecifica ea eſt quæ in perfecta ſimilitudine entitatis quoad omnes perfectiones vel etiam ſpecificas conſiſtit, qualis eſt proportio inter Petrum & Paulum qui ſunt ejusdem naturæ ſpecificæ. Revera inter facultatem & objectum debet eſſe proportio habitudinis, vel etiam debet eſſe proportio entitatis (ſiquidem proportio habitudinis fundatur in proportione entitatis eamque requirit) debet, inquam, eſſe proportio entitatis generica; non autem debet eſſe proportio entitatis ſpecifica; ſatis eſt enim quod in aliquo conveniant, ratione cujus ſe habere poſſint ut facultas & objectum.

Porro Deus & homo non habent quidem proportionem entitatis ſpecificam, habent vero proportionem genericam: utrinque enim ſubſtantiæ ſunt immateriales, quo fit ut Deus ex una parte ſit intelligibilis, homo vero quoad animam ſpiritalis quoque & immaterialis ſit intellectivus; quæ proportio & convenientia ſaltem generica & imperfecta ſufficit ad fundandam proportionem habitudinis, hoc eſt, potentiæ & objecti.

Inſtabis: Atqui non ſufficit proportio generica entitatis ad fundandam proportionem habitudinis, videlicet potentiæ & objecti. Siquidem ſi proportio generica entitatis ſufficeret ad fundandam proportionem habitudinis, inter lapidem & Deum videndum foret proportio habitudinis, eſt enim inter Deum & lapidem proportio generica; quandoquidem lapis eſt ens & ſubſtantia, ſicut Deus eſt ens & ſubſtantia: atqui ſine abſurditate dici non poteſt eſſe proportionem habitudinis Deum inter & lapidem: ergo non ſufficit proportio generica entitatis ad fundandam proportionem habitudinis.

Nego ſubſumptum. Ad probationem diſt. maj. Si proportio generica entitatis quæcunque vel etiam remota ſufficeret ad fundandam proportionem habitudinis, C. ſi proportio generica entitatis proxima tantum, N. Cum ergo dicimus proportionem genericam entitatis ſufficere ad fundandam proportionem habitudinis, id intelligimus non de qualicunque proportione generica entitatis; aliter quæcunque facultas poſſet attingere quodlibet objectum; inter duo enim, quæcunque ſint, reperitur ſaltem proportio generica entis; verum id intelligimus de certa quadam proportione entitatis non remotiſſima ſed proxima, & quæ ſit convenientia in attributo, vi cujus habeat facultas ut illud objectum attingere poſſit. Quamobrem quod lapis ſit ens & ſubſtantia, ſicut Deus eſt ens & ſubſtantia, cum ejusmodi proportio ſit nimis remota, non ſufficit ad fundandam proportionem habitudinis inter lapidem & Deum cognoſcendum; ſed cum homo quoad animam ſit ſpiritalis ut Deus ſpiritalis eſt, ejusmodi proportio entitatis generica ſufficit ad fundandam proportionem habitudinis inter Deum cognoſcendum & hominem; quia ſpiritalitas eſt attributum vi cujus homo eſt intellectivus, adeoque poteſt attingere Deum intelligibilem.

Inſtabis: Eſt inter oculum corporeum & Angelum proportio generica proxima, proportio quæ eſt potentiæ & objecti; oculus enim corporeus cognoſcitivus eſt, & Angelus eſt cognoſcibilis: atqui tamen id non ſufficit ad fundandam proportionem habitudinis oculum inter & Angelum; ergo non ſufficit proportio generica entitatis etiam proxima inter facultatem & obje-

ctum ad fundandam proportionem habitudinis.

Diſtinguo maj. Proportio generica maxima, talis quæ non ſit apta ad fundandam proportionem habitudinis, C. talis quæ ſit apta ad fundandam proportionem habitudinis, N. ſcilicet poſita etiam majori proportione entitatis inter oculum corporeum & Angelum, quam quæ ſit Deum inter & lapidem, tamen non ea reperitur quæ ſufficiat ad fundandam propotionem habitudinis; non eſt enim in oculo corporeo virtus cognoſcitiva ſpiritalis, qualis in intellectu creato reperitur, qui proinde Deum per cognitionem attingere poteſt.

Inſtabis: Non poteſt dici quid ſit illa proportio entitatis generica, quæ ſufficiat ad fundandam proportionem habitudinis inter facultatem & objectum: neque enim poſita eſt in eo quod facultas ſit corporea ſicut objectum eſt corporeum, quia per auditum percipi non poſſunt colores; neque in eo quod facultas ſit finita ſicut objectum eſt finitum, quia oculus corporeus non poteſt attingere Angelum; nec denique in eo quod facultas ſit cognoſcitiva ſicut objectum eſt cognoſcibile, quia viſus non poteſt percipere ſonum; ergo dici non poteſt quid ſit illa proportio entitatis ſufficiens ad dandam proportionem habitudinis; adeoque gratis & ſine fundamento affirmatur occurrere ejuſcemodi proportionem entitatis Deum inter & intellectum creatum.

Nego ant. & dico ejuſcemodi proportionem entitatis aliud nihil eſſe quam convenientiam & ſimilitudinem in certo quodam attributo, vi cujus facultas attingere poſſit objectum; atque adeo v. g. proportio quam dicimus intercedere Deum inter & hominem, poſita eſt in convenientia immaterialitatis, vi cujus habet homo quod ſit intellectivus, ſicut Deus eſt intelligibilis.

Inſtabis: Objectum infinitum attingi non poteſt niſi per actionem infinitam, actio enim ſpecificatur ab objecto: ſed intellectus hominis non eſt capax actionis infinitæ; ergo non poteſt attingere Deum infinitum.

Nego majorem: actio enim ſequitur conditionem agentis; juxta illud axioma receptiſſimum in Scholis, modus operandi ſequitur modum eſſendi; quapropter actione finita Deum cognoſcimus nunc in terris, ut nemo diffitetur. Quod vero dicitur actionem ſpecificari a termino, id intelligitur de ſpecificatione ſecundum quid ſpectata & quoad aliqua; ſiquidem actio quandam accipit ab objecto denominationem, non autem ſimpliciter & quoad omnia, quaſi actio debeat eſſe infinita, ſupernaturalis, ſancta, &c. quia verſatur circa objectum infinitum, ſupernaturale, ſanctum, &c. vel, ut aiunt, actio ſpecificatur ab objecto extrinſece, terminate, & ratione objecti, non autem intrinſece.

Objicies: Illud eſt objectiva beatitudo hominis quod illius appetitum ſatiare poteſt: atqui bonum creatum ſatiare poteſt appetitum hominis; nam appetitus creatus & finitus ſatiari poteſt bono creato & finito: atqui appetitus hominis creatus eſt & finitus; ergo,

Nego min. contrarium enim docet experientia. Ad probat. diſt. min. Appetitus hominis eſt finitus intrinſece & entitative, C. extrinſece & objective, N. Siquidem appetitus hominis & verſari poteſt circa objectum infinitum, & ad ejuſcemodi bonum infinitum, nempe Deum, ordinatus eſt in ipſa creatione; ut ex eo maxime liquet, quod nullius boni creati poſſeſſione expleri poſſit, ſed nova ſemper inquirat donec ad Deum pervenerit. Unde ait præclariſſime S. Auguſtinus Epiſt. 55. cap. 10. *Anima, inquit, ad ea quæ amant propterea nituntur, ut perveniendo requieſcant. Et multa quidem per corpus delectant, ſed non eſt in eis æterna requies, nec ſaltem diuturna, & propterea magis ſordidant animam, & aggravant potius,* *ut*

ut ſincerum ejus pondus, *quo in ſuperna fertur*, *impediat*. *Cum ergo anima ſeipſa delectatur nondum re incommutabili delectatur*, *& ideo adhuc ſuperba eſt*, *quia ſe pro ſummo habet*, *cum ſuperior ſit Deus*, & lib. 1. Confeſſ. cap. 1. hæc verba dirigit ad Deum: *Feciſti nos ad te*, *& inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te*.

Inſtabis: Facultas finita intrinſece eſt etiam finita extrinſece; nec enim habere poteſt capacitatem vel habitudinem infinitam; ergo.

Nego maj. Facultas enim dicitur infinita extrinſece, eo præciſe quod occupatur circa objectum infinitum; nil vero impedit quominus facultas finita intrinſece occupetur circa objectum infinitum. Quod autem aiunt facultatem finitam non habere habitudinem infinitam, id intelligitur eo ſenſu quod facultatis finitæ modus agendi eſſe non poſſit infinitus: non autem eo ſenſu quod attingere non poſſit objectum infinitum.

De Beatitudine formali.

OBſervandum eſt primo quæſtionem hic agitari ſolummodo de beatitudine patriæ quæ ſola vera eſt & perfecta beatitudo; certum eſt enim neminem hac in mortali vita poſſe omni ex parte eſſe beatum niſi in ſpe, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Spe ſalvi facti ſumus*. Ex quo teſtimonio Divus Thomas hanc ſolum beatitudinem in hanc vita agnovit, 1. p. q. 69. art. 1. Unde cum in ſcripturis qui juſte vivunt, ſimpliciter vocantur beati; Pſal. 1. *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum*. Pſal. 118. *Beati immaculati in via*, & Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*, &c. ejuſmodi loca explicari debent in ſenſu caſuali, quaſi nempe bona illa opera ſint cauſa futuræ beatitudinis, ut ſatis aperte indicant iſta Chriſti verba Matth. 5. *Beati mundo corde*, *quoniam ipſi Deum videbunt*.

Nec moror quod & a nonnullis SS. Patribus, & a multis Theologis juſti hac in vita degentes abſolute & ſimpliciter dicantur beati; id enim ſolum intelligitur de beatitudine quadam inchoata & imperfecta, quia nimirum ſpe futuræ beatitudinis erecti pacate & tranquille vivunt, ut aiebat S Auguſtinus lib. 11. de Civit. Dei cap. 12. *Cum hodie*, inquit, *non imprudenter beatos vocemus*, *quos videmus juſte & pie cum ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere ſine crimine*.

Supponendum eſt ſecundo beatitudinem formalem poſitam eſſe in aliqua operatione; id conſtat, 1. ex ipſis Philoſophis, Ariſtoteles enim ubique beatitudinem hominis poſuit in operatione; 2. ex ſacris Scripturis & SS. Patribus, qui quidem, ut mox oſtendetur, ubi de beatitudine patriæ verba faciunt, eam collocant vel in viſione Dei, vel in amore, vel in delectatione & gaudio; 3. demum, quia beatitudo formalis eſt apprehenſio, aſſecutio, & poſſeſſio ſummi boni, quod eſt beatitudo objectiva; ſed ſummum bonum non videtur aliter apprehendi & poſſideri quam per operationem: quo fit ut res inſenſibiles & inanimatæ quæ non ſunt operationis capaces, non cenſeantur apprehendere, poſſidere & frui.

Quæritur in qua operatione poſita ſit beatitudo formalis qua Deum poſſidebit homo in altera vita; ſunt autem ſuper ea re variæ Theologorum opiniones.

Prima eſt Hugonis a S. Victore qui tom. 3. de ſapientia animæ Chriſti, ait animas Sanctorum eſſe beatas formaliter per actionem increatam, quippe quæ ipſa Dei increata cognitione Deum cognoſcunt, ſic enim de Deo loquitur: *Ipſe eſt ſapientia qua cognoſcimus*, *ipſe amor quo diligimus*, *ipſe gaudium quo exultamus*. Hoc commentum jam confutavimus in Tractatu noſtro de Incarnatione Verbi divini, quoad expreſſe affirmat iſte Theologus animam Chri-

ſti non eſſe ſapientem, niſi ſapientia divina & increata. Eſt etiam hæc ſententia cujuſdam Joannis de Ripa, qui beatos cenſuit non alia viſione Deum videre quam viſione qua Deus ſeipſum videt, communicata nempe & unita intellectui cujuſcunque beati, quam opinionem Pariſiis fuiſſe publice propugnatam teſtatur Gregorius in 2. d. 7. q. 2.

Secunda opinio tribuitur Henrico Gandavenſi, qui affirmare videtur beatitudinem hominis conſiſtere in quodam Dei illapſu in eſſentiam animæ beatæ, eo fere modo quo ignis illabitur in ſubſtantiam ferri candentis; an revera ejusmodi illapſum exiſtimaverit Henricus eſſe beatitudinem formalem, vel ſolum objectivam, fuſius examinare non vacat.

Tertia eſt eorum, qui beatitudinem formalem in aliqua operatione animæ reponunt, iterum variæ ſunt & diverſæ. Volunt enim Thomiſtæ eam poſitam eſſe in ſolo actu intellectus, viſione ſcilicet eſſentiæ divinæ; ita ut amor fruitivus Dei ſit duntaxat illius proprietas ab ea inſeparabilis. E contra vero docent Scotiſtæ beatitudinem formalem conſiſtere in ſolo actu amoris, quo diligitur Deus propter ſe; ita ut nonniſi præſuppoſitive ſe habeat viſio. Cæteri demum Theologi cenſent in utroque actu cognitionis ſimul & amoris fruitivi poſitam eſſe beatitudinem, quam quidem ſententiam nos amplectimur.

Prima Conclusio.

Beatitudo formalis non eſt poſita in actione increata. Siquidem beatitudo formalis eſt aſſecutio ſeu poſſeſſio objecti beatifici, videlicet Dei: ſed poſſeſſio Dei, hoc eſt, actio per quam poſſidetur Deus a beato non eſt increata, non eſt actio ipſius Dei, quia univerſim loquendo, ut aliquis attingat objectum, debet id efficere per actum ſibi proprium quo poſſit denominari formaliter agens, formaliter poſſidens: ſed actus increatus, quo Deus videt ſeipſum, non eſt ulla ratione proprius ipſius hominis beati, per illum beatus non poteſt denominari nec reddi formaliter agens, formaliter poſſidens Deum; actus enim proprius alicujus agentis effective ab eo elici debet, cognitio eſt a cognoſcente, amor ab amante, ut per ſe patet; ergo beati non poſſunt dici videre Deum per viſionem increatam. Quemadmodum enim homo hac in mortali vita non eſt juſtus formaliter per juſtitiam Chriſti, ſed per juſtitiam propriam ſibi inhærentem, ut diximus in Tractatu de Juſtificatione, & oſtendimus autoritate Concilii Tridentini; ita ſimiliter ſine abſurditate dici non poteſt juſtos in altera vita formaliter eſſe beatos per actionem divinam & increatam.

His accedit quod ejuſcemodi opinio, ut ab omni ratione aliena eſt, ita manifeſte adverſatur ſacris litteris quæ teſtantur homines eatenus eſſe beatos, quatenus Deum intuitive vident, Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Sed qui Deum videt, profecto videt per viſionem a ſe productam, videre in creatura rationali eſt producere intellectionem. Deinde idipſum aperte ſupponit Concilium Viennenſe, cum definit in Clementina, Ad noſtrum, *Beatum non poſſe videre Deum, niſi ipſius intellectus lumine gloriæ roboretur*. Si enim viſione increata beati viderent Deum, fruſtra neceſſarium eſſe diceretur lumen gloriæ. Quod enim dicunt nonnulli lumen gloriæ non requiri, ut intellectus viſionem intuitivam Dei eliciat, ſed ut ſupernaturaliter evehatur ad ordinem divinum, quo fiat capax ut divina eſſentia illi uniatur per modum ſpeciei intelligibilis, plane frivolum eſt, & doctrinæ Concilii Viennenſis mox laudati manifeſte contrarium.

At, inquies, beatitudo formalis hominis eſt ejus unio cum Deo: ſed ejuſmodi unio recte intelligitur ſine ulla operatione ex parte hominis per ſolam Dei præſentiam; ergo.

Diſtin-

Diſtinguo maj. Unio vitalis quæ fit per cognitionem Dei & amorem, C. unio localis quæ fit per ſolam ſubſtantiæ præſentiam, N. ut enim diximus, beatitudo eſſentialiter poſita eſt in aliqua operatione, eſt actus animi ratione utentis, inquit Ariſtoteles; quo fit ut in dormientibus, amentibus & infantibus nulla plane ſit beatitudo. Quamobrem Deus intime quidem unitur cum anima & intellectu hominis beati, unione quadam generali ſecundum eſſentiam vel immenſitatem, qua intime præſens eſt rebus omnibus; ſed eo præciſe homo non redditur beatus; requiritur præterea unio quæ fiat per operationem, videlicet per cognitionem & amorem fruitivum.

Secunda Conclusio.

Beatitudo formalis non conſiſtit in ſpeciali quodam illapſu Dei in animam beati. Siquidem id intelligit Henricus Gandavenſis, quem hic impugnamus, de fictitio quodam & commentitio illapſu: Et ratio eſt quia non loquitur de illapſu qui Deo convenit ratione ſuæ immenſitatis; ex ea enim habet ut ſecundum ſuam ſubſtantiam in eodem loco præſens ſit cuicunque creaturæ, malis ſicut & bonis; per quem proinde illabendi modum creaturam non efficit formaliter beatam. Secundo non loquitur Henricus de illapſu qui fiat mediante aliquo effectu producto in anima beati; quia ejuſcemodi illapſus eſt quidem poſſibilis, ſed in eo poſita non eſt beatitudo formalis; per id enim beatus non eſt formaliter beatus per quod non eſt formaliter agens, beatitudo enim formalis, ut ſupra oſtenſum eſt, poſita eſt in actione, beatitudo formalis eſt fruitio, eſt poſſeſſio per modum actus ex parte poſſidentis: atqui beatus non eſt formaliter agens per effectum a Deo productum; niſi ejuſmodi effectus Dei intelligatur eſſe cognitio & amor fruitivus beatorum ad quem concurrit Deus, quod profecto non ſenſit Henricus, qui fictitium ſuum illapſum diſtinguit ab operatione intellectus & voluntatis beatorum; unde ſupereſt, ut talem illapſum fieri dicat per divinam eſſentiam quæ ſe ipſa immediate & formaliter beatam reddat animam, quod quidem ſine abſurditate dici non poteſt; eſſentia enim divina non eſt forma per quam aliquid creatum tale ſit formaliter; igitur beatitudo formalis non conſiſtit in ſpeciali quodam illapſu Dei in animam beati.

Dices: non modo ad eſſentiam beatitudinis attinet, ut facultates animæ Deum poſſideant per ſuas operationes, quod quidem fit per viſionem intuitivam & amorem fruitivum, ſed & Deo ipſo tota impleri debet animæ ſubſtantia: atqui per ſolum divinitatis illapſum in animam, tota impletur beatorum anima, quo ſcilicet divinæ fiunt conſortes naturæ; ergo beatitudo formalis conſiſtit in quodam illapſu divinitatis beatorum.

Nego maj. Sufficit enim ad eſſentiam beatitudinis utraque operatio intellectus & voluntatis viſio intuitiva & amor fruitivus; hinc enim ex una parte Deus plene & perfecte poſſidetur ab homine, quo plane modo poſſideri poteſt poſſeſſione ſcilicet vitali & objectiva; ſiquidem poſſidetur quatenus ſumme verus per operationem intellectus, & poſſidetur quatenus ſumme bonus per operationem voluntatis. Hinc vero ex altera parte omnis hominum ſiſtitur motus, omnis appetitus; eſt quippe duplex tantum appetitus hominis pro duplici facultate, unus nimirum qui tendit ad cognitionem veri, alter ad amorem boni. Quid præterea requiratur ad eſſentiam beatitudinis, & quid ſit præfatus divinitatis illapſus in ipſius animæ ſubſtantiam, quæ ſupponitur Deum videre intuitive & diligere amore fruitivo, ego quidem plane non video.

Tertia Conclusio.

Beatitudo formalis eſſentialiter poſita eſt in viſione Dei intuitiva ſimul & in amore fruitivo.

Probatur 1. ex Scripturis quæ beatitudinem modo reponunt in cognitione, modo in amore & gaudio. In cognitione quidem Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, quaſi dicat, ideo beati, quia videbunt Deum. Joan. 14. *Si quis diligit me, manifeſtabo ei me ipſum*, quæ verba de beatitudine patriæ intelliguntur; hæc enim tanquam præmium diligenti promittitur. Cap. 17. *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam quam dediſti mihi*, quibus verbis Chriſtus Dominus apprecatur ſuis Electis beatitudinem patriæ, ut nempe videant claritatem ſuam, hoc eſt, divinitatem; mitto alia verba ejusdem capitis: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum*: quæ a multis Patribus explicantur de cognitione viæ per fidem, quanquam & ab aliis interdum de beatitudine patriæ intelligantur, ut videre eſt apud S. Auguſtinum Tractat. 3. in Joan. Idem vero aperte declarat S. Paulus 1. Corint. capit. 13. his verbis: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, & rurſus: *Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*: ubi Apoſtolus beatitudinem patriæ diſtinguit a beatitudine viæ penes cognitionem claram & obſcuram. Item 2. ad Corinth. 5. *Dum ſumus*, inquit, *in corpore peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus & non per ſpeciem*: id eſt, per claram Dei viſionem & manifeſtationem, ut & habetur 1. Joan. 3. *Nunc ſumus filii Dei, ſed nondum apparuit quod erimus, cum autem apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*: ubi promittitur viſio Dei tanquam præmium, merces & beatitudo. Idem vero paſſim affirmatur in Scripturis de amore fruitivo ſeu gaudio. Pſalm. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Pſalmo 35. *De torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: ubi nempe uterque commemoratur actus. Matth. 25. *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*. Joan. 16. *Gaudium noſtrum nemo tollet a nobis*. Ad Rom. 14. *Regnum Dei juſtitia, pax & gaudium*.

Probatur 2. ex SS. Patribus, qui ſimiliter in viſione Dei intuitiva ejuſque amore fruitivo noſtram beatitudinem uno ore collocant. Ita quidem S. Irenæus lib. 4. cap. 37. *Potens eſt enim*, inquit, *in omnibus Deus, viſus quidem tunc per ſpiritum Prophetiæ, viſus eſt autem & per Filium adoptive, videbitur autem & in Regno Cœlorum paternaliter, Spiritu quidem præparante hominem in Filium Dei, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptelam donante in æternam vitam, quæ unicuique evenit ex eo quod videat Deum*.

Idem & clarius docet S. Gregorius Nazianz. Orat. 15. p. 230. ubi loquens de ſtatu Juſtorum in altera vita: *Atque illos quidem*, inquit, *lux omni ſermone præſtantior excipiet, & ſanctæ regiæque Trinitatis purius jam & clarius illuminantis, totamque ſe cum tota mente miſcentis contemplatio (in qua ego vel ſola Regnum Cœlorum maxima ex parte poſitum eſſe cenſeo) hos autem, &c.* & Orat. 10. has preces coram Deo fundit: *Utinam ad ipſum fontem poſtea perveniamus, pura mente, puram veritatem intuentes, atque hanc laboris in virtutis ſtudio exhauſti mercedem inveniamus, ut perfectius illic ſummi boni conſortio & contemplatione fruamur*.

Accedit S. Baſilius qui manifeſte ſupponit poſitam eſſe beatitudinem in viſione Dei, lib. de Spiritu ſancto c. 16. ubi

ubi probat Spiritum ſanctum in rerum omnium diſpenſatione nuſquam ſeparari a Patre & Filio: *Throni vero & Dominationes*, inquit, *Principatus & Poteſtates, quomodo beatam traducerent vitam, niſi ſemper viderent vultum Patris qui in Cœlis eſt? At viſio non eſt abſque Spiritu.*

S. Ambroſius lib. 2. de Officiis Miniſtrorum cap. 2. *Itaque Philoſophi*, inquit, *vitam beatam alii in non dolendo poſuerunt; ut Hieronymus: alii in rerum ſcientia, ut Herillus ..... Scriptura autem divina vitam æternam in cognitione poſuit divinitatis & fructu bonæ operationis*, & libro de Iſaac cap. 8. *De quo Propheta ait (Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.) Hoc ſolum videre deſideravit, ſicut ipſe alibi ait: (Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, & videam delectationem Domini & conſiderem Templum ejus.) Si quis igitur purum illud & incorporeum ſummum illud videre meruerit, quid habeat aliud quod deſideret? Denique Petrus in monte gloriam reſurrectionis Chriſti vidit & nolebat deſcendere, dicens (Domine, bonum eſt nos hic eſſe.) Et quanto incomparabilior eſt illa divinitatis gloria & lux inacceſſibilis, quam ſi quis viderit, quid aliud concupiſcat? non regna, non facultates, honores, gloriam, poteſtates.*

Et longe expreſſius, ſi fieri poteſt, S. Auguſtinus Tractatu 3. in Joann. *Nobis quid promittitur?* inquit, *vita æterna. Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te unum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum; cognitio Dei promittitur, ipſa eſt gratia pro gratia. Fratres, modo credimus, non videmus; pro iſta fide præmium erit, videre quod credimus.* Lib. de ſpiritu & littera cap. 33. *Jam vero*, inquit, *cum ſiniſtri ierint in combuſtionem æternam. Quia (Hæc eſt, inquit, vita æterna, ut cognoſcant te unum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum) illa cognitione, illa viſione, illa contemplatione ſatiabitur in bonis animæ deſiderium. Hoc enim ſolum bonum ei ſat eſt, ultra non habet quod appetat, quod inhiet, quod requirat*, quod idem fuſe admodum docet lib. 1. de Trinitate.

Idem porro S. Doctor aliis in locis indiſcriminatim beatitudinem reponit in gaudio, ſic lib. 10. Confeſs. cap. 23. *Beata quippe vita eſt*, inquit, *gaudium de veritate. Hoc eſt enim gaudium de te qui veritas es, Deus illuminatio mea, ſalus faciei meæ, Deus meus. Hanc vitam beatam omnes volunt, hanc vitam quæ ſola beata eſt omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt*, & lib. 1. de doctrina Chriſti cap. 38. *Sed*, inquit, *fidei ſuccedit ſpecies quam videbimus, & ſpei ſuccedit beatitudo ipſa, ad quam perventuri ſumus: charitas autem etiam iſtis decedentibus augebitur potius. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus? Et ſi ſperando diligimus, quo nondum pervenimus, quanto magis cum pervenerimus?*

Demum & hæc fuit ſententia S. Bernardi, ſic enim habet ſermone 4. in ſolemnitate omnium Sanctorum: *Tripliciter enim, Fratres*, inquit, *in æterna illa & perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipſis, & quod his omnibus ineffabiliter jucundius ſit atque beatius, ipſam quoque cognoſcentes in ſemetipſa Trinitatem & gloriam illam ſine ullo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes*, & Serm. 5. in vigilia Nativitatis Domini: *Sanctificamini hodie*, inquit, *& eſtote parati, craſtina die videbitis Deum & gaudebitis, & gaudium veſtrum implebitur. Quid enim majeſtas illa non impleat? etiam ſuper implebit & ſupereffluet, quanquam menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in*

ſinus

ſinus veſtros. Cui ſententiæ aſtipulati ſunt Theologi veteres pene ſinguli.

Favet Conſtitutio Benedicti XII. qua definivit animas Sanctorum ante diem judicii videre Deum & eo frui: *Nec non definimus*, inquit, *quod ex tali viſione, & fruitione eorum animæ ſunt vere beatæ*. Cui affine eſt quod paulo antea pronuntiaverat Concilium Viennenſe, cum Beguardos damnavit qui affirmabant animam non indigere lumine gloriæ ad videdum Deum, ſcribit enim in Clement. Ad noſtrum, *anima indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, eoque beate perfruendum*. Quaſi manifeſte ſupponatur poſitam eſſe beatitudinem in utraque illa operatione.

Id vero rurſus probatur ratione. Scilicet beatitudo formalis eſt actio poſſeſſiva Dei, qui ſolus eſt beatitudo objectiva, ut oſtendimus: atqui viſio intuitiva & amor fruitivus ſunt actiones poſſeſſivæ Dei, quia per illas actiones poſſidemus Deum, poſſeſſione ſcilicet vitali, ut diximus, per quas Deo intime conjungimur & jucunde adhæreſcimus: atqui congnitio & amor Dei ſunt actiones quibus Deo intime conjungimur & jucunde adhæreſcimus, per cognitionem quidem Deo tanquam ſummo vero intime conjungimur; per amorem vero Deo tanquam ſummo bono adhæreſcimus; ergo beatitudo formalis conſiſtit in cognitione ſimul & amore Dei.

Et certe illæ actiones ad eſſentiam beatitudinis pertinent, ſine quibus nec eſſe, nec concipi poteſt beatitudo formalis: atqui ſine viſione intuitiva & amore Dei fruitivo nec eſſe nec concipi poteſt beatitudo formalis; & quidem ſine viſione intuitiva, is enim beatus non eſt qui non videt quod amat; neque etiam ſine amore, cum nemo etiam beatus ſit qui non amat quod videt, quando eſt ſumme bonum & amabile.

Præterea in ea operatione conſiſtit beatitudo formalis, quæ omnem ſiſtit hominis motum, omnem appetitum, ita ut nihil amplius deſiderare poſſit; aliter non eſſet ex omni parte beatus; ſed ejuſcemodi ſunt viſio intuitiva & amor Dei fruitivus; cum enim in agente rationali duplex ſit facultas, intellectus videlicet & voluntas; dulex eſt etiam appetitus, quorum alter tendit ad ſummum verum, alter ad ſummum bonum; unde fit ut plene & perfecte ſatiari non poſſit anima rationalis, ſicut nec Angelus, niſi per cognitionem ſimul & amorem; proindeque illæ ambæ operationes ad eſſentiam beatitudinis formalis pertinent.

Objicies cum Scotiſtis beatitudinem formalem non conſiſtere in cognitione Dei. In ea quippe operatione non conſiſtit beatitudo formalis, quæ non eſt poſſeſſiva ſummi boni: atqui viſio Dei intuitiva non eſt poſſeſſiva ſummi boni, non enim habet pro objecto ſummum bonum, quod eſt ſolummodo objectum voluntatis per amorem; ergo.

Diſt. min. Non eſt poſſeſſiva ſummi boni, quatenus amandum eſt, C. quatenus cognoſcendum, N. itaque cognitio ſeu operatio intellectus non verſatur quidem circa ſummum bonum quatenus amandum, ſed verſatur circa ipſum quatenus cognoſcendum, ambæ enim facultates, videlicet, intellectus & voluntas, per ſuam propriam agendi rationem verſantur circa idem objectum; unde fit ut per utriuſque operationem poſſideatur Deus qui ſolus eſt ſummum bonum.

Inſtabis: Beatitudo formalis nihil aliud eſt quam fruitio objecti beatifici: atqui fruitio pertinet ad voluntatem, neutiquam verò ad intellectum: ergo.

Diſt. min. Fruitio pertinet ad voluntatem, non ad intellectum, ſi fruitio ſumatur ſtricte, C. ſi ſumatur latius & minus proprie, N. Fruitio ſtricte ſumpta eſt amor complacentiæ in bono poſſeſſo: fruitio vero latius ſpectata eſt quævis adhæſio facultatis objecto proprio per actionem ſibi propriam; quo ſenſu auris dicitur frui concentibus muſicis, oculus

colo-

coloribus. Revera ad ſolam voluntatem pertinet fruitio ſtricte ſumpta, utpote quæ ſit amor complacentiæ in objecto poſſeſſo, verum ad aliam quamlibet facultatem pertinet fruitio latius ſpectata; quælibet enim ſuum proprium attingit objectum per propriam operationem, adeoque Deo etiam fruitur intellectus per cognitionem.

Inſtabis: Beatitudo formalis eſt merces & præmium virtutis: atqui merces ad ſolam pertinet voluntatem: ſolius eſt enim voluntatis mereri mercedem; ergo.

Nego min. Namque merces proprie loquendo ad aliquam facultatem non pertinet, ſed ad perſonam; hominis voluntas proprie non dicitur mereri, ſed homo per voluntatem; unde homo qui per actiones intellectus & voluntatis meruit in hac vita, in actionibus quoque intellectus & voluntatis, viſione ſcilicet & amore coronabitur.

Objicies cum Thomiſtis beatitudinem formalem conſiſtere in ſola cognitione Dei. Id enim aperte legitur in Scripturis ſacris, quæ in ſola viſione Dei beatitudinem reponunt, Joan. 14. Chriſto dixit Philippus Apoſtolus, *Oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis*. & c. 17. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant Deum verum*. ergo.

Nego ant. Ex illis enim & ſimilibus Scripturæ teſtimoniis nihil omnino colligitur; ſiquidem & nonnunquam ſolius amoris & ſolius gaudii mentionem faciunt iidem ſacri Codices, ut conſtat ex locis ſuperius adductis, quæ profecto dicta non ſunt cum excluſione viſionis intuitivæ; quin potius ex illis ſimul collectis inferri debet poſitam eſſe beatudinem in utraque operatione, videlicet in viſione intuitiva Dei, ejuſque amore fruitivo, quo plane modo judicandum eſt de mente & doctrina ſanctorum Patrum.

Inſtabis: In eo ſolum poſita eſt beatitudo formalis, quod eſt quid primum in ea: atqui ſola cognitio eſt quid primum in beatitudine, cognitio enim eſt prior amore, amor ex cognitione proficiſcitur, quia prius debemus objectum cognoſcere quam amare; ergo.

Diſting. maj. Quod eſt quid primum ut tota eſſentia rei, C. ut pars eſſentiæ tantum, N. ſcilicet eſſentia rei cum ſit compoſita ex multis partibus ſeu phyſicis, ſeu metaphyſicis, una ſemper eſt altera prior aliquo prioritatis genere: quemadmodum genus eſt prius differentia ſecundum eſſendi conſecutionem, quia eſt pars communior, quod ſane non impedit quominus differentia ſit pars eſſentiæ vere pertinens ad rei eſſentiam. Quamobrem cum eſſentia dicitur quid primum in re, id intelligitur de tota eſſentia reſpectu propietatum. Unde licet aliquo ſenſu cognitio prior ſit amore, amor tamen eſt pars ad eſſentiam beatitudinis pertinens, quia non fluit amor a cognitione ut proprietas ab eſſentia.

Inſtabis: In illa operatione conſiſtit beatitudo formalis quæ reddit objectum præſens: atqui amor non reddit objectum præſens, amantur enim abſentes; ergo in amore poſita non eſt beatitudo formalis.

Nego maj. quia beatitudo formalis non reddit objectum præſens, ſed ſupponit; eſt enim poſſeſſio fruitiva objecti præſentis; unde cum Deus beatis exhibeat ſe præſentem, eatenus illi beati ſunt quatenus Deo fruuntur per viſionem & amorem.

Inſtabis: Si Deus per amorem poſſideretur ea poſſeſſione quæ eſſet beatitudo, ſequeretur homines poſſe hac in mortali vita eſſe beatos, Deum enim vere amant: abſurdum conſequens; ergo & ant.

Diſt. maj. Si poſſideretur per amorem qualemcumque, C. ſi poſſideretur per amorem fruitivum duntaxat, N. amor enim fruitivus ſupponit objectum intime præſens & intuitive cognitum; unde a viatoribus non poſſidetur Deus niſi imperfecte, quatenus nimirum ſpe ſalvi facti ſunt Deo jucunde non adhærentes, do-

donec evacuatum fuerit quod imperfectum eſt, quod in altera demum vita continget, cum videbimus Deum ſicuti eſt.

Inſtabis: Beatitudo formalis conſiſtit in operatione præſtantiſſima: atqui ſola operatio intellectus eſt præſtantiſſima, eſt enim præſtantior amore, ſeu operatione voluntatis; ergo.

Diſting. maj. In operatione præſtantiſſima in genere beatitudinis, C. in alio quovis genere, N. nihil itaque attinet hac in controverſia, an operatio intellectus ſit præſtantior operatione voluntatis in genere ſcilicet operationis, vel in genere entis, vel in alio genere, niſi ſit præſtantior in genere beatitudinis: porro operatio intellectus non eſt præſtantior operatione voluntatis in genere beatitudinis; utraque enim in ſuo genere eſt præſtantiſſima, per utramque ſuo modo Deus poſſidetur poſſeſſione fruitiva, per utramque Deo jucunde adhæreſcit homo, neutra eſt altera præſtantior in hoc genere, adeoque in utraque ſimul poſita eſt noſtra beatitudo.

Inſtabis: Quæ beatitudo poſita eſt in gaudio, nec conſiſtit in viſione, nec in amore: atqui beatitudo formalis poſita eſt in gaudio; nemo quippe beatus dici poteſt niſi gaudio & voluptate efficiatur; adeo ut ſi poſſet Deum videre intuitive & amare, nec ullum inde voluptatis & lætitiæ ſenſum haberet, profecto non foret beatus; ergo.

Solent reſpondere duplex eſſe gaudium, aliud videlicet directum & aliud reflexum: gaudium directum illud appellant quod eſt de Deo immediate; gaudium vero reflexum quod eſt de poſſeſſione Dei, ſeu quidam delectationis ſenſus ortus ex cognitione reflexa ſupra beatitudinem formalem, de qua aliquis cogitans gaudet ſe beatitudinem poſſidere. Porro, inquiunt, beatitudo formalis conſiſtit quidem in gaudio directo, quia ipſe eſt amor, ſed non conſiſtit in gaudio reflexo.

Verum hæc reſponſio mihi non arridet, tametſi non parum communis ſit apud Theologos; gaudium enim etiam directum confundi non poteſt cum amore, ſiquidem amor eſt propenſio voluntatis in objectum, & gaudium eſt delectatio orta ex illa propenſione, quæ duo magnopere differunt; unde contendunt nonnulli Chriſtum Dominum ſemper fuiſſe beatum per viſionem & amorem fruitivum divinitatis, & tamen aliquando triſtem fuiſſe & ſine gaudio.

Reſpondeo igitur negando minorem, ſcilicet beatitudinem formalem poſitam eſſe in gaudio. Revera nemo beatus dici poteſt niſi gaudio & voluptate afficiatur; ſed inde ſequitur tantummodo gaudium eſſe proprietatem beatitudinis formalis, non autem eſſe ipſam beatitudinem formalem; ſiquidem beatitudo formalis eſt poſſeſſio Dei, quæ fit per viſionem intuitivam & amorem fruitivum, ex quibus ſequitur ſemper gaudium, quia voluntas amare non poteſt quin ſibi placeat in amore & gaudeat, ſed illa cum ipſo gaudio confundi non debent.

De Beatitudine corporis.

QUanquam beatitudo ad ea proprie non pertineat quæ omni ratione carent, ſua tamen erit, ut ſperamus, humano corpori felicitas: oportet enim ut homo ſit beatus ſecundum ſe totum & quoad ambas partes eſſentiales ex quibus componitur; decetque ut quæ pars ſocia fuit laborum, ſit & præmii & coronæ particeps; quod quidem ut tanquam certum habeatur, operæ pretium eſſe puto hic dogma catholicum de reſurrectione corporum ſtabilire, eamque lubentius de reſurrectione carnis diſquiſitionem data occaſione aggredimur, quod firma hujuſce dogmatis perſuaſio multa complectitur capita fidei chriſtianæ, quæ quidem e diverſo ruerent plane omnia, ſi nulla futura ſit carnis

no-

noſtræ reſurrectio; *Si enim*, inquit S. Paulus 1. ad Corint. 15. *mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit: quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides.* Scilicet ſi non reſurrexit Chriſtus, nec vere mortuus eſt, alioqui morte detineretur; ſi non vere mortuus, id dicetur potiſſimum, quia non habuit veram, ſed phantaſticam carnem; quibus accedit quod non parum affine ſit iſtud dogma cum immortalitate animæ & ſumma Dei providentia, qua plenam piis hominibus mercedem & debita improbis ſupplicia retribuere debet; quocirca ſit

De reſurrectione corporum.

FUturam corporum reſurrectionem negarunt olim inter Judæos Sadducæi, qui nullos ſpiritus eſſe credebant, & reſurrectionem mortuorum rejiciebant, ut conſtat ex Act. cap. 23. Hos ſecuti ſunt Marcion, Baſilides & nonnulli alii veteres Hæretici, quibus ultro aſtipulantur quotquot ſunt impii & Athei, in quos ſit

CONCLUSIO.

Certum eſt atque indubitatum corpora noſtra aliquando reſurrectura; id aperte legitur in utroque Teſtamento: in veteri quidem, Job enim confidenter ait cap. 19. *Scio*, inquit, *quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Pſal. 15. ajebat David: *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe: quoniam non derelinques animam meam in inferno*, hoc eſt, non relinques me in ſepulchro, *nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*. Quaſi dixiſſet, maximam animo concepi lætitiam, quod ſperem me a mortuis excitandum ad vitam, eamque felicem, addit enim: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Quæ quidem verba, tametſi a Petro & Paulo in Actis adducta fuerint, ut quæ pertinerent ad Chriſti reſurrectionem, ipſi tamen Davidi jure adaptari poſſunt; quibus nempe de ſua reſurrectione futura ſe bene ſperare ita ſignificavit, ut fidem ac mentem ſuam in Chriſtum extulerit, ſciens ejus typum ſe fuiſſe datum Eccleſiæ.

Carnis reſurrectionem præcinuerunt & alii pene ſinguli Prophetæ. Sic Iſayas cap. 26. *Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent, expergiſcimini & laudate qui habitatis in pulvere ... Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, ut viſitet iniquitem habitatoris terræ contra eum, & revelabit terra ſanguinem ſuum, &c.* Daniel cap. 12. *In tempore autem illo conſurget Michael Princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo Gentes eſſe cœperunt uſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit ſcriptus in libro. Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium.* Similiter Oſeæ cap. 13. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors, morſus tuus ero, inferne, conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis.* Quo teſtimonio uſus eſt Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 15. hæc porro plurima e veteri Teſtamento adducere placuit, quod nonnulli hodie ſunt qui contendant in Scriptura veteri nihil haberi de reſurrectione mortuorum, atque incognitum & plane inauditum fuiſſe Judæis alterius vitæ ſtatum, quaſi ſolis bonorum temporalium promiſſionibus ineſcata fuerit rudis illa Gens & imperita.

Futuram corporum reſurrectionem oſtendit ipſe Chriſtus Sadducæos ſic alloquens Matth. cap. 22. *Erratis, neſcientes*

Scripturas neque virtutem Dei. In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur: ſed ſunt ſicut Angeli Dei in Cœlo. De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis quod dictum eſt a Deo dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.

Idem expreſſe docuit Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 15. *Si autem Chriſtus prædicatur*, inquit, *quod ſurrexit a mortuis: quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? ſi autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra..... Ecce myſterium vobis dico: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti.* Quæquidem doctrina fuit ſimiliter aliorum Apoſtolorum, ut conſtat ex Symbolo, cujus quidem unus eſt iſte articulus, *carnis reſurrectionem*.

In id vero conſenſerunt omnes & Græci & Latini Patres. Luculentum eſt quod legitur in Oratione S. Polycarpi apud Euſebium lib. 4. hiſt. c. 15. ſic enim ſuprema vota coram Deo fundit vir iſte plane Apoſtolicus: *Pater*, inquit, *unigeniti & benedicti Filii tui J. C. per quem tui notitiam accepimus, Deus Angelorum, & poteſtatum, & univerſæ creaturæ, omniumque juſtorum qui vivunt in conſpectu tuo: Benedico te qui me in hunc diem & ad horam hanc perducere dignatus es, ut partem caperem in conſortium Martyrum & in Calice Chriſti tui; in reſurrectionem vitæ æternæ, animæ ſimul & corporis in incorruptione Spiritus Sancti.*

S. Juſtinus ſic de Chriſto loquitur. Apolog. 2. *Duplicem ſiquidem ejus adventum & præſentiam prænuntiarunt ſancti Vates, unam quidem jam exhibitam, ut deſpecti & paſſionibus ſubjecti hominis: ſecundam autem, quando e Cœlis cum gloria & angelica militia ſua adveniet, aderitque: cum omnium etiam qui unquam extitere mortalium corpora ſuſcitabit, atque dignos quidem induet natura incorruptibilitatis univerſæ experte, injuſtos autem in perpetuo ſenſu una cum malis geniis in ignem mittet ſempiternum.*

Sic Athenagoras, lib. de reſurrectione mortuorum, quoſdam impugnat dicentes ejuſmodi corporum reſurrectionem Deo eſſe impoſſibilem: *Cui enim*, inquit, *ante cujuſquam rei procreationem ignota non erat futurorum elementorum natura? ex quibus corpora ſuum ortum traxerunt, neque partes elementorum incognitæ fuerunt, ex quibus decerpturus erat quod placeret ad humani corporis conſtitutionem; abunde manifeſtum eſt neque eum ignoraturum, quo ſingula recedant quæ ad perfectionem corporis aſſumpſit, ubi integritas illa diſſipata fuerit... atqui vires Dei ſufficere ad corporum reſtitutionem indicat vel ipſorum procreatio: ſi enim hominum corpora, cum non eſſent, condidit, eorumque principia, unde originem trahunt, procreavit, etiam quomodocunque diſſoluta cum eadem facilitate inſtaurabit; id enim illi æque poſſibile eſt.*

Idem fuſe & multis momentis demonſtrat S. Irenæus, l. 5. adverſ. hæreſ. *Quomodo*, inquit cap. 2. *carnem negant capacem eſſe donationis Dei, quæ eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & eſt membrum ejus?... Et quemadmodum lignum vitis depoſitum in terra ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram & diſſolutum multiplex ſurgit per Spiritum Dei qui continet omnia, quæ deinde per ſapientiam in uſum hominibus veniant, & percipientia Verbum Dei Euchariſtia fiant, quod eſt Corpus & Sanguis Chriſti; ſic & noſtra corpora ex ea nutrita & repoſita in terram, & reſoluta in ea reſurgent in ſuo tempore, verbo Dei reſurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris.* Idem cap. 6. 7. 8. 12. & 14.

Omnium

Omnium vero diſertiſſime Tertullianus, qui dedita opera ſcripſit librum *de Reſurrectione carnis* adverſus nonnullos hæreticos qui inſanum Sadducæorum errorem imbiberant: *Nunc autem*, inquit cap. 2. *ad alios Sadducæos præparamur, partiarios ſententiæ illorum. Ita dimidiam agnoſcunt reſurrectionem, ſolius ſcilicet animæ, aſpernati carnem, ſicut & ipſum Dominum carnis*. Ubi non modo in illos hæreticos auctoritate Scripturarum inſurgit Tertullianus, ſed & Gentiles aggreditur docens Philoſophis etiam ignotam non fuiſſe reſurrectionem corporum; tum vulgus irridet exiſtimans nihil ſupereſſe poſt mortem. *Et tamen*, inquit initio libri, *defunctis parentant, & quidem inpenſiſſimo officio pro moribus eorum & pro temporibus eſculentorum, ut quos negant ſentire quicquam, eſcam deſiderare præſumant*.

Egregie vero S. Auguſtinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 20. *Reſurrectionem quippe mortuorum*, inquit, *futuram eſſe in carne, quando Chriſtus venturus eſt vivos judicaturus & mortuos, oportet, ſi Chriſtiani eſſe volumus, ut credamus. Sed non ideo de hac re inanis eſt fides noſtra, ſi quemadmodum futura ſit, perfecte comprehendere non valeamus*. & in Enchiridion cap. 84. *Reſurrecturam carnem omnium, quicunque nati ſunt hominum atque naſcentur, & mortui ſunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Chriſtianus*.

Cæteri vero Patres aſtipulati ſunt in aſſerendo hoc fundatiſſimo Religionis noſtræ dogmate, quorum teſtimonia huc adducere nihil neceſſe eſt; abunde enim, ut puto, id confectum eſt ex adductis Scripturæ & Veterum teſtimoniis; conſulat tamen qui plura voluerit, S. Cyrillum Jeroſolymitanum Catecheſi 18. Origenem contra Celſum lib. 5. p 245. S. Baſilium moral. Regul. 1. cap. 2. S. Greg. Nyſſenum dialogo de anima & reſurrectione; S. Ambroſ. toto lib. 2. de fide reſurrectionis; S. Hieron. Epiſt. 61. ad Pammachium; Theodoretum lib. 5. hæret. fab. c.19. S. Greg. M. lib 14. Moral. in Job cap. 27. &c.

His accedunt nonnullæ rationes luculentiſſimæ, quibus & ipſa revincatur Philoſophorum inſania.

Prima ratio petitur ex ſumma Dei juſtitia, quæ quidem poſtulat ut defunctorum corpora vitæ reſtituat; plerumque enim videmus hoc in ſæculo improbos ex una parte florere potentia & honoribus, affluere divitiis, & molliter tractari eorum corpora; ex altera vero parte pios & probos variis & graviſſimis incommodis laborare, tum & duriter accipi ſingulis vitæ ſuæ momentis, ſed iſta videntur omnino divinæ juſtitiæ adverſari, niſi futura ſit aliquando corporum reſurrectio; par eſt enim ut corpus quod animæ conſociatum fuit in edendis tam rectis quam pravis actionibus, una cum illa vel gaudia vel pœnas experiatur; quantumvis enim ſtupidum ſit corpus, nec de ſe quicquam ſapere poſſit, quia tamen idoneum eſt inſtrumentum ad opera externa, quæ ſine ipſo obire non poteſt anima, poſtulat juſtitia ut poſt mortem conjungantur denuo ad perferendas pœnas vel reportanda præmia. Quod argumentum eleganter uſurpat Tertullianus lib. de Reſurr. carnis cap. 7. *Artes per carnem*, inquit, *ſtudia, ingenia per carnem, opera, negotia, officia per carnem, atque adeo totum vivere animæ carnis eſt ut non vivere, animæ nihil aliud ſit, quam a carne devertere: ſic etiam ipſum mori carnis eſt, cujus & vivere. Porro ſi univerſa per carnem ſubjacent animæ, carni quoque ſubjacent, per quod utaris, cum eo utaris neceſſe eſt; ita caro dum miniſtra & famula animæ deputatur, conſors & cohæres invenitur; ſi temporalium, cur non & æternorum?*

Secunda ratio eſt, quia ſi qua ex cauſa negaretur futura corporum reſurrectio, maxime quia Deo videtur impoſſibilis, quo argumento uſi ſunt olim Philoſophi Gentiles Celſus & Porphirius, cum iſtud fidei

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

fidei noſtræ dogma impugnarunt: atqui reſurrectio mortuorum neutiquam Deo impoſſibilis eſt: qui enim hominem fecit, poteſt & reficere, inquit Tertullianus libro citato cap. 11. *Ex nihilo*, inquit, *Deus molitus eſt cuncta, poterit carnem in nihilum perductam exprimere de nihilo; ſive de materia modulatus eſt alia, poterit & carnem quoque dehauſtam evocare de alio: Et utique idoneus eſt reficere qui fecit, quanto plus eſt feciſſe quam refeciſſe, initium dediſſe quam reddidiſſe*. Quin potius ſcribit S. Greg. M. in 6. Moral. id omnibus debere conſtare, longe difficilius eſſe creare quæ non fuerunt, quam ea reparare quæ fuerant.

Sunt & alia ejusmodi momenta quæ legi poſſunt apud citatos Auctores, & a quibus referendis abſtinemus, ne in immenſum creſcat hæc diſſertatio.

Objicies: Multa ſunt loca in Scripturis quæ corporum reſurrectioni manifeſte adverſantur. Pſalm. 77. legitur Deum utcumque caſtigaſſe Judæos in deſerto, ſed noluiſſe iram ſuam omnino in eos effundere, quia *recordatus eſt quia caro ſunt & ſpiritus vadens & non rediens*. Si vero non redeunt animi, profecto nulla eſt corporum reſurrectio. Pſal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum;* hoc eſt, in ſepulchrum. Eccleſiaſtis cap. 3. *Idcirco unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio, ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur ..... quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat surſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Job cap. 14. teſtatur non eandem eſſe rationem hominis & arborum ſeu herbarum: *Lignum habet ſpem*, inquit, *ſi præciſum fuerit rurſum vireſcit, & rami ejus pullulant. Si ſenuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quaſi cum primum plantatum eſt. Homo vero cum mortuus fuerit & nudatus atque conſumptus, ubi, quæſo, eſt?* Quibus adde quædam alia loca in quibus univerſalis ſaltem omnium negatur reſurrectio, Pſalm. 1. *Ideo non reſurgent impii;* & multis non omnibus communem fore carnis reſurrectionem teſtatur Daniel cap. 12. *Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt*. Fruſtra igitur ſpem habemus mortuos aliquando revicturos.

Reſpondeo ex his aliisque ſimilibus Scripturæ locis nihil quicquam inferri poſſe adverſus reſurrectionem corporum.

Ad primum quidem dico his verbis Pſal. 77. *Spiritus vadens & non rediens*, animum intelligi Judæorum levem atque inſtabilem: ſcilicet cum rebus adverſis premebantur admodum Iſraelitæ in deſerto, & a Deo juſtis de cauſis puniebantur, clamabant ad eum ut liberarentur, qui tamen paulo poſt, ut erant ingenio fluxo & verſatili, iterum in Idololatriam recidebant; quo fit ut in reſurrectionem corporum objici non poſſint præfata verba.

Deinde quod ſecundo loco proponitur teſtimonium e Pſal. 113. *Non mortui laudabunt te, &c.* mentem exprimit orantis ut parcatur piis hominibus, ne illis aſſumptis deſint qui Deum celebrent, *Non mortui laudabunt te, &c.* Scilicet in orbe terrarum, in Cœlis quidem nunquam deſunt qui eum laudent; ſed vult Deus non tantum in alio ſæculo prædicari & laudari, ſed etiam in his terris, quod fieri non poteſt ſi pii ab impiis conſumantur. Adde quod ex illis verbis probaretur animam non eſſe immortalem; ſi enim anima corpore exuta ſuperſtes ſit, poterit ipſa ſine corpore Deum laudare.

Atque nihilo plus virium habet locus Eccleſiaſtis, tum quia, ut multi volunt interpretes, verba hæc ſunt impii, & voluptarii, qui ut in carnalibus & terrenis deliciis ſe ſe liberius

ingur-

ingurgitet, ait in corde ſuo, aut ſaltem ſibi fingere amat parem futuram hominum & jumentorum in morte conditionem, quemadmodum ait apud Apoſtolum 1. ad Corint. 15. *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur*. Tum quia ſi hæc verba non ſunt impii impie loquentis, profecto intelligi debent de quibusdam attributis quæ communia ſunt hominibus & brutis; ſcilicet ut jumenta pereunt in morte, ita & homines quoad corpus quod ſimiliter corrumpitur & abit in pulverem; unde eatenus *nihil habet homo jumento amplius*. Quod vero addit Salomon, *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum?* Non idcirco negat animam hominum ut & jumentorum fore ſuperſtitem, ſed difficultatem indigitat detegendæ animorum immortalitatis ſolo ratiocinio.

Quarto, inepte meo quidem judicio objicitur locus capitis 14. Job; quia ipſe circumſcribit tempus quo mortuus homo ad vitam non revertetur; ſcribit enim hominem non revicturum *donec atteratur Cœlum*. Et poſtea, *Quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus & conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei?* Non ergo inficiatur Jobus, immo affirmat, poſtquam Cœlum præterierit, homines reſurrecturos. Quibus merito addideris quæ ex libro Job adduximus ad iſtud dogma demonſtrandum exquiſitiſſima.

Denique nec obſtat quod dicitur in in Pſalmo 3. impios non reſurrecturos, *ideo non reſurgent impii:* addit enim Pſaltes Regius, *in judicio*. Quaſi dixiſſet, non ſtabunt, ſed cadent cauſa impii, quoniam ad Tribunal Dei non abſolventur, ſed condemnabuntur; unde Chriſtus Dominus impiorum ut & juſtorum reſurrectionem anuntiat Joan. 5. his verbis: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus, & procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii*. Quod autem ſacræ Litteræ crebrius mentionem faciant Sanctorum reſurrectionis quam impiorum, vel etiam iſtorum reſurrectionem negare videantur, ex eo maxime fit quod illa ſit potius æterna infelicitas & mors, quam vitæ alicujus renovatio; atque ita nullus ex Danielis teſtimonio remanet ſcrupulus.

De affectionibus, ſeu proprietatibus Beatitudinis.

Ex illis beatitudinis noſtræ proprietatibus, quæ nempe ſequuntur plenam illam atque integram Dei poſſeſſionem qua donantur Beati in Cœlis, aliæ ſunt quæ ad totum hominem, hoc eſt, ad corpus peræque ac animam pertinent, qualis eſt beatitudinis ſemel adeptæ perennitas; aliæ quæ ad ſolam animam attinent, qualis eſt impeccabilitas; aliæ demum quæ ſolam ſpectant corpus, quales ſunt impaſſibilitas, claritas, ſubtilitas & agilitas, quæ corporis glorioſi dotes appellari ſolent; de quibus ſingulis nunc agendum eſt, prout nempe inſignes illas beatitudinis proprietates reperiemus confirmatas in divinis Litteris; video enim paulo intemperantius hac in materia differere nonnullos Theologos; cum beatis aſſignant dotes, de quibus nulla vel in Scripturis, vel apud SS. Patres injicitur mentio. Quanquam nec omnes & ſingulas me aſſecutum facile crediderim; ut enim ait S. Paulus 1. ad Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.*

An

An perennis futura ſit Sanctorum beatitudo.

SAnctorum & hominum & Angelorum beatitudinem ſicut damnationem non fore perpetuam docuit Origenes, ſi fides habeatur teſtimonio Sancti Hieronymi, Epiſtola 59. ad Avitum id expreſſe referentis ex libro primo περὶ ἀρχῶν ejusdem Origenis. Quominus autem ab illo errore vindicetur ejus fides, quod tentarunt nonnulli recentiores Critici, ut Sixtus Senenſis lib. 5. Bibl. annot. 126. & Sotus in 4. diſt. 50. quæſt. 1. art. 1. vetat diſerte S. Auguſtinus lib. de hæreſibus c. 43. ubi cum circa nonnulla capita defendiſſet Origenem, ſic loquitur: *Sed ſunt hujus Origenis alia dogmata quæ Catholica Eccleſia omnino non recipit, in quibus nec ipſum falſo arguit, nec poteſt ab ejus defenſoribus falli, maxime de purgatione & liberatione, ac rurſus poſt longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis univerſæ creaturæ.*

Ut ut ſit, docet catholica fides Sanctorum beatitudinem fore perpetuam nullique viciſſitudini obnoxiam. Id aperte indicant Scripturæ, Sapientiæ 5. *Juſti autem in perpetuum vivent*. Matth. 6. hæc ait Chriſtus: *Theſaurizate vobis theſauros in Cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur*. Cap. 25. *Sic ibunt iſti in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*, & S. Paulus 1. ad Corint. cap. 15. toties citato: *Oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoria. Ubi eſt, mors, victoria tua? ubi eſt, mors, ſtimulus tuus?* quo teſtimonio in eam rem luculentius eſſe poteſt nihil.

Tum vero aſtipulantur omnes SS. Patres, qui quoties agunt de futura vita, eam prædicant vel æternam, vel incorruptibilem, vel immortalem. Sanctus Juſtinus loco ſuperius citato Apolog. 2. *Cum omnium*, inquit, *etiam qui unquam extitere, mortalium corpora ſuſcitabit, atque dignos quidem induet natura incorruptibilitatis.*

Idem docet Athenagoras legatione pro Chriſtianis: *Perſuaſi ſumus*, inquit, *nos in hac mortali defunctos vita, alteram hac terreſtri vita meliorem nempe cœleſtem victuros, ut apud Deum & cum ipſo jam immutabilis & impaſſibilis anima*. Ibi non ſuam opinionem, ſed univerſam & catholicam fidem profitetur vetus ille Scriptor. Cui ſubnectere poſſumus quod cum refert Euſebius lib. 4. hiſt. cap. 15. Martyrium S. Polycarpi, ait ſanctiſſimum Martyrem *immortalitatis* corona fuiſſe redimitum.

Inſignis vero eſt locus S. Cypriani lib. de exhort. Martyrum in fine hæc ſcribentis: *Clauduntur oculi perſecutionibus terræ, ſed patet Cœlum; minatur Antichriſtus, ſed Chriſtus tuetur; mors infertur, ſed immortalitas ſequitur; occiſo mundus eripitur, ſed reſtituto Paradiſus exhibetur; vita temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur. Quanta eſt dignitas, & quanta ſecuritas exire hinc lætum! &c.* Igitur gloria per Martyrium reportata, erit ſecura, erit immortalis, erit æterna.

Idem reperias apud S. Ambroſ. de fide reſur. lib. 2. *nam ſi per ſe ipſa*, inquit, *vita fugienda eſt, ut moleſtiarum fuga, requies ærumnarum, quanto magis ea requies eſt expetenda, cui futuræ reſurrectionis voluptas perpetua ſuccedet*, & poſtea in fine: *Quid enim mihi ſupereſt ſolatii quam quod me citius ad te, frater, ſpero venturum, nec digreſſus tui inter nos longa divortia fore, tuisque interceſſionibus mihi hoc poſſe conferri, ut citius deſiderantem tui advoces. Quis enim eſt qui non ſibi debeat iſtud optare præ cæteris, ut corru-*

pti-

ptibile hoc induat incorruptelam, & mortale hoc induat immortalitatem, ut qui nunc morti corporis fragilitate ſuccumbimus, ſupra naturam ſit, ut mortem jam timère nequeamus.

Omnium vero fuſiſſime tractat S. Auguſtinus, integro nempe libro 22. de Civit. Dei, quem ſic orditur: *Sicut*, inquit, *in primo libro ſuperiore promiſimus, iſte hujus totius operis ultimus diſputationem de Civitatis Dei æterna beatitudine continebit. Quæ non propter ætatis per multa ſæcula longitudinem, tamen quandocunque finiendam, æternitatis nomen accepit, ſed quemadmodum ſcriptum eſt in Evangelio (Regni ejus non erit finis.)* & cap. ultimo ejuſdem libri: *Quanta erit*, inquit, *illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum; vocabitur Dei laudibus qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agatur, ubi neque ulla deſidia ceſſabitur, neque ulla indigentia laborabitur, neſcio. Admoneor etiam ſancto Cantico, ubi lego vel audio: Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Omnia membra & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per uſus neceſſitatis varios diſtributa, quoniam tunc non erit ipſa neceſſitas, ſed plena, certa, ſecura, ſempiterna felicitas, proficient in laudibus Dei.* Cui doctrinæ aſtipulantur cæteri Patres nullo excepto, tum ea Concilia in quibus proſcripti fuerunt Origenis errores, ac demum chriſtianæ fidei Symbolum, quo profitemur nos expectare *vitam æternam*.

Accedit & ratio. Siquidem ad veram & perfectam beatitudinem requiritur, ut beati deſiderium omne ſatietur & expleatur: atqui niſi perennis futura ſit beatitudo, ſed viciſſitudini obnoxia; immo niſi qui beatus eſt certo ſciat æternam fore ſuam beatitudinem, dubio procul non erit ille perfecte beatus, non omne illius ſatiabitur deſiderium; legitima enim ex cauſa ſecuritatem ſuæ beatitudinis deſiderabit, ſimulque in perpetua verſabitur ſollicitudine & anxietate amittendi eam qua fruitur felicitatem; igitur Sanctorum beatitudo, cum ſit vera & perfecta, perennis ſit & in æternum duratura, omnino neceſſe eſt.

An Beati peccare poſſint.

Beatos non poſſe jam peccare docet inter ſanctos Patres Auguſtinus Enchiridio c. 57. his verbis: *Templum Dei hoc eſt totius ſummæ Trinitatis, ſancta eſt Eccleſia ſcilicet univerſa in Cælo & in Terra. Sed de illa quæ in Cælo eſt, affirmare quid poſſumus, niſi quod nullus in ea malus eſt, nec quicquam deinceps inde cecidit, aut caſurus eſt, ex quo Deus Angelis peccantibus non pepercit?* & cap. III. *Poſt reſurrectionem*, inquit, *facto univerſo completoque judicio ſuos fines habebunt Civitates duæ, una ſcilicet Chriſti, altera diaboli, una bonorum, altera malorum, utraque tamen & Angelorum & hominum; iſtis voluntas, illi facultas non poterit ulla eſſe peccandi.* Quod idem docet lib. 13. de Civit. Dei cap. 24. & lib. 22. cap. 30.

Ad ſolam terreſtrem naturam peccatum pertinere ſcribit quoque S. Greg. Nazian. Orat. 40. p. 640. *Quoniam*, inquit, *omni peccati labe carere Dei eſt, primæque & incompoſitæ naturæ (ſimplicitas enim pacata eſt, atque ab omni diſſidio remota) audacter etiam addam & Angelicæ, quæ aut prorſus extra peccandi aleam eſt, aut ad id certe ob eam propinquitatem, quam ad Deum habet, proxime accedit, peccare autem humanæ ac terrenæ compoſitionis.* Unde manifeſte ſequitur animas beatorum, ut & ipſos Angelos ab omni peccato vel peccandi facultate eſſe immunes.

Dixerat pridem S. Irenæus lib. 3. cap. 37. peccati finem inferri carnis reſolutione: *Prohibuit Deus*, inquit, *ejus tranſ-*

tranſgreſſionem interponens mortem, & ceſſare faciens peccatum, finem inferens ei per carnis reſolutionem, quæ fieret in terra, uti ceſſans aliquando homo vivere peccato, & moriens ei inciperet vivere Deo.

Sanctis Angelis perennem ejuſmodi juſtitiam, qui ita ſint in bono confirmati ut non poſſint in deterius commutari, tribuit S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum, cap. 23. *Firmiſſime tene*, inquit, *& nullatenus dubites omnem creaturam naturaliter immutabilem a Deo incommutabili factam, nec tamen jam poſſe quemlibet ſanctorum Angelorum in deterius commutari, quia ſic acceperunt æternam beatitudinem qua Deo ſtabiliter perfruuntur, ut ea carere non poſſint.* Quæ ratio cum ſit communis hominibus & Angelis, probat etiam homines a ſtatu ſuo per peccatum nunquam caſuros.

Et ratio eſt, quia ille eſt impeccabilis qui Deo indivulſe adhæret & conjungitur; in eo enim præciſe poſitum eſt creaturæ rationalis peccatum, quod a Deo, qui rerum omnium finis eſt debitus, & omnis virtutis regula, deflectatur: atqui juſtorum animæ quæ viſione intuitiva Dei ejuſque amore fruitivo ſemel donatæ ſunt, Deo per viſionem & amorem poſſeſſo indivulſe adhærent & conjunguntur: tunc enim anima immobiliter & indivulſe conjungitur alicui objecto, cum per illius objecti poſſeſſionem ita expletur & ſatiatur, ut ab ea nihil amplius deſiderari poſſit: atqui per viſionem Dei ejuſque amorem fruitivum ita expletur & ſatiatur beatorum appetitus, ut ab illis aliud quidquam deſiderari non poſſit; ſiquidem, ut diximus, per viſionem ſummi veri & amorem ſummi boni plene & perfecte ſiſtitur omnis motus intellectus & voluntatis; ergo beati Deo indivulſe & immobiliter adhærent, proindeque ſunt omnino impeccabiles.

Deinde is peccare non poteſt qui Deum neceſſario diligit, aliter peccatum una cum perfecta Dei dilectione in eodem ſubjecto reperiretur: atqui beati neceſſario Deum diligunt; ita ut ab illo amando abſtinere non poſſint: Deus quippe eſt ſummum bonum: atqui voluntas ita diligit ſummum bonum, ut ab eo amando nunquam abſtinere poſſit; etenim voluntas ſe habet ad ſummum bonum clare cognitum, ut intellectus ſe habet ad prima principia clare cognita: atqui intellectus neceſſario præbet aſſenſum primis principiis clare cognitis; ergo pariter voluntas amat neceſſario ſummum bonum & finem ultimum clare cognitum, proindeque non concipitur voluntatem beatorum poſſe unquam ab amore Dei divelli, adeoque peccare non poteſt.

His adde rationem quam affert S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 92. *Voluntas creata*, inquit, *peccare non poteſt quin præceſſerit in intellectu error & incogitantia;* ut enim legitur Proverb. 14. cap. *Errant qui operantur malum*, atqui error & incogitantia non videtur poſſe irrepere in eum qui clare & intuitive videt Deum: ejuſmodi enim incogitantia, quæ vel eſſet peccatum vel cauſa peccati, in eo poſita eſſet quod non attenderet homo ad ea quæ a peccato avocare ſolent; efficacius autem ea conſideraret quæ ad peccatum alliciunt: atqui id omnino accidere non poteſt beatis quos ſupponimus viſione & amore Dei donatos; ſiquidem tantæ virtutis eſt viſio divinæ eſſentiæ, ut beatus non poſſit amplius bona creata conſiderare & ad ea ſe convertere; igitur beati ſemel Deum poſſidentes peccare non poſſunt.

An vero hæc impeccantia ab intrinſeco, ut aiunt, vel ſolum ab extrinſeco, competat beatis? an præterea de potentia Dei abſoluta poſſit cum viſione aut amore beatifico peccatum actuale vel ſaltem habituale reperiri? ejuſcemodi ſunt quæſtiones frivolæ quas conſulto prætermittere ſolemus, ne in vanas ſubtilitates metaphyſicas evagari videatur Theologia noſtra.

Quæ-

Quænam ſint dotes corporis glorioſi:

SIC dicuntur quædam dignitates, quædam ornamenta quæ in corpora ipſa beatorum derivabuntur poſt eorum reſurrectionem.

Quatuor numerari ſolent a Theologis, videlicet impaſſibilitas, claritas, agilitas & ſubtilitas, quas ex hoc uno S. Pauli loco I. ad Corint. 15. depromunt: *Seminatur*, inquit Apoſtolus, *in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale:* Impaſſibilitatem quidem ex his verbis: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione;* Claritatem ex iſtis: *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria;* Agilitatem ex ſequentibus: *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute;* denique ſubtilitatem ex aliis, *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.*

Ac prima quidem beatorum conditio erit *impaſſibilitas*, ut enim ait ibidem Apoſtolus, *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Porro corpus quod eſt incorruptibile, ſit quoque impaſſibile neceſſe eſt, quatenus enim corpus patitur aut ſuarum partium ſolutionem, aut certe nonnullum dolorem, ut famem, ſitim, morbum, eatenus imminuitur, atteritur, corrumpitur. Id porro intelligi debet, ut puto, de iſtis vel ſimilibus affectionibus quibus liberabuntur Sancti; ſunt enim aliæ paſſiones, quæ ſubjectum potius delectant & perficiunt, quam lædant: pulchris enim coloribus non læditur oculus, neque auditus grata quadam harmonia, & ſonis bene compoſitis.

Secunda corporis poſt reſurrectionem glorioſi dos eſt *claritas* ſeu fulgor, cujus expreſſa paſſim mentio habetur in Scripturis, Sapient. 3. *Fulgebunt juſti & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Daniel. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quod & ipſe docet Chriſtus Matth. 13. his verbis: *Tunc juſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum.* & poſtea Apoſtolus loco citato: *Alia eſt*, inquit, *claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim a ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Hunc porro fulgorem qui ut præmium beatis rependetur, & quidem diſpar pro diſparitate meritorum, ut aperte indicat præfatum Apoſtoli teſtimonium, in corpora beatorum non immerito derivatum putant Theologi ab intuitiva Dei viſione, ex qua tantam concipiunt jucunditatem & lætitiam, ut inde ad corpus redundet; animi enim lætitia ſolet exhilarare frontem & corpus floridum reddere. Hujus corporum beatorum conditionis ſpecimen dedit Chriſtus in ſua Transfiguratione ſuper montem Thabor, ubi facies ejus inſtar ſolis reſplenduit.

Tertia aſſignatur beatitudinis affectio, nempe *agilitas* in beatis corporibus, quæ in eo ſita eſt ut corpus facile poſſit ab uno loco tranſire in alium, ita ut ei gravitas & pondus carnis minime obſtet, non tamen, ut nugantur nonnulli Scholaſtici, impertranſito medio, quod omnino impoſſibile eſt. Hæc porro corporum beatorum alacritas colligitur ex nonnullis Scripturæ teſtimoniis. *Fulgebunt juſti*, ait Auctor facer Sapient. 3. *& tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*, id eſt, current per aera ut ſcintillæ ignis per arundines ſeu per ſtipulam. I. ad Theſſalon. cap. 4. ſic loquitur Apoſtolus: *Quoniam ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli & in tuba Dei deſcendet de Cœlo, & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, ſi-*

mul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus. Id certe ſupponit magnam fore beatorum corporum agilitatem, ut ſuper aera nempe ad Chriſtum aſcendant. Hac excellenti facultate pollebat Chriſti corpus, cum ambulabat ſuper aquas, cumque e terris in Cœlos evolavit.

Quarta demum corporum beatorum dos & conditio erit *ſubtilitas:* nam, ut ait S. Paulus, *ſeminatur corpus animale, ſurget ſpiritale*. Scilicet corpus eſt animale hac in mortali vita, egens ut cætera animalia cibo, potu & ſomno, item durum eſt, craſſum & impenetrabile; at *ſurget ſpiritale* in reſurrectione, id eſt ſpiritui fere in omnibus conformatum; ita ut cibo & potu non egeat, non laboret, non fatigetur, carens craſſitie illa & mole repletiva, ita ut inſtar ſpiritus omnia alia corpora penetrare poſſit & pervadere. Id egregie, ut moris eſt, explicat S. Auguſtinus lib. de Fide & Symbolo cap 6. ubi loquens de Philoſophis qui vix intelligere poterant quod credimus aſſumptum Chriſti terrenum corpus in Cœlum, ſic habet: *Noſtras enim Scripturas*, inquit, *non noverunt, nec ſciunt quomodo dictum ſit: Seminatur corpus animale, ſurgit corpus ſpiritale; non ita dictum eſt, quaſi corpus vertatur in ſpiritum & ſpiritus fiat, quia & nunc corpus noſtrum, quod animale dicitur, non in animam verſum eſt & anima factum. Sed ſpiritale corpus intelligitur, quod ita ſpiritui ſubditum eſt, ut cœleſti habitationi conveniat, omni fragilitate ac labe terrena in cœleſtem puritatem & ſtabilitatem mutata atque converſa*. Hujus ſubtilitatis nonnulla dedit argumenta Chriſtus Dominus poſt ſuam reſurrectionem, cum videlicet ad Apoſtolos ingreſſus eſt foribus clauſis.

Nonnullæ de reſurrectione proponuntur quæſtiones.

HIS quatuor corporis glorioſi dotibus abunde, ut puto, expoſitis, non abs re erit impræſentiarum nonnullas proponere quæſtiones, quarum ſolutio ad plenam hujuſce rei intelligentiam nonnihil afferet lucis atque utilitatis.

Quæritur 1. utrum corpora reſurgentium futura ſint eadem quæ fuerunt in terris.

Reſpondeo affirmative; id aperte teſtatur Job cap. 19. *Scio*, inquit, *quod Redemptor meus vivit & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum*. Item S. Paulus I. ad Corint. cap. 15. *Oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. ubi pronomen *hoc* demonſtrat illum exiſtimaſſe hoc ſuum corpus futurum aliquando incorruptibile & immortale per reſurrectionem. Id inſuper confirmatur ex ipſius Chriſti Domini exemplo, qui cum a mortuis reſurrexiſſet ſuam ipſam aſſumſit carnem, cicatrices vulnerum ſecum reducens: *Infer digitum tuum huc*, inquit Thomæ, Joan. 20. *& vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus*, velut ſibi decorum atque honorificum eſſe duceret ſi ea ſervaret vulnera, per quæ genus humanum redemerat; quocirca pulchre & ingenioſe Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 19. *Neſcio quo autem modo*, inquit, *ſic afficimur amore Martyrum beatorum, ut velimus in illo Regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt, & fortaſſe videbimus. Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam, quamvis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit. Nec ideo tamen ſi aliqua Martyribus amputata & ablata ſunt membra,*

ſine

ſine ipſis membris erunt in reſurrectione mortuorum, quibus dictum eſt: Capillus capitis veſtri non peribit. Sed ſi hoc decebit in illo novo ſæculo, ut indicia glorioſorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, ubi membra, ut præciderentur percuſſa vel ſecta ſunt, ibi cicatrices, ſed tamen eiſdem membris redditis, non perditis apparebunt.

Quamobrem audiendus non eſt Origenes qui homines in corpore quidem, ſed absque carne reſurrecturos eſſe docuit lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 3. ſi enim reſurget idem corpus, reddentur etiam eædem carnes & membra. Chriſto certe potius eſt credendum, qui paulo poſt ſuam reſurrectionem ajebat: *Palpate & videte quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicuti me videtis habere.* Quibus adde quod nos reſurrecturos in eadem carne in qua vivimus, definivit Concilium Toletanum IV. cap. 1. in confeſſione fidei, & Lateranenſe magnum, cap. *Firmiter*. Idemque aperte pronuntiatur in Symbolo, ubi non dicimur credere corporis, ſed *carnis reſurrectionem*.

Quin & manifeſta eſt ratio; ſi enim tempore judicii ultimi quælibet anima ſuum proprium corpus ſuammet carnem non aſſumeret, ſed alienam de novo a Deo creatam & productam; jam tum nulla foret reſurrectio, ſed nova aliorum corporum, & conſequenter aliorum hominum productio; cum enim eſſentialiter componatur homo ex corpore & anima; ut ſit idem homo, debet eſſe eadem anima, debet eſſe idem corpus: ſed in reſurrectione debet idem homo reviviſcere, ut per ſe patet; igitur corpora reſurgentium eadem plane futura ſunt quæ fuerunt in terris.

Unica eſt porro ſuper ea re difficultas, quam ſibi velut ab Ethnicis objectam proponit S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 12. *De ipſis etiam corruptionibus*, inquit, *& dilapſionibus corporum mortuorum, cum aliud vertatur in pulverem, in auras aliud exhaletur; ſint quos beſtiæ devorent, ſint quos ignis abſumat, naufragio vel quibuscunque aquis ita quidam pereant, ut eorum carnes in humorem putredo diſſolvat, non mediocriter permoventur, atque omnia iſta recolligi in carnem & redintegrari poſſe non credunt. Conſectantur etiam quæſcunque fœditates & vitia, ſive accedant, ſive naſcantur, ubi monſtrorum partus cum horrore atque irriſione commemorant & requirunt, quænam cujusque deformitatis reſurrectio ſit futura. Si enim nihil tale redire in corpus hominis dixerimus, reſponſionem noſtram de locis vulnerum, cum quibus Dominum Chriſtum reſurrexiſſe prædicamus, ſe confutaturos eſſe præſumunt. Sed inter hæc omnia quæſtio difficillima illa proponitur, in cujus carnem reditura ſit caro, qua corpus alterius veſcentis, humana viſcera fame compellente, nutritur. In carnem quippe converſa eſt ejus, qui talibus vixit alimentis, & ea quæ macies oſtenderat detrimenta, ſupplevit.* Cui difficultati reſpondet cap. 20. his verbis: *Abſit autem*, inquit, *ut ad reſuſcitanda corpora vitæque reddenda non poſſit omnipotentia Creatoris omnia renovare quæ vel beſtiæ, vel ignis abſumpſit, vel in pulverem cineremve collapſum, vel in humorem ſolutum, vel in auras eſt exhalatum. Abſit ut ſinus ullus ſecretumque naturæ ita recipiat aliquid ſubtractum ſenſibus noſtris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat poteſtatem ..... Quicquid enim carnium exhauſit fames, utique in auras eſt exhalatum, unde diximus omnipotentem Deum poſſe revocare quod fugit ... ſua vero illi quem fames exinanierat, ab eo qui poteſt etiam exhalata revocare, reddetur.*

Quæres 2. an ſingula corpora reſurrectura ſint in proprio ſexu.

Reſp. 1. teſte S. Auguſtino lib. 22. de Civit. Dei cap. 17. crediſſe nonnullos in ſexu fœmineo reſurrecturas non

non eſſe fœminas, ex hoc ſcilicet loco Apoſtoli ad Epheſ. cap. 4. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem Filii Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Quæ quidem opinio a nonnullis tribuitur S. Hilario can. 23. in Matth. S. Baſilio in Pſal. 144. & S. Athanaſio regulis de virginitate. Injuria tamen meo quidem judicio, ut cuipiam hæc loca perlegenti patebit.

Reſp. 2. affirmative. Siquidem, ut ſupra oſtenſum eſt, tempore reſurrectionis idem numero corpus reſurget; aliter vera non eſſet reſurrectio: atqui non reſurgeret idem numero corpus, ſi fœminæ non in proprio ſexu, ſed in virili reſurgerent; quæ enim intercedit inter homines differentia penes ſexum haud dubie inſignis eſt; igitur quælibet corpora reſurgent in proprio ſexu. Sic vero id apertè tradit S. Auguſtinus loco mox citato: *Sed mihi melius*, inquit, *ſapere videntur qui utrumque ſexum reſurrecturum eſſe non dubitant ... corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura ſervabitur; non eſt autem vitium ſexus fœmineus, ſed natura... Qui ergo utrumque ſexum inſtituit, utrumque reſtituet. Denique & ipſe Jeſus interrogatus a Sadducæis qui negabant reſurrectionem, cujus ſeptem fratrum erit uxor quam ſinguli habuerunt, dum quiſque eorum vellet defuncti ſemen, ſicut lex præceperat, excitare; erratis*, inquit, *neſcientes Scripturas neque virtutem Dei. Et cum locus eſſet ut diceret, de qua enim me interrogatis, vir erit etiam ipſa, non mulier, non hoc dixit, ſed dixit: In reſurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent, ſed ſunt ſicut Angeli Dei in Cœlo. Æquales utique Angelis immortalitate ac felicitate, non carne, ſicut nec reſurrectione qua non indiguerunt Angeli, quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergo Dominus futuras negavit eſſe in reſurrectione, non fœminas*. Quod idem ſcribit Hieronymus Epiſt. 71. ad Pammachium, tum & antea docuerat Tertullianus lib. de reſur. carnis cap. 6.

Quod autem præfatum objiciunt Apoſtoli teſtimonium ex cap. 4. Epiſt. ad Epheſ. petitum, in eo ſane neutiquam promovent; ſiquidem Apoſtolus eo loci non agit de reſurrectione corporum, ſed de ſpiritali reſtauratione animorum quæ fit in hac vita per fidem & charitatem, quaſi nempe dixiſſet S. Paulus, hic hierarchicus ordo, ut alii ſint Apoſtoli, alii Prophetæ, alii Evangeliſtæ, &c. manebit durabitque, donec omnes in unitatem fidei & amoris Chriſti occurramus, *in virum perfectum*, hoc eſt, in fide & charitate ſimus viri, non infantes, perfecti & conſtantes, non autem fluctuantes: *Ut jam*, inquit, *non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris; veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia qui eſt Chriſtus*. Ubi manifeſtum eſt Apoſtolum non loqui de viro perfecto in altera vita poſt reſurrectionem, non eſt enim timendi locus, ne quis poſt reſurrectionem circumferatur omni vento doctrinæ.

Ex quibus perſpicuum eſt immerito etiam ex eodem Apoſtoli loco nonnullos inferre corpora beatorum omnium reſurrectura in ætate virili, matura & robuſta; quandoquidem ibi non agitur de corporum reſurrectione.

Si quis tamen curioſius percontaretur in qua ætate reſurrectura ſint omnium hominum vel etiam infantium corpora, ab eis non valde recederem qui opinantur perfecta & robuſta corporum ſtatura donandos eſſe beatos, quæ quidem fuit S. Auguſtini ſententia lib. 22. de Civit. Dei cap. 14. *Quid ergo de infantibus dicturi ſumus*, inquit, *niſi quia non in ea reſurrecturi ſunt corporis exiguitate qua mortui, ſed quod eis tardius acceſſurum erat tempore, hoc ſunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi. In ſententia* quip-

quippe Domini, *ubi ait* , (*Capillus capitis veſtri non peribit*) *dictum eſt non defuturum eſſe quod fuit*, *non autem negatum eſt adfuturum eſſe quod fuit*, *non autem negatum eſt adfuturum eſſe quod defuit* ; *defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas ſui corporis* , *perfecto quippe infanti deeſt utique perfectio magnitudinis corporalis*.

Quæres 3. an ſimus omnes ſimul reſurrecturi, vel alii prius, alii poſterius: hoc enim poſtremum indicare videtur Apoſtolus I. ad Theſſalonicenſes cap. 4. his verbis : *Quoniam ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli & in tuba Dei deſcendet de cœlo*, *& mortui qui in Chriſto ſunt*, *reſurgent primi*, *deinde nos qui vivimus*, *qui relinquimur*, *ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera*.

Reſpondeo ex illo Apoſtoli teſtimonio colligi non debere ex hominibus quoſdam prius , alios poſterius reſurrecturos : nuſpiam enim vult determinare quo ordine reſurrecturi ſint mortui, ſed tantum obſervare nos qui nunc vivimus reſurrecturos ut & cæteros qui pridem mortui ſunt ; unde ait ; *ſimul rapiemur cum illis* . Quæ quidem verba nullum relinquunt hac in parte ſcrupulum: aperte enim ſignificant nos omnes & ſingulos ſimul reſurrecturos.

Quæres quarto utrum homines qui vivi reperientur in die judicii, non morituri ſint, ſed cum cæteris reſurgentibus accenſendi: hæc porro dubitatio ſuboriri poteſt ex eo quod dicatur Chriſtus in Symbolo *venturus judicare vivos & mortuos*.

Reſpondeo morituros eſſe omnes & ſingulos homines antequam reſurgant : cum enim communis pro omnibus lata fuerit moriendi neceſſitas atque lex, in pœnam videlicet peccati originalis ; nulla ex cauſa videntur ab illa communi lege eximi poſſe ulli homines: id quidem primum affirmaverat S. Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 31. quoſdam ſcilicet mortem tunc temporis non experturos ; ſed iſtam ſententiam corrigere videtur lib. 2. Retract. cap. 33. longe vero apertius Epiſt. 193. ad Mercatorem his verbis : *Sed vellem* , inquit, *hinc potius audire doctiores* , *ne illis etiam*, *qui putant aliquos morte non præcedente vivificatos* , *ad vitam perpetuam tranſituros*, *dicere inveniatur Apoſtolus* , (*ſtulte tu quod ſeminas non vivificatur* , *niſi prius moriatur* ;) *Nam & illud quod in pleriſque Codicibus legitur* (*omnes reſurgemus* ,) *unde fieri poterit*, *niſi omnes moriamur ? Reſurrectio quippe* , *niſi mors præceſſerit*, *nulla eſt* . *Et quod nonnulli Codices habent* , (*omnes dormiemus*,) *multo facilius & apertius id cogit intelligi* ; *& ſi quid aliud tale in ſanctis Litteris invenitur* , *ad id videtur impellere* , *ut nullus hominum exiſtimetur immortalitatem niſi mors præceſſerit adepturus* . *Proinde ubi dixit Apoſtolus* (*Et nos viventes qui ſumus in adventum Domini* , *non præveniemus eos qui ante dormierunt* ; *ipſe enim Dominus in juſſu* , *in voce Archangeli* , *& in tuba Dei deſcendet de Cœlo* , *& mortui in Chriſto reſurgent primi* ; *deinde nos viventes*, *qui reliqui ſumus*, *ſimul cum illis rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aera* , *& ita ſemper cum Domino erimus* .) *Vellem* , *ſicut dixi de his audire doctiores* , *& ſi modo potuerint*, *hæc ita exponi*, *ut in eis poſſit intelligi* , *omnes homines qui vivunt vel poſt nos victuri ſunt*, *eſſe morituros* , *corrigere quod hinc aliquando aliter ſenſi*. Ubi licet doctiorum ſententiam poſtulare videatur S. Auguſtinus, quaſi hac in parte maneat dubius & anceps, probat tamen ex Apoſtolo nos omnes , & quotquot in die judicii reperientur vivi , vere morituros antequam reſurgant: *Legitur enim*, inquit, *omnes reſurgemus*, *& unde fieri poterit*, *niſi omnes moriamur?*

Quamobrem vivi illi quos Chriſtus dici-

dicitur in Symbolo judicaturus, ſunt ii qui vivi & ſuperſtites erunt in die judicii, qui quoniam per breviſſimum duntaxat tempus erunt mortui, non tam mortui quam vivi cenſebuntur; ſiquidem eorum mors non videbitur eſſe mors, ſed tranſitus ad meliorem vitam; quemadmodum Lazarum dicebat Chriſtus non mortuum eſſe, ſed vivere & dormire, quem videlicet mox ad vitam rediturum ſciebat.

Quæres demum quid ſit ſentiendum de reſurrectone impiorum, & quænam futura ſit illorum conditio.

Reſpondeo 1. certo futuram eſſe reſurrectionem impiorum ut & Sanctorum, ut ſupra dictum eſt cum explicuimus illud Pſalmi primi, *Non reſurgent impii*. 2. Quod ſpectat ad dotes reſurrectionis, habebunt ſane immortalitatem, ut perpetua afficiantur ignominia perpetuiſque doloribus, ut fuſius oſtendetur in Tractatu de Peccatis; cæteras vero dotes priorum non obtinebunt. Non erunt quidem impaſſibiles, quandoquidem immenſis cruciatibus afficientur: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium*, inquit Chriſtus Luc. 13. Neque etiam luce atque claritate donabuntur, quin potius *ejicientur in tenebras exteriores*, Matth. 8. cap. alacres item & agiles non erunt, quod *ligatis manibus ac pedibus mittendi ſint in tenebras exteriores*, Matthæi 22. denique nec ſubtilitas ipſis continget, ea ſaltem quæ ſit acuta & exquiſita ſenſuum perceptio, ſiquidem affectibus craſſiſſimis turbabuntur, ne quid deſit eorum miſeriæ.

De principiis congenitis Actuum humanorum.

INterna actuum humanorum principia duplicis ſunt generis, ut jam obſervatum eſt: alia nempe ſunt congenita, alia vero acquiſita. De acquiſitis quales ſunt habitus, præſenti loco dicere nihil neceſſe eſt, iſta quippe ſatis ſuperque tractata habentur apud Philoſophos. Congenita actionum humanarum principia ſunt facultates a natura conceſſæ quæ ad actus humanos bonos vel malos moraliter concurrunt, quæ quidem facultates ſunt intellectus, voluntas & libertas, de quibus ſigillatim nobis dicendum eſt.

De Intellectu morali.

INtellectus moralis eſt facultas cognoſcitiva ſpiritalis directrix actionum humanarum ad honeſtatem: quo ſenſu practicus eſt intellectus non mere ſpeculativus; ſpectat enim objectum quatenus operabile. Ad mentem moralem duo potiſſimum pertinent, nempe ſynderesis & conſcientia, vel ut loquuntur alii, intellectus moralis voluntatem dirigit per ſynderesim & conſcientiam.

Synderesis eſt cognitio primorum bene vivendi principiorum, qualia ſunt iſta, *Fac bonum, declina a malo, alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*; & ſe habet in moralibus & practicis ut in metaphyſicis & ſpeculativis intelligentia.

Conſcientia quæ ſecundum etymologiam nominis idem eſt ac cum alio ſcientia, quia importat ordinem ſcientiæ ad aliquid, vulgo definitur judicium practicum intellectus dictantis hoc & illud in particulari eſſe agendum vel non agendum; & ſe habet in practicis ut ſcientia in ſpeculativis, applicans ſynderesim ad facta particularia, ſicut ſcientia applicat intelligentiam ad concluſiones particulares. Ubi notandum eſt ſynderesim nunquam ex omni parte deleri, in quovis enim homine vel perditiſſimo manet notitia primorum principiorum; conſcientia vero per inveteratam peccandi conſuetudinem omnino extingui poteſt, quos enim Deus tradidit in reprobum ſenſum, eo uſque corde & animo obduruerunt, ut nullos interdum conſcientiæ ſtimulos experiantur.

Con-

Conſcientia inſuper diſtinguitur a recta ratione, a lege naturali & prudentia. A recta quidem ratione, in eo quod recta ratio verſatur circa ſpeculabilia & operabilia, ſeu ſint univerſalia ſeu particularia; conſcientia vero non ſit niſi de practicis & quidem particularibus. Differt a lege naturali, quod lex naturalis præciſe ſit dictamen rectæ rationis nullum importans ſecum voluntatis pondus, nullam propenſionem, ſed velut objective poſita in intellectu hominis regula ſit agendorum reſpectu conſcientiæ; unde duplex morum diſtinguitur regula: una remota quæ lex eſt, altera proxima quæ nimirum conſcientia eſt. Denique conſcientia differt a prudentia, quod hæc ſit in intellectu tantum; eſt enim habitus cognoſcitivus concluſionum quæ eruuntur ex generalibus bene vivendi principiis; at vero conſcientia quandam propenſionem voluntatis in veritates practicas ſecum importat.

E variis conſcientiæ officiis præcipuum eſt mores noſtros inſtar regulæ dirigere, quod ſit examinando utrum legi congruant; ea propriè obligat ſub pœna peccati, ut enim ait Apoſtolus ad Rom. 14. *Quod non eſt ex fide*, hoc eſt, quod ſit contra conſcientiam, *peccatum eſt*, tametſi non adverſetur legi.

Conſcientia tamen pertinet ad intellectum ſimul & ad voluntatem, nonnulli enim actus qui conſcientiæ tribui ſolent, ad intellectum pertinent, ut judicare & teſtificari; nonnulli vero ad voluntatem, ut pungi & remordere, inſtigare: quo pacto facile conciliantur Theologi plus æquo hac in parte diffidentes.

Conſcientia ut & ſyndereſis duplex diſtingui debet, habitualis nimirum & actualis. Syndereſis habitualis eſt habitus cognoſcendi prima bene vivendi principia; actualis vero eſt aſſenſus quem primis illis principiis practicis actu præbemus: certum eſt enim per ejuſmodi aſſenſus actualis repetitionem acquiri habitum quo poſtea facilius & promptius eliciantur illi actus. Quanquam, ut fateor lubens, synderesis pro habitu, & conſcientia pro actu frequentius ſoleat accipi. Utraque dividitur in congenitam & acquiſitam, de acquiſita potiſſimum agimus.

Conſcientia tam habitualis quam actualis duplex eſt, ſcilicet vera & erronea: conſcientia vera quæ conformis eſt cum recta ratione agendorum, ut quæ præcipit Deum eſſe colendum; erronea quæ non eſt conformis rectæ rationi agendorum, ut quæ judicat eſſe mentiendum.

Conſcientia erronea duplex eſt, ſcilicet vincibilis & invincibilis: vincibilis eſt ea cujus error ſuperari & removeri non poteſt. Invincibilis dicitur excuſare a peccato, non autem vincibilis, quia omne peccatum debet eſſe voluntarium, quod autem ſit ex ignorantia invincibili, voluntarium non eſt; ſecus vero quod ſit ex ignorantia vincibili, ut fuſius poſtea dicetur.

Conſcientia erronea iterum duplex eſt, videlicet ſcrupuloſa & laxa ſeu remiſſa: Scrupuloſa, quando mens ſupra modum ex leviſſimis ratiunculis timens aberrat, ex quo fonte apud ſcrupuloſos ſeu timoratos homines innumera ſcaturiunt peccata; conſcientia laxa eſt ſeu remiſſa quando mens errat ſoluta ab omni peccandi metu vel ex ignorantia vel ex pravo affectu: utramque conſcientiam egregie deſcribit Ariſtoteles: *Qui omnia timet*, inquit, *ſtultus eſt*; *qui vero nihil timet*, *ſtolidus*.

Denique & conſcientia dividi ſolet in certam, dubiam & probabilem: Certa eſt tunc temporis conſcientia, cum mens noſtra certum & definitum de bonitate aut malitia alicujus actus fert judicium. Dubia eſt, cum nutat & vacillat animus, ſuum ſuſpendens judicium: quo quidem in caſu nulla eſt proprie loquendo, conſcientia, quandoquidem nomine conſcientiæ intelligitur definitum quoddam animi judicium; Denique tunc pro-

probabilis eſt conſcientia, cum quis veriſimilia ſequitur, & e duabus oppoſitis opinionibus unam aut alteram cum aliqua formidine ampleſtitur. Quoniam vero hanc materiam (de conſcientia nimirum probabili) conſtat omnium longe creberrimis & contentioſiſſimis implicatam quæſtionibus, in ea plenius atque uberius expoñenda præſenti loco diutius immorabimur.

De opinionum probabilitate.

GRaviſſima profecto hæc controverſia eſt quæ non ſemel Theologos cum Theologis & Juriſtas cum Juriſtis commiſit: ex ea quippe religata pendet fere omnis doctrina morum; ſed quoniam plurimæ hoc in negotio occurrunt difficultates, ut clare & nitide ſingulas enucleare poſſimus, placet inſigne hoc argumentum variis quoque titulis explicare.

Ac primo ab accurata nominum idea & notione auſpicabimur, quo nempe omnis auferatur vocum ambiguitas, omnis æquivocatio; & videbimus quid ſit opinio, quidve opinio probabilis.

Secundo omnium difficillima hac in re quæſtionem pertractabimus, an ſcilicet aliquis poſſit tuta conſcientia ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.

Tertio demum examinabimus utrum operans ad uſum licitum ſententiæ quam eligit & ampleſtitur, judicium omnino certum habere debeat de bonitate actionis, abſolutam & metaphyſicam certitudinem; vel ſufficiat moralis quædam certitudo, judicium moraliter certum.

Quid ſit opinio probabilis.

OPinio primum eſt aſſenſus datus alicui propoſitioni propter rationem probabilem & incertam, vel, ut dicunt alii, eſt aſſenſus ex motivo fallibili. *Opinio*, inquit S. Bernardus lib. 5. de Conſider. cap. 2. *eſt quaſi pro vero habere aliquid quod falſum eſſe neſcias*: ex S. Thoma 1. p. q. 9. art. 9. ad 4. *Opinio ſignificat actum intellectus qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius*. Eo nempe quod innitatur motivo fallibili, quod non videtur infallibilem habere connexionem cum veritate propoſita.

Probabile, ſi ſpectetur etymologia nominis, idem plane ſonat quam quod probari poteſt: ut enim ait ſanctus Auguſtinus libro de utilitate credendi cap. 11. *Quomodo eſt illud quod ſequuntur, ſi non probatur, probabile?* An vero prudenter probari vel potius approbari poſſit una pars, cum oppoſita magis, ut ita dicam, approbatur, eadem plane quæſtio eſt quam mox examinaturi ſumus, an remaneat opinio probabilis in concurſu probabilioris.

Probabile autem hic accipitur pro eo quod vero ſimile eſt, quantumvis non cognoſcatur certo ut verum. Scilicet inter propoſitiones quæ menti objiciuntur, & de quibus determinatum fert judicium, aliæ certo cognoſcuntur ut veræ, aliæ certo cognoſcuntur ut falſæ, aliæ demum ſunt quarum nec veritas nec falſitas certo percipitur; ſed quæ tantum veriſimiliter creduntur veræ vel falſæ, quod cognoſcitur certo ut verum non eſt mere probabile, ſed pluſquam probabile; quod cognoſcitur certo ut falſum non eſt probabile, ſed improbabile; quapropter probabile idem eſt ac veriſimile, quod nempe apparet eſſe verum.

Opinio igitur probabilis eſt judicium mentis quo creditur aliquid eſſe tale ſub motivo tamen fallibili, & cum formidine partis oppoſitæ.

Duplicem probabilitatem diſtinguunt Theologi, ſcilicet intrinſecam & extrinſecam. Probabilitas ſeu apparentia veritatis intrinſeca eſt ea quæ nititur momentis, ut aiunt, intrinſecis, rationibus nempe validiſſimis quæ opinantem

rem vehementer impellant ad amplectendam illam opinionem. Probabilitas extrinſeca nititur auctoritate & teſtimonio Doctorum qui in eandem ſententiam conſpiraſſe videntur, & in quorum fidem aliquid judicatur verum. Quid vero ſentiendum ſit de illa probabilitate extrinſeca, quæ unius tantum vel alterius Doctoris ſuffragio fulcitur, paulo inferius examinabitur.

Eſt autem inſuper obſervandum probabilitatem eſſe reſpectivam ad opinantem: ita ut quod probabile eſt uni, non ſit probabile alteri; nam motivum opinionis urgere dicitur per ordinem ad intellectum viri docti vel probi; unde aliqua perſæpe opinio alicui videtur certa quæ alteri nequidem apparet probabilis: nam hæreticis fundamenta ſuarum opinionum apparent non modo fidei catholicæ articulis probabiliora, ſed & longe certiora, quæ tamen, ut nos ipſi recte contendimus, doctrinam continent manifeſte falſam. Et ſæpe fit ut quæ opinio Theologo fuit aliquando probabilis, eidem reddatur abſolute improbabilis poſt accuratam veritatis inquiſitionem. Scilicet non alia eſt opinionum varietatis cauſa præter veritatis ignorantiam, ideo aliquid probabile eſt tametſi falſum, quia ignoratur eſſe falſum, & rurſus probabile licet verum, quia certo non cognoſcitur eſſe verum.

Deinde opinio dupliciter dicitur probabilis, nimirum ſubjective & objective. Opinio probabilis eſt ſubjective, cum propria eſt ipſius operantis & in ejus mente ſubjective exiſtens, qui nempe fixo & determinato judicio, probabili tamen, judicat ipſe aliquid eſſe licitum: ut ſi quis poſt diligentem & accuratam veritatis inquiſitionem ex propria ſententia judicet, v. g. hunc vel illum contractum non eſſe uſurarium, ſed maxime licitum. Opinio probabilis objective eſt ea quæ probabilis eſt prout in mente aliorum, & ideo in mente operantis objective tantum verſatur: ut ſi quis contractum propria ſcientia credens uſurarium & illicitum, videret graviſſimos Auctores judicare opinione probabili ejuſmodi contractum eſſe licitum.

Denique obſervandum eſt, aliud eſſe opinionem aliquam eſſe tutiorem altera, aliud vero eam eſſe probabiliorem: perſæpe enim contingit ut opinio aliqua ſit tutior in praxi quam oppoſita, & tamen non ſit probabilior, qualis eſt ſententia nonnullorum qui docuerunt hominem ſtatim poſt commiſſum peccatum teneri ſub præcepto illud confiteri Sacerdoti: nemo enim non videt ejuſmodi opinionem eſſe tutiorem oppoſita, quantumvis ſit longe minus probabilis. Et ratio eſt quia probabilitas major vel minor eſt, prout opinio magis vel minus accedit ad veritatem, prout majorem vel minorem præ ſe fert veritatis ſpeciem & apparentiam; eſt autem tutior in praxi, eo præciſe quod magis a peccato & peccati periculo hominem removet; his autem conſulto præmiſſis nunc inquirendum eſt,

An licitum ſit ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.

UT in fronte hujus celeberrimæ diſputationis certa ſejungamus ab incertis, obſervabimus primo quæſtionem iſtam agitari totam inter Theologos de opinionibus quæ fidem vel mores ſpectant, non autem quæ in mera ſpeculatione ſiſtunt: neque enim diffitemur poſſe quempiam inter diſputandum in Scholis opinionem defendere hoc in genere oppoſita minus probabilem, ut ſi quis, v. g. contendat aſtra eſſe paris magnitudinis, terram non eſſe rotundam, & cætera id genus, ut aperte declarat S. Thomas quodlibeto 3. art. 10. dicens hoc in caſu locum habere quod Apoſtolus ſcribit ad Rom. 14. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat*, ſed

quæſtio eſt an poſſit quis in rebus ad praxim & mores pertinentibus, tuta conſcientia ſequi opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris, eaque relicta probabiliori.

Supponimus ſecundo quæſtionem iſtam non agitari de conſiliis, ſed de præceptis: cum enim de conſiliis agitur, nec tutiorem nec probabiliorem partem amplecti tenemur; ſatis ſit ſi utraque pars ſit tuta & probabilis; quare non omnes tenentur vel cœlibatum vel religioſam vitam eligere, tametſi hæc conditio ſtatu matrimonii ſit in negotio ſalutis tutior: unde præſens quæſtio proponitur his verbis: An liceat ſequi opinionem minus probabilem quæ legi adverſetur, faveatque libertati, relicta nimirum probabiliori quæ libertati adverſetur faveatque legi; agitur itaque de opinionibus quæ verſentur circa res præceptas, non autem circa conſilia.

Supponimus tertio non teneri ſemper hominem e duabus oppoſitis opinionibus tutiorem amplecti, ſed poſſe illæſa conſcientia ſequi minus tutam, ſi nempe iſta quæ minus tuta eſt, ſit aliunde altera tutiori probabilior: ſiquidem e duabus opinionibus quarum una judicat licite non poſſe Clericum ſimul poſſidere plura Beneficia Eccleſiaſtica etiam ſine cura animarum & cum diſpenſatione; altera vero judicat id licite fieri poſſe in præfatis circumſtantiis, dubio procul prior opinio eſt poſteriori tutior: ſed quia poſterior eſt probabilior altera utroque probabilitatis genere, quatenus nempe validioribus eſt obfirmata momentis, & longe plures & graviſſimos habet fautores; nemo certe dixerit Clericum non poſſe tuta conſcientia poſſidere ſimul plura beneficia, ut ajunt, ſimplicia cum diſpenſatione ſummi Pontificis.

Atque innumera proferri poſſunt ejuſmodi exempla, quibus oſtenditur e duabus opinionibus oppoſitis tutiorem in praxi non eſſe ſemper ſequendam, in conflictu nempe probabilioris, ut aperte declarat S. Antoninus 1. p. Summæ tit. 3. cap. 10. *Quod ſint, inquit, contrariæ opiniones inter Doctores ſanctitate & ſcientia maximos in materia morali, aliquando etiam ad ſalutem neceſſaria, patet per exempla. Nam B. Thomas in 4. tenet, quod poſt lapſum in mortale, non oportet aliquem ſtatim confiteri ſub præcepto habita copia Confeſſoris, niſi in pauciſſimis caſibus qui ibi ponentur diſt. 17. & cum eo tenet Ricardus. Sed Hugo de S. Victore & B. Bonaventura ſunt in hoc contrariæ opinionis, &c. Neutra opinio illorum reprobatur, etſi B. Thomæ opinio communius teneatur, quæ tamen minus tuta videtur. Raymundus Decretiſta & Sanctus in Summa tenet, quod participare cum excommunicatis majori excommunicatione in loquela, cibo & hujuſmodi in caſu non conceſſo ſit mortale univerſaliter: ſed B. Thomas in 4. & Joannes Andreas & Archidia tenent contrarium; & ſic innumera exempla poſſunt poni.* Unde cum vulgo dicitur, *In dubiis ſeligendum eſſe tutius*, id intelligitur quando utraque opinio eſt æque probabilis, ut aperte indicant axiomatis verba, quibus ſupponitur hominem eſſe in dubio poſitum.

Obſervandum inſuper ex illa comparatione, qua quidem in propoſita quæſtione conferuntur inter ſe duæ opiniones, quarum una dicitur probabilior, altera minus probabilis, colligi non debere hanc quæ dicitur minus probabilis, eſſe propterea abſolute, vere & proprie loquendo probabilem in conflictu ſcilicet oppoſitæ probabilioris; quia nempe ſi hoc ſupponeretur, eo præciſe certum eſſet poſſe quemlibet licite ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori; poteſt enim quivis ſequi in praxi & tuta conſcientia opinionem vere & abſolute probabilem; ſi modo probabile dicatur quod nititur gravi & prudenti fundamento; quare

mox

mox oſtendemus adverſus eos qui opinionis minus probabilis in concurſu probabilioris licitum eſſe uſum docent, opinionem aliquam non remanere abſolute, vere & proprie loquendo probabilem, quando ejus contradictoria apparet operanti probabilior.

Atque hinc fit, ut plerumque in mente illorum Probabiliſtarum opinio aliqua in concurſu probabilioris, reputetur ſolummodo probabilis probabilitate extrinſeca; ita ut ejuſmodi probabilitas non pendeat ab intellectu qui hujus propoſitionis tanquam probabilis veritati aſſentiatur, ſed ab electione voluntatis, cui liberum eſt eligere in praxi illam ſententiam quæ apparet minus probabilis, quia ab auctoribus propugnatur ut probabilis. Rem ita explicat unus ex illis benignis Doctoribus qui fultus auctoritate Caramuelis famoſi Probabiliſtarum anteſignani docet, *Potentiam phyſicam intellectus ad aſſentiendum parti quæ minus efficacibus fundamentis nititur, non eſſe neceſſariam ad electionem opinionis; quia, ut ait Caramuel, aliud eſt gubernare mentem, & voluntatem. Non eſt homini liberum judicare eſſe minus veriſimile, quod majorum rationum efficacia ſuadetur, aut quod plerumque in Academiis a viris eruditis defenditur: at eſt homini liberum eligere in praxi illam ſententiam quæ eſt minus veriſimilis, atque ideo dicitur minus probabilis. Electio hæc actus voluntatis eſt, & non efficit ut intellectus aliter judicet quam judicabat. Nam poteſt & ſolet homo prudens eam ſententiam eligere quam cognoſcit eſſe minus probabilem. Stat intellectum, v. g. nequire ex principiis directis judicare, licitum eſſe pingere in die feſto, quia motiva ſuadentia eſſe opus ſervile præponderant; ita ut nequeat huic parti aſſentire, & tamen reflexe cognoſcat eſſe inter Doctores bonæ notæ diverſas opiniones, alteram altera probabiliorem circa idemmet objectum, & rurſus etiam eſſe inter Doctores controverſiam, an liceat eligere quam minus probabilem ex duabus quis judicat, recte, inquam, ſtat judicare quid ſit probabilius, licere eligere opinionem minus probabilem propter efficaciora motiva ſibi propoſita. Quibus poſitis probabilius cenſet licitum ſibi eligere opinionem tuentem licitum eſſe pingere in die feſto ob auctoritatem Doctorum ita exiſtimantium, cum tamen ex principiis directe probativis, ut dixi, judicium ſuſpenderit.* Ita P. Moya tom. 2. in append. ad tract. 1. de opinione probabili q. 7. num. 38.

Porro tradi primum incepiſſe videtur probabiliſtarum iſthæc opinio ad finem ſæculi decimi ſexti, nam Antonius Cordubenſis inſignis e Franciſcanorum familia Theologus in ſuo Quæſtionario Theologico in lucem edito anno 1571. cum in prima aſſertione dixiſſet partem tutiorem eſſe tenendam, quando illa eſt probabilior oppoſita, ſtatim addit, *Et in hoc omnes Theologi conſentiunt*. Ita autem intra exiguum temporis ſpatium crevit illa opinandi licentia, ut anno 1597. cum opus ſuum *de reſtitutione* typis mandaſſet Petrus de Navarra lib. 3. cap. 1. num. 137. affirmet *juxta communiorem ſententiam Theologorum ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ probabili opinioni ſe conformare, etiamſi ſit minus probabilis*. Quo anno 1597. nondum aliquis Scriptor e Societate Jeſu opinionem illam benigniorem amplexus fuerat, inquit P. Thyrſus Gonzales ejuſdem Societatis Præpoſitus generalis in ſuo Tractatu Theologico de recto uſu opinionum probabilium.

Scriptori huic ſi fides habeatur, *Falſo aliqui ſententiam benignam de uſu licito opinionis minus probabilis & minus tutæ in occurſu probabilioris & tutioris appellant ſententiam Jeſuitarum & Caſuiſtarum, quaſi ſoli Jeſuitæ & Caſuiſtæ hanc ſententiam tenuerint: Falſo enim*, inquit, *noſtris Theologis tribuitur ſententia quæ jam erat communis anno* 1598. *quando*

illi.

illi hanc quæſtionem verſare cœperunt : falſo eiſdem ſolis tribuitur ſententia illa quam amplexi ſunt ex omni religioſa familia : falſo dicitur Caſuiſtarum doctrina ea pro qua P. Stephanus Dechamps in erudito Opuſculo , cui titulus , Quæſtio facti , *extra Societatis Auctores citat Epiſcopos decem , Doctores Sorbonic.s quatuor, & ex aliis orbis chriſtiani Doctoribus citat viginti duos . Quomodo vere dici poteſt ſententia Caſuiſtarum illa , quam præter primos Theologos Societatis , nimirum Gabrielem Vaſquez , Franciſcum Suarez , Gregorium de Valentia , Leonardum Leſſium ; e ſacra Prædicatorum familia tenuerunt etiam primi Theologi Scholaſtici hujus ſæculi , nimirum Bartholomæus de Medina* 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *Dominicus Bannez* 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *Didacus Alvarez in ſuis Commentariis ad* 1. 2. *q.* 18. *diſput.* 12. *art.* 3. & *Joannes a S. Thoma tom.* 2. *in* 1. 2. *q.* 18. *diſp.* 12. *art.* 3. Utut ſit hac omiſſa contentione de ortu & hiſtoria Probabiliſmi , in id ſolummodo incumbemus , ut quo poterimus ſtudio doctrinam eorum plus æquo laxam & benignam radicitus evellamus.

Non deſunt tamen inter illos probabilitatis præcones, qui doceant licitum eſſe ſolummodo opinionis minus tutæ & minus probabilis uſum , quando exceſſus probabilitatis in opinione probabiliori non eſt manifeſtus & evidens , ſed dubius, eo quod non ſit magnus , & qui proinde loquuntur de opinione probabili minus tuta quæ ſit fere æqualis probabilitatis cum tutiore , quando dicunt licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori ; ita Martinus de Eſparza in appendice de uſu licito opinionis probabilis art. 112. *Fieri non poteſt*, inquit , *ut opiniones invicem contradicentes maneant ambæ probabiles apud eum cui eſt evidens ac manifeſtum & indubitabile alteram opinionem niti motivo abſolute & ſimpliciter , omnibuſque hinc inde conſideratis majori ; quia ad probabilitatem opinionis requiritur , ut nitatur opinio fundamento & abſolute & comparative magno , id eſt fundamento quod non ſolum ſeorſim & ſecundum ſe ſit difficile , ſolubile , & valide pertrahat ad aſſenſum ; ſed quod comparative etiam , cum fundamento oppoſitæ partis retineat etiam vim magnam pertrahendi ad aſſenſum .*

Verum licet iſti paulo rigidiores Probabiliſtæ viam non ita latam ſternant laxitatibus ac cæteri ; docent tamen in rei veritate licitum eſſe ſequi ſententiam minus probabilem in concurſu probabilioris , quos proinde iiſdem plane momentis una cum aliis debellabimus .

CONCLUSIO.

Non licet tuta conſcientia ſequi in praxi opinionem minus probabilem relicta probabiliori .

Id primum invicte oſtenditur ex plurimis Scripturæ ſacræ teſtimoniis . 1. enim Auctor ſacer ſapienter nos admonet , ne ſalutis noſtræ periculo nos exponamus , Eccleſiaſt. cap. 3. *Qui amat periculum , peribit in illo ;* ſed qui ſequitur in praxi opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris , peccato manifeſte ſe exponit : tunc enim ipſi timendi locus eſt , ne peccet opinionem probabiliorem deſerens .

2. Et ex Sapientum conſilio ſemper agendum eſſe paſſim ibidem præcipitur, Prov. 12. *Via ſtulti recta in oculis ejus; qui autem ſapiens eſt , audit conſilia .* Et cap. 13. *Qui agunt omnia cum conſilio , reguntur ſapientia .* Cap. 15. *Diſſipantur cogitationes , ubi non eſt conſilium : ubi vero ſunt plures conſiliarii , confirmatur .* Cap. 19. *Audi conſilium & ſuſcipe diſciplinam .* Eccleſiaſtici 25. *Quam ſpecioſum canitiei judicium & Presbyteris cognoſcere conſilium . Quam ſpecioſa veteranis ſapientia & glorioſus intellectus & conſilium !* Et cap. 32. *Ante omnia opera verbum verax præcedat*

dat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile. Hoc eſt, firmitas rationum, ut explicant Interpretes. At non conſulto, ſed temere agunt hodierni Probabiliſtæ; non ex conſilio ſapientum & veterum, ſed juniorum: ſiquidem ante centum annos aut circiter plane inaudita fuit effrenis illa opinandi licentia, ut mox oſtendetur: quod conſilium ſequuntur juniorum eſt, videlicet recentiorum hujus ſæculi Caſuiſtarum, via quam tenent non eſt recta, niſi in oculis eorum, adeoque via ſtultorum eſt.

Huc accedit quod nos paſſim admonent Scripturæ, ut cum timore operemur noſtram ſalutem, ad Rom. cap. 11. *Noli altum ſapere, ſed time*. ad Philip. 2. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operemini*. Sed qui e duabus oppoſitis partibus eam ſeligit in praxi quæ minus eſt probabilis relicta probabiliori, neutiquam operatur ſalutem cum tremore, ſed cum falſa ſecuritate, ignorans num tutius non eſſet ſequi alteram partem probabiliorem; in hoc certe agendi modo nullus timor, nulla ſollicitudo.

Favet aperte quod dicit Chriſtus Dominus Matth. 7. *Quam arcta via & anguſta eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam!* Quo argumento uſus eſt clariſſimus Mecklinienſis Archiepiſcopus in decreto quo cenſura notavit libros Caramuelis an. 1655. *Quod nempe faciat*, inquit, *plurima licita quæ hactenus æſtimantur eſſe peccata, & ſic viam Cœli in dies latiorem & faciliorem reddat. Quaſi vero poſſit adinventionibus ſuis mendacem facere ſermonem Evangelicum Domini noſtri J. C. dicentis: Intrate per anguſtam portam, quia lata eſt porta & ſpatioſa quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quam anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam!* Hæc vero reipſa ſcribere auſus fuerat Caramuel: *Eccleſia Catholica*, inquit, *felicior debet dici, quod exuberet ſanctiſſimis & doctiſſimis viris qui introduxerunt benignas opiniones; quia damnarentur plurimi quos ſententiæ probabilitas ſalvat, nec inde Eccleſia infelix quod Doctores opinentur paſſim, ſed & inde felicior quod benignius & facilius ſuos poſſit ad lauream empyream promovere*. Quibus certe damnoſius proferri poteſt nihil.

Eodem ſpectant quæ ſcribit Apoſtolus ad Rom. cap. 14. *Quod non eſt ex fide peccatum eſt*. Hoc eſt, ut exponunt Interpretes, quod non eſt ſecundum conſcientiam, quod fit contra propriam conſcientiam, peccatum eſt: ſed qui ſequitur in praxi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, non agit ſecundum rectam conſcientiam, quin potius agit contra propriam conſcientiam, ut fuſius mox demonſtrabitur.

Quibus & adjungere poſſumus ubique paſſim præcipi ſtrictam & accuratam mandatorum Dei obſervationem; ita ut vel latum unguem ab ea diſcedere nunquam liceat, Deuteron. 26. *Hodie Dominus Deus præcepit tibi, ut facias mandata hæc atque judicia, ut cuſtodias & impleas ex toto corde tuo & tota anima tua*. Et Pſal. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*, id eſt, valde. Matth. 5. *Amen dico vobis donec tranſeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant*. *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, &c.* Sed qui ſequitur opinionem minus probabilem faventem libertati adverſus legem ſpreta probabiliori, non multum ſollicitus eſt de mandatorum Dei obſervatione, quin potius Dei voluntati non modo non obtemperat, ſed expreſſe reſiſtit; ſuam propriam opinionem legi æternæ anteponit; tametſi enim probabilius ei videatur Deum hoc vel illud velle & præcipere, tamen idipſum non ſequitur, non ſeligit.

De-

Denique & iſtud invicte demonſtratur ex iis Scripturæ teſtimoniis, in quibus admonemur omnem probare doctrinam, & ab ipſa mali ſpecie abſtinere, ſic Apoſtolus 1. ad Theſſal. 5. *Omnia autem probate, quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete vos*. Et ut ait S. Thomas hunc locum exponens, Omnia probate, *ſcilicet quæ ſunt dubia, manifeſta enim examinatione non indigent*. Quum nempe non eſt omnino comperta doctrinæ veritas vel falſitas, prudenterque timetur ne quid veneni lateat.

Quo pertinent iſtæ preces quas quotidie & ſingulis horis coram Deo fundimus: *Da mihi intellectum ut ſciam teſtimonia tua. Doce me juſtificationes tuas, doce me facere voluntatem tuam. Da mihi intellectum ut vivam. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi. Vias tuas, Domine, demonſtra mihi*. Sed in ſyſtemate Probabiliſtarum nemo tenetur ſuam probare doctrinam & veritatem inquirere; quin potius cum dubitatur an res ſit licita vel non, & tametſi urgentiora ſint momenta quæ perſuadeant rem eſſe illicitam; tamen tuta conſcientia poteſt quis opinionem illam ſequi, non tenetur eniti ad veritatem, quaſi falſo id oneris imponatur hominibus, ſed ex unius aut alterius Doctoris ſuffragio judicat rem illam eſſe licitam, quo quidem agendi modo nihil eſt in praxi periculoſius.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui præfatas Scripturæ ſententias uno ore confirmarunt, e quibus videlicet nullus eſt qui aperte non doceat ſedulo & diligenter fugiendum eſſe erroris periculum, & in dubiis conſilio Sapientum eſſe adhærendum; monent nos ut cum tremore ſalutem noſtram operemur; arctam eſſe & anguſtam viam quæ ducit ad vitam; nemini licitum eſſe agere contra propriam fidem & conſcientiam; ac demum nos paſſim hortantur ad accuratam Dei mandatorum obſervationem & ſinceram veritatis inquiſitionem: quibus omnibus ſubrui penitus probabilitatis commentum nemo non videt.

His porro addiderim nonnulla ſelectiora Patrum teſtimonia quæ ad materiam iſtam ſpecialius pertinere videntur.

Sic egregie Tertullianus lib. de Spectaculis cap. 20. *Erramus*, inquit, *nuſquam & nunquam excuſatur quod Deus damnat. Nuſquam & nunquam licet, quod ſemper & ubique non licet. Hæc eſt veritatis integritas, & quæ ei debetur diſciplinæ plenitudo & æqualitas timoris & fides obſequii, non mutare ſententiam, nec variare judicium. Non poteſt aliud eſſe, quod vere quidem eſt bonum ſeu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa ſunt. Ethnici quos penes nulla eſt veritatis plenitudo, quia nec Doctor veritatis Deus, malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur: alibi bonum quod alibi malum, & alibi malum quod alibi bonum*. Ibi Ethnicos inſectatur Tertullianus, quod bonum vel malum pro arbitrio ac libidine definire ſolebant, & apud quos nulla eſſet veritatis inquiſitio; quid vero tandem aliud prædicant Probabiliſtæ qui opinionem ſequuntur ut veram, &, ut ajunt, probabilem, pro arbitrio & libidine unius aut alterius Doctoris illam propugnantis, qui alibi bonum quod alibi malum, & alibi malum quod alibi bonum approbant; quandoquidem tuta conſcientia nemo non poteſt quamlibet amplecti ſententiam, ubi vel minima affulget probabilitas; quod enim ut licitum permittit unus ex illis Doctoribus ex quorum ſuffragio aliqua opinio redditur probabilis, idipſum condemnat alter ut illicitum, quo fit ut idem ſit bonum & malum probabiliter.

Mox vero docet S. Greg. Nazianz. Orat. 27. ad ſecuritatem conſcientiæ non ſatis eſſe ſcire quod multis verum appareat, niſi & ipſi operanti comperta

ſit

ſit veritas: *At pleriſque*, ait, *ſecus videtur, inquies. Quid vero mea intereſt, qui rei veritatem magis curo? hoc enim vel me condemnaverit vel abſolverit, hoc miſerum vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum neque alienum ſomnium.*

Similiter & S. Baſilius teſtatur non debere nos ſine diligenti examine amplecti doctrinas hominum, quin prius prudenter judicaverimus illas eſſe veras, videlicet in iſta verba Pſal. 61. *Mendaces filii hominum in ſtateris*, ſic habet: *En tibi datur libra quæ ſufficiens diſcrimen boni & mali demonſtrat, corporea namque pondera in libræ lancibus comprobamus; quæ vero ad inſtituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium, ratione ſcilicet regularum, diſcernimus quod & ſtateram nominamus, quod momentum æquale ad utramlibet partem capere poſſit.*

Proferimus & S. Chryſoſtomum qui Homil. 13. in Epiſt. II. ad Corint. ſic habet: *Ne igitur multorum opiniones habeamus, ſed res ipſas inquiramus, quomodo autem non abſurdum propter pecunias aliis non credere & ipſa numerare & ſupputare, pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter, præſertim cum habeamus omnium exactiſſimam trutinam & gnomonem ac regulam divinarum, inquam legum aſſertionem. Ideo obſecro & oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic vel illi videatur, deque his a Scripturis hæc omnia inquirite, & veras divitias diſcentes eas ſectemur, ut æterna bona aſſequamur.* Ex quo patet poſtulare hominis prudentiam, ut quoties in materia morum occurrit aliqua dubitatio an aliquid ſit licitum vel illicitum, debeat ſedulo & diligenter inquirere veritatem, ſcrutari Scripturas quibus compertum habeat quid ſit divina lege prohibitum. Et quamvis veritatem evidenter aſſequi non poſſet, quia ex utraque parte urgent momenta & auctoritatis & rationis; poſtulant ejuſdem prudentiæ leges, ut quod veriſimilius eſt & legi conforme, amplectatur potius quam quod minus veriſimile eſt, & aliunde adverſus legem favet libertati.

Idem eleganter tradit Auctor Homil. 44. in Matth. apud eundem S. Cryſoſt. *Si veſtimenta empturus*, inquit, *gyras unum negotiatorem & alterum, ut ubi meliores veſtes inveneris & pretio viliori ab illo compares; quomodo non oportet populum circuire Doctores & inquirere ubi ſincera veritas Chriſti vendatur, & ubi corrupta, & omnium confeſſiones cognoſcere & veriorem eligere pluſquam veſtimentum.* Quo teſtimonio nihil ad rem iſtam illuſtrius eſſe poteſt.

Audiatur & S. Auguſt. lib. 22. de Civit. Dei cap. 23. ubi ait vigiliis continuis excubandum eſſe, *ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris effundant, ne quod bonum eſt malum, aut quod malum eſt bonum eſſe credatur, ne ab his quæ agenda ſunt metus revocet, ne in ea quæ agenda non ſunt cupido præcipitet, &c.* Quis autem dixerit ſe opinione veriſimili non eſſe deceptum; cum illam oppoſitæ veriſimiliori anteponit? Sane methodum hanc dirigendi conſcientias ope probabilitatis, ita ut in veram ſecuritatem adducantur ſine alia veritatis indagatione, manifeſte reprobavit ſanctus Doctor in Academicis. Scilicet communis erat apud Academicos regula hæc: *Cum agit quiſque quod ei probabile videtur, nec peccat nec errat:* in eam ſic inſurgit Auguſtinus lib. 3. contra Academ. c. 16. *Id igitur audiens adoleſcens inſidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ: te te conſulo, M. Tulli, de adoleſcentium moribus vitaque tractamus, cui educandæ atque inſtituendæ omnes illæ litteræ tuæ vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quam non tibi eſſe probabile ut id faciat adoleſcens? at illi probabile eſt: nam ſi ex alieno probabili vivimus, nec tu debuiſti adminiſtrare Rempublicam, quia Epicuro viſum eſt non eſſe faciendum...*

Taceo de homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibuſque omninò quæ fieri aut cogitari poſſunt flagitiis aut facinoribus quæ paucis verbis, & quod eſt gravius, apud ſapientiſſimos Judices defenduntur: nihil conſenſi, & ideo non erravi: quomodo autem non facerem quod probabile viſum eſt? Qui autem non putant iſta probabiliter poſſe perſuaderi, legant Orationem Catilinæ, qua patriæ parricidium, quo uno continentur omnia ſcelera, perſuaſit, jam illud quis non ridet? Ipſi dicunt nihil ſe in agendo ſequi niſi probabile, & quærunt magnopere veritatem, cum eis ſit probabile non poſſe inveniri: illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam viſum fuerit eſſe faciendum, tantum nulli quaſi vero aſſentiatur, non ſolum ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committat. Ubi manifeſte docet Auguſtinus nefarium eſſe facere quod videtur probabile in materia morum, id cenſet capitale, formidoloſum & optimo cuique metuendum: nihilominus tamen ſi audiantur Probabiliſtæ, nefas non eſt facere quod eſt probabile, tametſi oppoſitum ſit probabilius; tametſi veriſimilius ſit, inquiunt, hunc vel illum contractum eſſe illicitum & lege divina prohibitum; quia tamen eum eſſe licitum cenſent nonnulli Doctores, vel id etiam unus docuit Caramuel; eo præciſe probabile eſt licitum eſſe contractum, qui proinde tuta conſcientia iniri poteſt; hac ſecuritate quid pernicioſius?

Huc accedit quod docet paſſim idem ſanctus Doctor, nobis omnibus, quoad fieri poteſt, ad detegendam veritatem ſemper enitendum; ita ut ignorantia non excuſet a peccato, ſi nempe ſit vincibilis, qualis eſt in iis qui probabilitatis methodum ſectantur. *Si quis*, inquit, *bonum putaverit eſſe quod malum eſt, & fecerit, hoc putando utique peccat. Et ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque bene fieri putat, quod male fit.* Sed & longe clarius cum diſputat adverſus Donatiſtas; nam l. 1. de Baptiſmo c. 3. hoc propoſito caſu: *Quid Donatiſta ad Catholicam Eccleſiam redire meditatur? jam fatetur ſe certum eſſe baptiſmum in Eccleſia Catholica recte ſuſcipi, ſed dubitat an recte apud Donatiſtas ſuſcipiatur*, ſic reſpondet: *Si dubium haberet non illic recte accipi, quod in Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus; vel eo ſolo quod certis incerta præponeret.* Et cap. 5. *Accipere itaque in parte Donati, ſi incertum eſt eſſe peccatum, quis dubitet certum eſſe peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum eſt, non eſſe peccatum?* Quæ cum ita ſint, nemo poteſt ſine peccato partem minus veriſimilem eligere in praxi, relicta probabiliori; tunc enim dubitat, num ſequendo hanc partem minus probabilem, agat adverſus legem; cum e contra certus ſit ſe poſſe ſine peccato ſequi opinionem probabiliorem quæ legi divinæ conformis eſt, nec favet libertati.

Eandem doctrinam aperte tradit S. Bernardus lib. de præcepto & diſpenſatione cap. 14. *Ceterum*, inquit, *ſicut oculum ſimplicem duo iſta faciunt bona, amor boni & cognitio veri, ſic nequam oculum duo e regione mala conſtituunt, cæcitas qua fit ut veritatem non agnoſcat, & perverſitas qua fit ut diligat iniquitatem. Porro inter duo hæc bona quæ nec fallere nec falli ſinunt, & duo illa mala quæ tam falli quam fallere faciunt, duo ſunt media unum quidem bonum, per quod oculus interior, etſi falli queat ignorantia veri, zelo tamen boni fallere penitus non conſentit, alterum vero malum, quod licet veri notitiam non impediat, amorem tamen boni præ malitia minime ſentit.* Tum vero ſub finem capitis: *Attamen ſine malo quocunque non erit decepta ſimplicitas, cur inquis? numquid non ex fide? prorſus ex fide, ſed*

ſed falſa, vel certe potius non ex fide, quia fides falſa fides non eſt. Denique de fide vera non falſa puto dixiſſe Apoſtolum (Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.) Non autem ex fide vera bonum creditur quod malum eſt: eſt enim falſum, peccatum igitur eſt. Utrumque proinde complectitur præſens capitulum, (Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt) & cæcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam; quia quod a neſciente fit, & bonum prorſus condemnat intentio prava, & malum non penitus excuſat recta. Sive itaque malum putes bonum quod forte agis, ſive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum eſt, quia neutrum ex fide; licet ſane levius admodum peccetur, ubi ſana intentione ſola reprehenſibilis actio foris apparet, quam ubi maligna latet etiam in bona actione intentio. Verum quod abſque vel minimo peccato non eſt purum, bonum minime eſt. Ubi diſerte pronuntiat S. Bernardus vitioſam eſſe actionem quæ fit ex ignorantia veritatis, ut quæ fit ex dilectione iniquitatis, peccatum eſſe id omne quod non fit ex fide, vel quod fit ex fide falſa; quibus profecto principiis omnem funditus disjicit probabiliſmum; qui enim ad normam probabilitatis mores dirigit ſuos, eatenus agit contra legem ex ignorantia veritatis & quidem vincibili, ſciens enim & volens non ſequitur partem probabiliorem quæ legi magis favere videtur, partem vero amplectitur minus probabilem probabiliter legi contrariam; tum vero contra propriam fidem conſcientiam agit, quod utrumque vehementer improbat S. Bernardus, vitioque accenſet non vulgari.

Quin & S. Thomas apertiſſime his ſuffragatur, inſignis eſt locus qui legitur quodlib. 8. art. 15. *Reſpondeo*, inquit, *dicendum quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur; alio modo faciendo contra conſcientiam, etiam ſi non ſit contra legem, ut ſi conſcientia dictat alicui quod levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex conſcientia autem obligatur aliquis ad peccatum, ſive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundum conſcientiam, & ſimiliter quod eſt contra conſcientiam, eſt malum, quamvis non ſit contra legem. Quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum. Dicendum eſt ergo, quod quando duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpote habendo plures Præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur a peccato; quamvis non faciat contra conſcientiam, ſic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria quam iſte ſequitur; ita quod vere licet habere plures Præbendas, & tunc diſtinguendum eſt, quia aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem; aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem ſibi nempe licitum eſſe habere ſimul plures Præbendas; ſed tamen in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, & ſic ſi manente dubitatione plures Præbendas habet, periculo ſe committit; & ſic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale quam propriam ſalutem; aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat.* Quod idem repetit quodlib. 9. art. 15. his verbis: *Reſpondeo dicendum quod omnis quæſtio in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur; quia error quo non creditur eſſe peccatum mortale*

tale quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat a toto, licet forte a tanto. Error vero quo creditur eſſe mortale quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt, quod in hac quæſtione accidit. Quæ quidem divi Thomæ verba nulla plane indigent explicatione; aperte enim definit eum peccare qui e duabus partibus contrariis unam ſeligit dubius & anceps an bene vel male agat; tunc enim, inquit, committit ſe periculo peccandi, & peccat: ſed qui opinionem minus probabilem ſequitur ſpreta probabiliori, agit incertus an bene vel male agat; nam videt quidem ex una parte momenta ſeu rationis ſeu auctoritatis, quæ innuunt actionem eſſe licitam; ſed urgentiora videt & majora quæ perſuadent illam eſſe illicitam, proindeque, &c.

His vero conſentiens fuit veterum omnium Theologorum ſententia, quorum teſtimonia ſi hic ſingula attexerem, in immenſum creſceret iſta diſſertatio. Non omiſerim tamen verba Gerſonii antiqui juxta & clariſſimi Doctoris & Cancellarii Pariſienſis, quem ſuper iſto negotio in ſuas partes trahere non dubitarunt multi Probabiliſtæ; ſic loquitur in Tractatu de præparatione ad Miſſam, Conſiderat. 3. *Nam omnis ſcrupulus aut dubitatio de peccato mortali impediunt celebrantis dignitatem. Patet, quia certitudo moralis, qualem diximus* Conſid. 2. *ſufficere, compatitur ſecum vacillationem quandam animi, aut hæſitationem quandam, vel ſuſpicionem vel ſcrupulos, quod homo non ſit ſufficienter diſpoſitus, aut quod aliquo impedimento ligatus eſt .... Si quis oppoſuerit quod dubitans de aliquo, an ſit illicitum, & ſtante dubio illud agens peccat, qui diſcrimini ſe ſcienter objicit. Reſpondeo cum Altiſſiodorenſi regulam hanc magiſtralem intelligendam eſſe de dubio tali, quod eſt vehemens & magis aut ſaltem æque inducit mentem credere quod eſt mortaliter illicitum, ſicut quod eſt licitum. Secus eſt ubi mens plus inclinatur & judicat quod eſt licitum quam illicitum, quamvis non habeat uſquequaque certitudinem evidentem aut fixam, quia nec hoc ipſum requiritur.*

Idem vel expreſſius docet in Regulis moralibus, hanc enim inter alias tradit Regulam: *Exponere ſe periculo peccati mortalis eſt peccatum mortale, vel ſic agere incertum & dimittere certum in materia morali, eſt peccatum mortale, ſi tale ſit incertum quod ſit mortale non ſolum per conjecturas leves, aut ex ſuſpicione trepida & ſcrupuloſa proveniente ex nimio timore cadendi in via Dei: ſed intelligitur, dum tale eſt vehementer & probabiliter incertum, æque ſicut oppoſitum vel magis; tunc enim illud quod agitur non carebit mortali culpa, aliter non oportet.* Ubi licet ad actionem moraliter bonam & licitam non exigat Gerſonius certitudinem de honeſtate objecti uſquequaque evidentem & indubitatam (quod nos ſuo poſtea loco demonſtrabimus adverſus rigoroſiores Caſuiſtas); tamen requirit certitudinem moralem, qualis certe non reperitur in eo qui opinionem ſequitur minus probabilem ſpreta probabiliori, is quippe in eo caſu certus eſt e contra certitudine morali actionem ſuam eſſe illicitam; niſi falſa gaudeat ſecuritate. Idem docet lib. de vita ſpirituali lect. 4. coroll. 8.

Atque huic doctrinæ ultro aſtipulati ſunt cæteri Theologi pene ſinguli: Scotus in 4. diſt. 11. q. 6. Joan. Major in 4. Sentent. q. 2. Prolog. 3. & 5. Gabriel in 4. diſt. 15. q. 8. art. 13. Henricus Gandavenſis, quodlib. 4. qu. 33. S. Antoninus 3. parte Tract. 5. cap. 2. Antonius Cordubenſis lib. 2. quæſtionarii quæſt. 13. ubi citat Adrianum in 4. de reſt. Sylveſter verbo *dubium* num. 4. Navarrus in cap. *Si quis autem*. Dominicus Soto lib. 3. de juſt. & jure q. 6. art. 5. & alii pene innumeri qui ſcripſerunt ante finem ſæculi decimi ſexti.

Ubi

Ubi & obſervatione digniſſimum eſt, in effrænem & ſolutam probabilitatis licentiam quando cœpit vulgari centum abhinc annis, acriter inſurrexiſſe Theologos omnes melioris notæ: inter illos citari poſſunt Comitolus & Blancus e Societate Jeſu Presbyteri, uterque Italus; e Dominicanis ex profeſſo ſcripſerunt in Italia Julius Mercotus Inquiſitor Mantuanus; in Hiſpania, Joannes Martinez de Prado multis voluminibus, & in Gallia Joannes-Baptiſta Gonet; Vincentius Contenſon & plures alii. Tum vero Joannes Sinnichius Doctor Lovanienſis meritiſſimus in libro quem inſcripſit *Saul Exrex*. Ex Doctoribus juriſperitis Antonius Merenda eminens Profeſſor paulo hac in materia ſeverior; & Proſper Fagnanus utriuſque Juris Canonici & Civilis peritiſſimus, qui Commentariis in librum primum Decretalium ad caput *ne innitaris* quam fuse tam erudite benigniorem Probabiliſtarum ſententiam impugnavit. Quibus & merito accenſere poſſumus ſuffragium P. Thyrſi Gonzalez Theologiæ Profeſſoris Salmanticenſis, & Societatis Jeſu Præpoſiti Generalis, qui paucis abhinc annis copioſum edidit Tractatum de recto uſu opinionum probabilium, in quo latiſſime oſtendit licitum non eſſe ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.

Obſervat inſuper doctiſſimus Fagnanus etiam ex Theologis noſtri temporis non multos eſſe qui generaliter & indiſtincte in omni caſu affirment licere in concurſu probabilium opinionum eligere minus probabilem & minus tutam, cum plurimi ſentiant oppoſitum in Judice, in Medico, in Rege, & in Miniſtro Sacramentorum.

Ac primo non licere Judici fere ſententiam pro parte minus probabili, tenet Sanchez in Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 9. num. 31. item Villalob. in Summa tom. 1. Tract. 1. diff. 25. Bannez in 2. 2. q. 63. art. 4. Layman. in Theolog. Morali lib. 1. Tract. 1. c. 5. Malderus in 1. 2. q. 19. art. 5. Filliucius tom. 2. Tract. 21. c. 4. Becanus in Summa tom. 2. Tract. 1. c. 4 q. 9. Tannerus in 2. 2. Diſp. 4. q. 4.

Similiter nec Medico licere uti opinione probabili abſque reatu mortalis peccati, ſcripſerunt Sotus lib. 3. de juſt. & jure quæſt. 6. art. 6. Suarez tom. 4. in 3. p. Diſput. 26. ſect. 6. Villalob. in Summa tom. 1. Tract. 1. Vaſquez in 1. 2. tom. 1. Diſput. 54. c. 4. Sanchez in Decalog. t. 1. lib. 1. c. 9. Becanus in Summa tom. 1. cap. 4.

Tertio. Nec Regem poſſe bellum indicere, ſi pro utraque parte ſint opiniones probabiles, & longe minus ſi contradicat opinio probabilior, cenſent Vaſquez in 1. 2. tom. 1. Diſput. 29. q. 5. Villalob. in Summa tom. 1. Tract. 1. difficult. 17. & alii nonnulli.

Denique nec licitum eſſe uti opinione probabili in adminiſtratione Sacramentorum ſcripſerunt Medina in 1. 2. q. 19. art. 6. Henriquez de Sacramentis in genere cap. 9. Bartholomæus a Ledeſma de Sacramentis in genere, dubio quinto; Sanchez de Matrimonio lib. 3. Diſput. 20.

Ex quibus manifeſte colligitur hanc noſtram ſententiam quæ docet licitum non eſſe uſum opinionis minus probabilis in conflictu probabilioris ſemper & a majori & a ſaniori Theologorum parte fuiſſe propugnatam, quæ vero purus purusque probabilismus eſt, nonniſi a paucioribus nec melioris notæ Theologis traditam.

Probatur inſuper concluſio auctoritate ſummorum Pontificium, qui vel in ſuis reſponſis, cum de eadem re duas ſententias oppoſitas explicarunt, tutiorem ſemper & probabiliorem amplexi fuere; vel interdum Probabiliſtarum ſententiam cenſura notarunt. In Clementina *de verborum ſignificatione*, capite *Exivi*, cum Fratres Minores interrogaſſent Clementem V. an tenerentur ex vi præcepti

ad.

ad nonnulla quæ continebantur in Regula ſub verbo imperativi modi, Pontifex reſpondit: *Nos itaque qui in ſinceris horum conſcientiis delectamur, attendentes quod in iis quæ ad animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda: Dicimus, quod, licet Fratres non ad omnium quæ verbis imperativi modi ponuntur in Regula, ſicut ad præceptorum, ſeu præceptis æquipollentium obſervantiam teneantur; expedit tamen ipſis Fratribus, ad obſervandam puritatem Regulæ, & rigorem, quod ad ea ſicut ad æquipollentia, præceptis ſe noverint obligatos, quæ hic inferius notantur.* Porro ſi in mente ſummi Pontificis pars ſecurior eſt tenenda, a fortiori pars probabilior in conflictu minus probabilis. Item in Clementina unica de ſumma Trinitate ex fide Catholica dicitur, *opinionem ſecundam tanquam probabiliorem, &c. duximus eligendam.*

Inſuper Alexander VII. qui magno & diligenti reformandæ Theologiæ Moralis ſtudio incubuit, quinque ſupra quadraginta propoſitiones tanquam ſcandaloſas in praxi pernicioſas damnavit, hæ porro propoſitiones, quippe quæ in variis capitibus ſanctitatem morum impetebant, nec alio fundamento ab illis benignioribus Caſuiſtis prolatæ fuerant, quam quia probabiles, adeoque ſecuræ in conſcientia ipſis videbantur.

Tum vero anno 1679. Innocentius XI. ſolemne decretum emiſit adverſus ſexaginta quinque propoſitiones, partim ex Libris Caſuiſtarum, partim ex Theſibus excerptas, quas quidem damnavit tanquam ſcandaloſas & in praxi pernicioſas; ex illis autem hæc ordine ſecunda eſt, *Probabiliter exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam probabilem.* Quæ vero numeratur tertia ſic concepta eſt, *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quatumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus; ſemper prudenter agimus.* Tum quarta quæ hæc eſt, *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

Atque in hujuſce veritatis confirmationem merito ſubjungere poſſumus quæ paucis ab hinc annis geſta ſunt in Galliis occaſione cujuſdam Libri gallico idiomate ſcripti, & inſcripti, *Apologie pour les Caſuiſtes*, ſcilicet in hunc libellum, qui ſub finem anni 1657. lucem conſpexit, pro ſua paſtorali vigilantia acriter inſurrexerunt Parochi fere omnes ac ſinguli totius Regni; nec ullus pene fuit ſimiliter inter Epiſcopos qui cenſura librum non confixerit, eo potiſſimum nomine quod Probabiliſmi Doctrinam velut cæterarum in Morali Chriſtiana corruptelarum radicem continebant; ſic inter alios loquitur Archiepiſcopus Senonenſis ſuæ cenſuræ art. 2. *Hæc doctrina, qua auctor fas eſſe cenſet neglecta probabiliore & tutiore ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam* (*id eſt, amplecti & exequi quod illicitum eſſe quam licitum probabilius putes, atque ad probabilitatem opinionis unius ſcriptoris auctoritatem ſufficere affirmat*) *falſa & periculoſa eſt, innumeris corruptelis viam aperit, bonam conſcientiam, quæ ſecunda eſt humanarum actionum regula, prorſus extinguit: Ac proinde erronea eſt, ac B. Paulo contraria, & Chriſtianos ad certam ſalutis perniciem inducit.*

Adde & cenſuram ſacræ Facultatis Pariſienſis quæ lata fuit 3. Febr. anno 1665. in librum cui titulus, *Amadæi Guimenii Lomarenſis olim primarii ſacræ Facultatis Profeſſoris opuſculum*, ubi cum auctor totis viribus effrænem probabilitatis licentiam tradat, hanc doctrinam confixit ſacer Ordo, ut *falſam, temerariam, quæ innumeris novitatibus & corruptelis viam aperiat, & conſcientiæ regulas evertat.*

Probatur demum hæc noſtra ſententia ex nonnullis validiſſimis momentis e ratione petitis.

Pri-

Prima eſt, quia in praxi & in rebus moralibus nunquam licet agere imprudenter: Sed qui tenet licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, manifeſte docet aliquem poſſe in praxi agere imprudenter: Nam ad hoc ſatis eſt, quod revera is agat imprudenter, cum judicio valde imprudenti, qui partem minus probabilem eligit relicta probabiliori: Sed ille valde imprudenter ſe gerit qui partem eligit minus probabilem relicta probabiliori; prudentia quippe eſt habitus qui dictat vera cum ratione quid homini bonum ſit, ut illud proſequatur; quid vero malum, ut illud fugiat, inquit Ariſtoteles 6. Ethic. c. 5. ſed vera ratio non dictat homini aliquid eſſe bonum & licitum, quod veriſimilius ipſe cognoſcit eſſe malum & illicitum, niſi vel de induſtria excutiat ejus ratio: cum enim aliquis perpendit an hic vel ille contractus, v. g. ſit licitus aut illicitus; ſi ſecundum opinionem minus probabilem licitus eſt, & ſecundum opinionem magis probabilem illicitus eſt. Tunc certe homini ſtanti inter duas illas opiniones ratio dictat contractum eſſe illicitum, nec prudenter judicare poteſt contractum eſſe licitum; judicium enim practicum eſt illud quo operans ſibi firmiter perſuadet ſibi hic & nunc aliquid eſſe licitum: atqui tunc homo ſibi firmiter perſuadet talem contractum hic & nunc ſibi non eſſe licitum; id enim perſuadent ut veriſimilius major auctoritas, plures longe Doctores, & graviora momenta; igitur valde imprudens ille ſit neceſſe eſt qui quidem in illis circumſtantiis talem celebravit contractum: Adeoque & valde imprudens & temerarius qui in praxi partem eligit minus probabilem relicta probabiliori.

Atque utrum in hoc agendi modo imprudentia occurrat necne, colligere merito poſſumus ex nonnullis rerum humanarum exemplis; certum eſt, v. g. eum contra leges amicitiæ peccaturum, cui ſuppeterent validiſſima momenta ad credendum actione aliqua graviter offenſum iri amicum ſuum, ab illa tamen non abſtineret, ductus ratione longe minus veriſimili, quod ejuſmodi actio non ſit amico injurioſa.

Aliud exemplum. Sint quatuor peritiſſimi Medici qui teſtentur ægrotanti ſorberi non poſſe aliquam potionem citra manifeſtum mortis periculum, ægrotus tamen velit pertinaciter hanc ſumere potionem, eo quod unus ex adverſo Medicus affirmat hac in re nihil eſſe periculi; inſuper ſincere expendat infirmus ille utriuſque opinionis fundamenta, & ei urgentiora longe videantur & veriſimiliora quæ ab quatuor Medicis proferuntur, quam oppoſita; nonne imprudentiſſime ſe geret ægrotus & moriendi manifeſtum adibit periculum, ſi in illis circumſtantiis ſumat potionem?

Hic autem ita res ſe habet, decem Doctores probatiſſimæ fidei mihi teſtantur aliquem contractum eſſe manifeſte uſurarium, adeoque illicitum, & ſimul momenta quibus innititur eorum opinio mihi apparent graviora, quam quæ proferuntur a quinque tantum Doctoribus id negantibus, unde probabilius eſt utroque probabilitatis genere hunc contractum eſſe legi contrarium, certe omnium judicio imprudens ſim & temerarius, ſi velim in illis circunſtantiis hunc inire contractum, prudenter enim judico hos quinque Doctores errare ob oppoſitam aliorum auctoritatem eorumque graviora momenta.

Secunda ratio eſt, quia implicat ut qui judicat actionem eſſe malam, poſſit licite illam actionem exercere in ſenſu compoſito illius judicii, nemini enim licet unquam agere contra propriam conſcientiam, ut vel ipſi fatentur benigniores Probabiliſtæ: Sed qui ſequitur ſententiam minus probabilem relicta probabiliori, judicat in rei veritate illam actio-

actionem eſſe intrinſece malam & lege prohibitam: Is quippe judicat actionem eſſe malam qui judicat opinionem minus probabilem qua exiſtimatur licita, eſſe falſam: Sed in illa hypotheſi qui ſequitur opinionem minus probabilem, cum oppoſitam videt probabiliorem, judicat eam quæ minus probabilis eſt, eſſe falſam; ſiquidem non poteſt judicare eam quæ probabilior ipſi apparet eſſe veram, quin ſtatim judicet minus probabilem eſſe falſam; non poteſt quis, v. g. judicare iſtam propoſitionem, *contractus eſt uſurarius*, eſſe veram, quin ſimul judicet iſtam, *contractus non eſt uſurarius*, eſſe falſam; e duabus enim propoſitionibus ſibi contradicentibus de uno & eodem enuntiatis una eſt vera & altera falſa: Sed qui ſibi repræſentat duas propoſitiones, quarum una eſt longe probabilior altera, is profecto judicat illam propoſitionem quæ ei veriſimilior apparet, eſſe veram; ſunt enim ex parte illius propoſitionis ea omnia quæ ſolent intellectum trahere ad aſſenſum, puta major Doctorum auctoritas & graviora momenta; Igitur judicat ſincere opinionem veriſimiliorem eſſe veram; adeoque quando ſequitur opinionem minus probabilem, eo ipſo amplectitur opinionem ſibi cognitam ut falſam, quod nunquam licitum eſſe poteſt.

Tertia ratio hæc. Nemo poteſt licite aliquam exercere actionem, quin prius judicio moraliter certo judicaverit illam actionem eſſe bonam & honeſtam, quia, ut ait S. Thomas 2. 2. qu. 17. art. 2. *Homo in iis quæ ad propriam perſonam pertinent, debet formare conſcientia ex propria ſcientia*. Propria enim cujuslibet conſcientia eſt ei primaria in agendis regula legem cognitam applicans: Sed qui ſequitur opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris propria ſcientia & juxta dictamen propriæ conſcientiæ, certus non eſt illam actionem, quæ juxta opinionem minus probabilem æſtimatur licita, eſſe bonam & honeſtam; nec homo certus eſt ſe non peccare ſequendo opinionem hanc minus probabilem; cum enim, v. g. duæ concurrunt opiniones contrariæ, quarum una affirmat contractum aliquem eſſe contrarium legi divinæ, eaque eſt longe probabilior altera quæ affirmat eundem contractum non eſſe contrarium legi divinæ; certe non poſſum eſſe certus me non peccare celebrando illum contractum; dum ſcilicet mihi veriſimilius apparet celebrationem illius contractus eſſe contrariam legi Dei; hæc enim ſecum pugnant judicia, quæ quidem in eo caſu ſimul formare teneretur homo, primum quidem quo diceret, *rebus attente & diligenter penſatis mihi veriſimilius apparet hunc contractum eſſe illicitum & contrarium legi divinæ*; alterum vero iſtud, *Certus ſum me non agere contra legem Dei celebrando talem contractum*. Quæ quidem duo judicia, ut videre eſt, ſimul de una eademque re ab eodem formari non poſſunt; Unde ſequitur hominem, ſi juxta propriæ conſcientiæ dictamen agat, ſecuturum ſemper opinionem probabiliorem relicta minus probabili.

Quarta ratio hæc afferri poteſt. Si licitum eſſet ſequi opinionem quamcunque probabilem in conflictu probabilioris, jam inutile omnino redderetur ſtudium Theologiæ moralis; oleum & operam perdunt tot ſapientes viri, cum in evolvendis Patrum & Caſuiſtarum ſcriptis aſſidue laborant, unus ipſis ſufficit conſulendus auctor pure hiſtoricus qui in omnibus morum controverſiis catalogum opinionum probabilium contexuerit; ſcilicet eo tendit ſolummodo hæc noſtra Theologia Moralis, ut nobis aperiat quinam actus humani ſint moraliter boni & honeſti, quinam vero ſint turpes & illiciti, ut ſcilicet quod bonum eſt faciamus, quod malum fugiamus: Sed ſi quælibet opinio probabilis etiam in concurſu probabilioris aſſu-

aſſumi poteſt ut regula ad recte operandum, facile innoteſcet aliquam actionem eſſe licitam & honeſtam, non opus erit acuto ingenio, magno ſtudio & labore; ſatis erit ad operandum confidenter & in ſecuritate conſcientiæ noſſe talem opinionem approbari ut licitam ab aliquo Doctore; quin potius ſatis erit vel initium diſputationis legiſſe, aut etiam ſine ulla lectione ab amico accepiſſe ejuſcemodi opinionem ab aliquo Doctore fuiſſe propugnatam; hoc enim pacto apud Probabiliſtas aliqua opinio redditur probabilis quam proinde ſequi poſſumus in praxi & tuta conſcientia; Igitur in illo ſyſtemate otioſum plane erit atque inutile ad agendum tuta conſcientia & aliquid ſecure operandum ut licitum, tot libros evolvere, tot Caſuiſtas & Scripturarum Interpretes conſulere, ſatis erit vel indices librorum legere vel titulos; ſatis erit unum legere Dianam, qui in ſuis controverſiis moralibus ultra tres mille recenſet quæſtiones, in quibus ait dari opinionem probabilem pro una aut altera parte. Tum vero fruſtra nos ſcribemus denuo circa quæſtiones morales inter Theologos dudum ventilatas; fruſtra hi novi eduntur Libri & Tractatus morales, vel ut ex animis evellantur ſcrupuli, vel ut certis finibus coerceatur licentia, quo omnis dirigitur doctrina morum; ad id enim ſufficit hiſtorica cognitio opinionum probabilium, qua poterit quivis cognoſcere quinam actus ſint boni vel mali moraliter.

Quin immo hac præſuppoſita Probabiliſtarum ſententia non ſolum inutile erit controverſias morales in deliberationem mittere, & ad majorem conſcientiæ ſecuritatem viros doctos, quorum judicium eſt extra omnem ſuſpicionem poſitum, conſulere; verum etiam id videbitur plane illicitum; ſiquidem nefas erit impugnare opiniones minus probabiles, & hanc Probabiliſtarum doctrinam evertere; nam ubi ſupponitur licitum eſſe ſequi opinionem quamcunque probabilem, ea ſtatim opinio propugnatur ut tuta & ſecura in conſcientia: Atqui nefas eſt improbare ut falſam, iniquam & damnoſam doctrinam quam aperte intelligimus eſſe ſanam & tutam; quemadmodum iniquum eſſet Medico, ſi vellet pharmacum aliquod evertere, quod noſſet ipſe nonnihil profuturum, licet aliud ſupponeretur melius atque utilius; igitur in ſententia Probabiliſtarum, quæ ſupponit licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, nefas eſt impugnare vel ſolutiſſimam opinandi licentiam; ubi ſcilicet vel minima affulgebit probabilitas ex unius Doctoris, qualiſcunque tandem ille ſit, ſuffragio petita.

Quinta ratio eſt, quia hæc benignior Probabiliſtarum doctrina aperte viam ſternit ad affirmandum legem non obligare cum certa, & indubitata non eſt ejus obligatio; ſi quis enim hanc ſemel imbiberit ſententiam, ſe non debere ſequi opinionem ſtantem pro præcepto, tametſi probabiliorem; quia nempe ſatis eſt, ſi ſequatur opinionem minus probabilem, utpote cum probabilior ſibi non proponatur ut certa, in hunc modum ratiocinari poterit; ſi nempe duæ, v. g. occurrant opiniones quarum una longe probabilior altera teneat aliquem contractum eſſe lege divina prohibitum; altera vero minus probabilis affirmet contractum non eſſe prohibitum; tunc, inquam, homo ſtans inter duas illas opiniones poterit ſic diſcurrere: Sententia quæ non nititur fundamento certo & indubitato, relinquit oppoſitam ſententiam ut probabilem; ſola enim certitudo unius partis excludit probabilitatem alterius oppoſitæ; unde Caramuel in ſua Theologia fundamentali num. 275. *Omnis omnino actus humanus licitus eſt, qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter:* Atqui ſententia quæ affirmat contractum illum eſſe divina lege prohibitum, non nititur fundamen-

damento certo & infallibili; hoc, eſt, non eſt omnino certum divina lege prohibitum eſſe id quod opinione probabiliori affirmatur eſſe prohibitum; oppoſita enim opinio, ut ſupponitur, eſt probabilis, & doctrina Probabiliſtarum, quando in concurſu duarum opinionum una pars eſt probabilis, altera quoque eſt probabilis; Ergo ſententia quæ docet contractum eſſe licitum & non eſſe divina lege prohibitum, eſt probabilis, eo quod non ſit omnino certa obligatio legis talem contractum prohibentis; quo fit ut probabiliter iniri poſſit citra ullum peccandi periculum.

Quod autem ſine abſurditate dici non poſſit legem non obligare, ſtatim atque certo non creditur obligare & quandam probabilitatis ſpeciem habere videtur ſententia legi oppoſita; ex eo maxime colligitur, quod ex conſenſu omnium Theologorum poſſit quis graviter peccare, tametſi non ſit ei certa & evidens præcepti notitia; aliter id omne licitum erit quod in controverſiam cadit inter Theologos; cum illi, v. gr. diſputant utrum aliquis contractus ſit uſurarius necne, an aliqua reſignatio Beneficii Eccleſiaſtici ſit ſimoniaca vel non, poterit quivis in illa hypotheſi abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo facere quod voluerit, quia hoc ipſo quod ſciat id eſſe controverſum inter Caſuiſtas, inferre poterit illud non eſſe certo prohibitum & legi contrarium; qua quidem, ut puto, doctrina nihil eſſe poteſt in praxi periculoſius; nemo enim neſcit ea ſolum in controverſiis moralibus mitti in deliberationem, de quibus certo non conſtat an ſint licita vel illicita, eam ob rem conſuluntur viri ſapientes & peritiſſimi quique Doctores; ita ut quod malum & illicitum eſſe poſt maturam deliberationem definierint, revera ut illicitum & prohibitum exiſtimetur; ſic certe ſe geret quiſquis in tuto eſſe amabit.

Hinc Judæi & alii Tyranni qui perſequebantur Apoſtolos, non modo id ſibi licitum eſſe putabant, ſed etiam exiſtimabant ſe obſequium præſtare Deo in hoc opere, remque ei gratiſſimam exhibere, ut prædixerat ipſe Chriſtus, Joan. 16. his verbis: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*. Quis vero propterea ejuſcemodi homines ab omni crimine excuſatos haberi voluerit?

Similiter certum eſt Hæreticos peccare quod Fidei Catholicæ diſſentiantur; nemo enim negaverit hæreſim eſſe peccatum: Atqui tamen non habent illi certam & indubitatam veræ fidei notitiam; quin potius certo & firmo judicio abſque ulla dubitatione ſuis adhærent opinionibus; quas putant Fide Catholica longe certiores, ex ignorantia ſcilicet & errore culpabili; Ergo non requiritur ad obligationem præcepti ejus certa & indubitata notitia, proindeque falſa eſt Probabiliſtarum doctrina, ex qua manifeſte ſequitur legem non obligare, cum operanti certa & indubitata non fuerit ejus obligatio.

Sexta ratio ex nonnullis erui poteſt exemplis. Certum eſt, v. g. debere Medicum in applicandis medicamentis ſequi opinionem probabiliorem relicta minus probabili; adeo ut ſi dubitaverit an medicamentum calidum ſit frigido utilius ad valetudinem ægrotanti reſtituendam, & rebus ſedulo & diligenter penſatis videat probabiliorem ſtare ſententiam pro applicatione medicamenti calidi, non poſſit tuta conſcientia applicare medicamentum frigidum, quamvis pro eo ſtet ſententia probabilis.

Item certum eſt, quando opiniones verſantur circa jus, teneri judicem in conſcientia judicare ſecundum ſententiam probabiliorem: 1. Quia unicum judicis munus eſt jus ſuum unicuique tribuere; quocirca debet judex diligenter inquirere apud quem ſit jus verum, adeoque ſemoto omni præjudicio litigantium rationes & momenta ponderare;

re; quod utique non præſtaret, ut per ſe patet, ſi judicaret ſecundum ſententiam minus probabilem relicta probabiliori: 2. Quia ſi judex in ferenda ſententia ſequi poteſt quamcunque opinionem probabilem ſpreta probabiliori, jam non judex & arbiter erit, ſed ſupremus bonorum & prædiorum uniuſcujuſque dominus, rem ſcilicet de qua lis movebitur cui maluerit ad libitum poterit adjudicare: 3. Quia in illa ſententia nec Principes tenentur ad juſtitiæ adminiſtrationem procurandam eligere viros ſapientiores & legum peritiſſimos; tum nec ipſi judices debent operam impendere in libris Juriſconſultorum evolvendis, ut inde doctiores evadant; nullo enim negotio detegitur aliquam opinionem eſſe probabilem, quandoquidem unius Juriſconſulti opinio ſufficit. Denique illa ſententia viam ſternit judicibus, ut inique admodum omnia judicent, ut muneribus corrumpantur, ut potentibus, amicis & conſanguineis faveant etiam tuta conſcientia, ſi nempe in gratiam illorum judicare poſſint vel minima affulgente probabilitate.

Quamobrem id aperte improbat Scriptura ſacra non uno in loco, poſtulat enim perſæpe ut Judices judicent in veritate, Exod. 18. *Provide autem de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit veritas & qui oderint avaritiam*. Deuteron. 16. *Venies ad Sacerdotes Levitici generis & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui judicabunt tibi judicii veritatem*. Pſal. 2. *Erudimini qui judicatis terram*. Eccleſiaſt. 20. *Judex ſapiens judicabit populum*. Quibus adde quod præſcribunt leges, ut judices ſententiam proferant juxta probabiliora ex regula 41. juris in 6. *Inſpiciendum in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit*.

Ex iis porro exemplis & hominum uſibus in ipſa æquitate & prudentia fundatis, manifeſte ſequitur in præſenti materia non aliter eſſe agendum, adeoque probabiliorem ſemper amplectendam eſſe partem relicta minus probabili; videtur quippe abſurdiſſimum eſſe majorem adhibere cautionem, quando agitur de rebus temporalibus, ac ſi de conſcientia atque æterna animæ ſalute agatur. *Quomodo*, inquit S. Chryſoſtomus loco ſupra citato, *non abſurdum propter pecunias aliis non credere, ſed ipſas numerare & ſupputare, pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter*.

Nec moror quod dicant adverſarii, non idcirco poſſe Medicum vel Judicem ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, quia tunc eorum error cadit in damnum proximi; cum e contra, ſi quis opinionem minus probabilem ſequetur in præſenti materia, nullum inde præjudicium redundet in proximum; hæc, inquam, reſponſio nullius plane eſt roboris, quia non magis licet ſibi quam alteri damnum inferre; eſtque rationi naturali valde conſentaneum, ut quæ cautio ad fugiendum temporale damnum adhibetur, ea ipſa ad conſervandam æternam ſalutem non omittatur.

Septima eſt ratio; quia ſi liceat unicuique in foro conſcientiæ ex duabus opinionibus oppoſitis, cui voluerit, adhærere, & minus probabilem tenere in praxi, relicta probabiliori, innumeræ propugnari poterunt ſententiæ, quibus tota penitus Moralis Chriſtiana perturbabitur ac confundetur, vix ullum admittetur peccatum, vix ulla actio humana quæ ſit turpis & inhoneſta, vix quicquam illicitum & vetitum, vix denique ullum erit præceptum quod illa benigniori doctrina eludi non poſſit; ſiquidem in rebus moralibus vix datur caſus, in quo non concurrant duæ opiniones contradictoriæ & probabiles, ſeu probabilitate intrinſeca, ut ajunt, quæ aliquo nititur ratiocinio, ſeu probabilitate extrinſeca quæ ex unius ſcriptori-

auctoritate & teſtimonio petitur; quamobrem tutum erit in foro conſcientiæ & maxime licitum ſequi in praxi quod famoſus olim docuit Caramuel inter Caſuiſtas ſi quis unquam mitiſſimus; id enim in eorum principiis licitum quod probabile, illud probabile quod unus tenuit graviſſimus Doctor: hujus inter alios ſi vel nonnullas hic recenſeamus laxitates in materia morum & exceſſus, horrorem profecto auribus incutient, adeo monſtroſa ſcripſit recentior iſte Caſuiſta.

Lib. 4. Theolog. Moral. num. 1559. ait: *Deorum pluritatem ſtando puris principiis naturalibus defendi & propugnari poſſe*. Unde manifeſtum eſt opinionem quæ docet plures eſſe Deos, eſſe probabilem; quod ſupinam redolet ignorantiam, nec parum favet Politheismo: iſtud porro è Caramuele exemplum producimus, tametſi materiam morum non ſpectet, ut inde cuilibet innoteſcat quanti æſtimari debeat in cæteris ejuſce hominis doctrina, & quam damnoſum ſit in praxi unius Magiſtri ſuffragio cæteris reclamantibus adhærere.

In Theologia Morali lib. 2. nu. 799. uſuram manifeſte approbat his verbis: *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit qui non majoris faciat pecuniam præſentem quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari*.

Ejuſdem libri num. 864. ſic loquitur de ſimonia, quam velut infamem & flagitioſam nundinationem in Clericis ſemper damnavit Eccleſia: *Si ſcriptor*, inquit, *ſcrupuloſus ſit, nulla erit circunſtantia ab hoc contagio libera; ſi autem audentior, ipſius ſimoniæ conceptus erit idea Platonica, ut dicitur, quæ non reperitur in rebus*, quia nempe in doctrina recentiorum Caſuiſtarum, ſatis eſt ut quis ab omni ſimoniæ labe purgetur, quod pecuniam non dederit tanquam pretium & ſub illo pretii motivo.

Lib. 3. num. 1470. *Si actor*, inquit, *velit nolit advocatus, accuſare vult, vel etiam de facto accuſat, tametſi nullum jus videatur habere, poteſt illi advocatus patrocinari; Nimirum quantum per leges liceat, examinando bene teſtes, eorum reſponſa conferendo & notando; ſæpe enim contingit cauſas bene fundatas male cedere, & ſæpe male fundatas bene ſuccedere*.

In Theologia fundamentali num. 1142. Doctrinam P. Amici qua docet *licere Clerico vel Religioſo calumniatorem gravia crimina de ſe vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetit*, ut veram approbat his verbis, *doctrinam Amici ſolam eſſe veram & oppoſitam improbabilem cenſemus omnes docti*.

De rebus divinis ſic nugatur epiſtola præliminari ad Dianam, *Navarrus*, inquit, *& quotquot internam attentionem requirunt in officio divino, conſiderata vivacitate humani ingenii, concludunt vix aut ne vix quidem poſſe hominem ſatisfacere ſine aliqua diſtractione veniali; ſic de præceptis aliis pariformiter philoſophantur. At nos qui contra generoſe ſentimus, & ſenſum noſtrum armato ratiocinio firmamus, non ſolum milites, ſed & virgines ſumus; poſſumus enim ita horis aut aliis Eccleſiæ præceptis ſatisfacere, ut ne in levem culpam labamur, prolatio enim & quæcunque alia extrinſeca operatio eſt facillima, & humanæ Principum Leges Eccleſiaſticæ aut ſæculares ſint, non præcipiunt interna*.

In Theolog. fundam. num. 44. ſic ſuam ipſe deſcribit devotionem, *Uno momento*, inquit, *cælum verſo, altero ad ſubterranea tranſeo, nulla in Oratorio movetur muſca quæ mihi non ſit impedimento; attendere lectioni deſidero, ſed diſtractiones non evito involuntarias, millies interdum etiam voluntarias, & nihilominus nullo crucior ſcrupulo; nullo dubio angor; quia prudenter ſuppono me*

ad

ad attentionem internam non teneri; eam habere bonum eſſe, & ea carere nequidem levem eſſe culpam.

Ridenda plane quæ ſcribit in Theolog. fundam. p. 139. *Petrus*, inquit, *die ſabbathi ſub mediam noctem, ut primum audivit duodecimam, comedit carnes, & poſtquam ſatur exceſſit e menſa audivit alıud horologium ſignificans horam duodecimam. Die ſequenti communicare vult, & ſic diſcurrit: Horologia habent opinionum probabilium virtutem: at ego comederam antequam tale horologium ſonuerit; ergo probabile eſt quod comedi ante duodecimam; ergo probabile eſt quod ſim jejunus: at opinioni probabili conformare conſcientiam poſſum; ergo potero communicare.* Quibus poſitis beneficio plurium horologiorum, quoniam & ea probabilitatis privilegio gaudent, poterit quis eadem die jejunii præcepto ſatisfacere & carnes etiam ad ſaturitatem uſque comedere.

Pudet referre quæ de mollitie cæteriſque infandis obſcœnitatibus ſcribit, inſtar ſpeciminis eſt quod legitur in Theologia Morali num. 1603. mollitiem jure naturæ non eſſe prohibitam, quæ ſublato Dei præcepto per quod vetita eſt, ſæpe eſſet bona & aliquando obligatoria ſub peccato mortali, num. 1605. comparat eam cum eſu pomi vetiti de ſe indifferenti, ſi nullum a Deo latum fuiſſet mandatum.

Atque quod in hac doctrina horribilius mihi videtur, hæc omnia & alia ſimilia confectaria recte & legitime ex probabiliſmo illata vidit Caramuel, qui tamen ab illo nunquam diſcedere religioni duxit; id manifeſte colligitur ex Theolog. fundam. pag. 549. ubi ſic habet: *Dices ex hac doctrina multa ſuboriri inconvenientia & ideo rejiciendam eſſe. Et reſpondeo hanc*, ex tali aut tali aſſertione magna pericula & damna ſuboriuntur; ergo eſt falſa, *non eſſe bonam conſequentiam . . . . hinc eſt quod ego judicem ſumma inconvenientia ſequi ex multis opinionibus quæ hodie circunferuntur, nec tamen ideo illas improbabiles eſſe. Multa enim ſuboriuntur ex reſtrictionibus mentalibus, multa ex occultis compenſationibus, multa ex licentia occidendi injuſtum judicem aut teſtem, quam nonnulli concedunt; multa etiam ex illa opinione quæ docet de occultis non judicare Eccleſiam; multa ex aliis, quibus tamen non obſtantibus inconvenientibus illæ ſententiæ in terminis quibus hodie in Scholis traduntur, ſunt ut minimum probabiliſſimæ & minime damnari poſſunt.*

Ex quibus manifeſte colligitur nihil eſſe in Morali doctrina perniciofius quam iſtud Probabiliſtarum ſyſtema, quandoquidem latiſſimum ad omnia laxitatum portenta aditum pandit; unde ſequitur nullam eſſe in moribus corruptelam quæ non ſit ſecura, innoxia & in praxi uſurpanda, ac demum ex quo fit ut vix ullum ſuperſit præceptum quod eludi non poſſit, vixque ulla omnino ſit actio mala moraliter & illicita; quocirca recentioribus Caſuiſtis gratulabatur Caramuel, quod ope probabilıtatis viam ſalutis reddiderint faciliorem, & peccatorum numerum feliciter imminuerint, *Si jam autem*, inquit, *ſunt probabiles quæ antea non erant, jam non peccant homines, cum antea peccarent, cum omne probabile a peccato excuſet.*

Octava demum ratio peti poteſt adverſus probabilitatis doctrinam, ex eo quod poterit quiſque quam voluerit pro nutu & ſine peccato amplecti & retinere Religionem, Judæi Judaismum, Mahometani Alcoranum, Ethnici Ethnicifmum, ſuus eſt enim cuique error probabilis non in moribus modo, ſed in fide; nullus eſt hæreticus qui non affirmaverit ſibi ſuam ſectam viſam eſſe non modo probabilem, ſed fide catholica probabiliorem, qui propterea ſine peccato in ſua hæreſi permanere poterit; cui conſecutioni, quoniam

niam cum Probabiliſmo indivulſe cohæret tacite conſenſit Caramuel, cum ejusmodi difficultatem proponit & inſolutam relinquit in Theolog. fundam. pag. 472. cujusdam Lutherani ratiocinium proferens his verbis: *Quia Baſanomenus Lutheranorum filius & in Lutherana urbe natus inter Lutheranos nutritus, magiſtros habuit & prædicantes Lutheranos, ſic ubi primum P. Valerianum magnum Capucinorum decus & alios audivit inculcantes, vel eſſe redeundum ad Romanam Eccleſiam, vel recedendum a Criſto, fervide inſurrexit & dixit: Chriſtianismus probabiliſſima religio eſt, & ſub ipſo dantur ſectæ antiquiores, juniores, ſeveriores, benigniores, univerſaliores, minus univerſales, & præcipue Romana, Lutherana, Calviniana quæ vere probabiles; ergo mihi, Lutherano, non eſt neceſſario redeundum ad Romanam Eccleſiam, aut ſecedendum a Chriſto. Nam præter Romanam Religionem cui probabilitatem non nego, etiam Lutherana eſt Chriſtiana & probabilis & multo Romana benignior. Vim rationis jam penetras: jam vides quo reſpiciat hæreticus. Tenet primo eſſe probabile quod Deus mentiri nequeat: ſecundo probabile quod revelarit ſacram Paginam, & ſi velit, ut ſic loquar, dictaverit: tertio eſſe probabile quod eandem Romana Eccleſia bene exponat: & tamen addit iis non obſtantibus harum antitheſes eſſe probabiles. Reſolutionem hanc ſic ille confirmat & dilucidat: Doctrina Ariſtotelis, inquit, prout hodie traditur in Academiis Italicis, Hiſpanicis, Gallicis, probabiliſſima eſt: nec contra hanc ipſam probabilitatem militat mundi æternitas & animæ rationalis mortalitas; nam iſti & ſimiles errores ſunt expuncti nec jam traduntur a Chriſtianis Philoſophis. Hæc ipſa doctrina & ſchola Ariſtotelis in tres ſectas dividitur, Thomiſticam, Scoticam & Nominalem, omnes probabiles, omnes celebres, omnes plauſibiles. Dicant Dominicani, Noſtra Schola Ariſtotelica eſt & antiquior Nominali & Scotica; ergo redeundum ad ipſam vel ſecedendum eſt ab Ariſtotele, quid inde? Nam a Franciſcanis ridebuntur qui æquo jure reponent, vel admittendam eſſe Scoti Scholam vel relinquendum Peripateticſmum; tunc enim argumentatio urgeret cum vel una ſub Chriſto religio, vel una ſub Ariſtotele Schola demonſtrationes produceret. Nam ſi una ſecta demonſtraretur eſſe vera, reliquæ demonſtrarentur eſſe falſæ, & in noſtro caſu, ait Baſanomenus, omnes has Religiones Ronanam, Lutheranam, Calvinianam eſſe Chriſtianas & probabiles judico, & omnes has Scholas, Thomiſticam, Scotiſticam & Nominalem eſſe Ariſtotelicas & probabiles cenſeo: & hanc ob rem ratiocinio illo disjunctivo, vel redeundum eſt ad Romanam Eccleſiam vel ſecedendum eſt a Chriſto, convinci aut urgeri non poſſunt. Nec antiquitatem ipſe & Concilia generalia morabitur, hæc enim, ut ait, probabilia argumenta & non evidentia miniſtrant, quoniam Schola Ariſtotelis Chriſti religione multo antiquior, & Academiæ Peripateticæ multo numeroſiores Magiſtros habent quam Generalia Concilia; & ſi licet P. Magno doctrinam Peripateticorum de errore & tyrannide arguere; cur non licebit Baſanomeno eſſe & cautiori? cur non dicere Romanam quidem Eccleſiam eſſe probabiliſſimam, adeoque in foro interno eſſe ſecuriſſimam; & tamen hoc ipſo non obſtante Lutheranam quam ipſe profitetur, eſſe etiam probabilem, atque æque Chriſtianam ac ſecuram imo ſecuriorem omnino; quoniam minus probabilis ſententia, ſi benignior etiam ſecurior eſt; cur non licebit addere ſe eſſe in quieta conſcientia apud Lutherum, adeoque non teneri redire ad Eccleſiam Romanam, nec a Chriſti religione ſecedere?* Hanc doctrinam quantumvis impiam cum Probabiliſmo eſſe conjunctam iterum confitetur Caramuel, cum obſervat pleroſque alios Caſuiſtas ejusmodi;

modi conſequentiam non admittere, hæcque addit: *Vel omnia debent tranſglutire, vel a principali opinione diſcedere*, qua nempe id omne licitum affirmant quod probabile eſt, tametſi falſum.

Atque ne videamur immerito nefarium hoc conſectarium Probabiliſmo tribuere, alterius Caſuiſtæ verba ipſiſſima referemus: Erardus ſcilicet Billius tract. 3. de fide cap. 1. ſic habet: *Sic etiam puer baptizatus, quia fides quam ſuſcepit in Baptiſmo, ſatis non eſt ad profitendam fidem, niſi & proponantur myſteria fidei & explicentur, non peccabit credendo hæreſi ſibi propoſitæ & quam a parentibus edoctus eſt, niſi habeat argumenta convincentia & probabilitatem excludentia ſuæ ſectæ. Quandiu enim probabilis eſt, non peccat eam ſequendo. Quo fit ut multæ puellæ uſque ad vigeſimum annum vix cenſeri poſſint hæreticæ. Quis enim dicet eas non habere argumenta probabilia ſuæ ſectæ: at nemo peccat ſequens opinionem probabilem quantumcumque ad cœnam, ut appellant, accedant*. Quibus, ut puto, in tota re Chriſtiana horribilius & damnoſius fingi poteſt nihil.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies nonnulla Scripturæ loca quæ doctrinæ Probabiliſtarum nonnihil favere videntur, nempe Chriſtus Dominus dicit Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, & S. Joan. Epiſt. 1. cap. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt*. Si enim, inquiunt, ſatis non ſit inter agendum in Moralibus ſequi opinionem probabilem, quæ ſcilicet cognoſcitur ab operante non adverſari Scripturis, ſanctis Patribus, & Canonibus Conciliorum; aliunde vero vel graviſſimorum Doctorum ſuffragio, vel validiſſima ratione innititur; profecto jugum Chriſti non erit ſuave ſed aſperum, onus legis ſimiliter non erit leve, & mandata non modo obſervatu difficilia, ſed & impoſſibilia; aut quia ſententia probabilior nunquam indulget libertati, aut quia ut plurimum inter duas opiniones quæ concurrunt, vix intelligitur quænam ſit altera probabilior.

Reſponderi poſſet primum retorquendo argumentum; ſi enim ex una parte legitur in Scripturis jugum Chriſti ſuave eſſe, legitur ex alia quod dicit ipſe Chriſtus Matth. 7. *Intrate per anguſtam portam; quia lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam: quam anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam!* Sed qui docent licitum eſſe in praxi ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori, latam portam & ſpatioſam viam aperiunt hominibus: hinc enim ſequitur, ut dictum eſt, omnia fere eſſe licita. E contra vero qui docent teneri unumquemque ſequi opinionem probabiliorem relicta minus probabili, arctam viam & anguſtam portam monſtrant hominibus. Quin & hæc leguntur alia in Scripturis. Matth. 11. *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Cap. 12. *De omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die judicii*. Legimus *ſemper orandum*, Lucæ 18. *Faciendos fructus dignos pœnitentiæ*. Lucæ 3. *Inimicos diligendos*, Matth. 5. *Corpus ſuum caſtigandum & in ſervitutem redigendum*, 1. ad Corint. cap. 9. & alia ejuſmodi, quæ manifeſte oſtendunt fucum facere Probabiliſtas, cum præfata Chriſti verba in præſidium ſuæ cauſæ adducunt.

Reſpondeo 2. ex illis & ſimilibus Scripturæ locis nihil poſſe colligi in gratiam opinionum probabilium; cum enim jugum Chriſti dicitur ſuave, non deſinit eſſe jugum; cum onus dicitur leve, non ceſſat eſſe onus; unde ver-

bis

bis & propoſito Chriſti vim faciunt benigniores Probabiliſtæ, cum adeo perniciosam tradiderunt hominibus doctrinam, quæ tot laxitatum in moribus principium eſt & radix, ſic enim jugum Chriſti non reddunt levius, quod omnino confringunt & ab hominum cervice penitus excutiunt hoc ſuo ætatis noſtræ commento, Patribus antiquis & ſacræ Scripturæ Interpretibus plane inaudito; adeo ut cum magno Guigone Carthuſianorum Generali merito exclamare poſſimus, *Apoſtolorum tempora infeliciſſima, o Viros illos ignorantia tenebris involutos & omni miſeratione digniſſimos, qui ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei tam duras vias cuſtodiebant & hæc noſtra compendia neſciebant.*

Conſulamus igitur, ut Theologum decet, veteres Patres ſuper illis Scripturæ teſtimoniis; & profecto videbimus ſuavitatem Evangelicæ Legis ex doctrina probabilitatis non pendere, ſed ex gratia & charitate per quam onus Chriſti longe levius redditur, ejusque mandata obſervatu multo faciliora, ut eleganter docet Auguſtinus Sermone 96. cap. 1. *Durum videtur*, inquit, *& grave quod Dominus imperavit, ut ſi quis eum vult ſequi abneget ſeipſum. Sed non eſt durum nec grave quod ille imperat, qui adjuvat ut fiat quod imperat. Nam & illud verum eſt quod ei dicitur in Pſalmo, (Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.) Et illud verum eſt quod ipſe dixit (Jugum meum leve eſt & onus meum leve eſt.) Quicquid enim durum eſt præceptis, ut ſit lene charitas facit*, & in Pſal. 118. ſuper illa verba, *Quomodo dilexi legem tuam, Domine*, ſic habet, *Sæpe admonuimus laudabilem latitudinem, in qua nullas, cum mandata Dei facimus, patimur anguſtias, intelligendam eſſe charitatem. Propter quod etiam in magno iſto Pſalmo cum ſuperius dixiſſet, latum mandatum tuum valde, in hoc ſequenti verſu oſtendit, unde ſit latum, dicens, Quomodo dilexi legem tuam, Domine; dilectio ergo eſt latitudo mandati.*

Atque id expreſſe docet S. Joannes I. epiſt. cap. 5. ubi catenus gravia non eſſe mandata Dei ſignificat, quatenus ex charitate cuſtodiuntur, *In hoc cognoſcimus*, inquit, *quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus & mandata ejus faciamus. Hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus & mandata ejus gravia non ſunt.* Quo plane modo ſuavitatem Legis Evangelicæ explicat Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. his verbis: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis, cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt & onus leve. Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus, quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt.*

Volunt alii plerique Interpretes Legem Evangelicam appellari jugum ſuave & onus leve per comparationem ad Legem Moſaicam; quatenus nempe in Lege Moſis infinita prope erat præceptorum multitudo, quibus obruebantur Judæi ut ait S. Petrus Act. 15. *Quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod nec Patres noſtri neque nos portare potuimus?* Evangelium vero Chriſti nonniſi pauciora continet mandata, quibus nonniſi neceſſaria ad ſalutem præcipiuntur.

Adde quod, inquit Maldonatus, ſuper citatum Matthæi locum, ſublata ſunt in Evangelio ſupplicia illa graviſſima quæ lex comminabatur, *Dentem pro dente, oculum pro oculo.* Exodi 20. *Lex enim iram operabatur.* Rom. 4. Spiritus legis ſpiritus erat timoris & ſervitutis; *non enim recepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei.* Rom. 8.

Spi-

Spiritus autem Evangelii ſpiritus eſt charitatis; unde volentes aliquando Diſcipulos ignem de Cœlo evocare, ut Samaritanos, qui Chriſtum recipere noluerant, abſumeret, Dominus increpavit, dicens: *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis*, Lucæ 9.

At nullus unquam ex Interpretibus Scripturæ, nullus ex ſanctis Patribus ejusmodi Scripturæ loca, in quibus jugum ſuum ſuave eſſe pronuntiat Chriſtus Dominus, ad iſtam probabilitatis doctrinam revocavit, hac enim arte in poteſtate & arbitrio hominis eſſet addere quicquam vel imminuere de mandatis Domini, poſſet ea quivis pro nutu vel dilatare vel coarctare, quod quidem ne vel facere tentemus, diſtricte prohibet Jus Canonicum 24. qu. 1. ex Auguſtino, *Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro dicentes, Hoc grave, hoc leve eſt; ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis tanquam de theſauris dominicis, & in illa quid ſit gravius, quod levius appendamus; immo non appendamus, ſed a Domino appenſa recognoſcamus*.

Objiciunt nonnulli ex Probabiliſtis auctoritatem ſancti Auguſtini, qui ſatis aperte, inquiunt, Probabiliſmi Patronum ſe exhibuit; cum dixit ſe aliquando perſuaderi ratione probabili ad credendum quod a vero non abhorreat; id autem ſcribit Epiſtola 82. c. 1. quæ eſt ad S. Hieronymum; ubi, cum inquirit utrum Apoſtolus vere an ficte ſolum Antiochiæ divum Petrum reprehenderit, eorumque refellit rationes & momenta qui Petrum nonniſi ſimulate reprehenſum a Paulo exiſtimabant, ſic habet: *Alios ita lego*, inquit, *ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant; non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, mihi perſuadere potuerunt*.

Verum ob id Probabiliſmi perperam accuſatur S. Auguſtinus, quaſi crediderit licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem ſpreta probabiliori; quia nempe ideo teſtatur S. Doctor ſe aliquando moveri probabili ratione ad id credendum quod a vero non abhorreat; quando nec ulla aliunde contraria occurrit dubitandi ratio, nec pro viribus certitudinem & veritatem aſſequi poteſt, quem certe agendi modum, quoniam rectæ rationi maxime conſentaneus eſt, nemo rerum æquus æſtimator unquam increpaverit: hanc porro mentem fuiſſe Auguſtini conſtat.

Primo, quia neutiquam eo loci comparat Auguſtinus rationem minus probabilem cum probabiliori, loquitur ſolum de probabili ratione quæ perſuadere poſſit aliquam ſententiam a vero non abhorrere; teſtatur enim ſe aliis ſcriptoribus præter ſacros fidem adhibere, non præciſe propter illorum teſtimonium, quia falli poſſunt *quantalibet doctrina & ſanctitate præpolleant*, ſed quia ratione probabili ſuam ſententiam confirmant; ubi per rationem probabilem non intelligit opinionem minus probabilem ſtantem in concurſu probabilioris; ſed rationem quæ ſit fortior & probabilior; tum quia eam æquiparat auctoritati Librorum Canonicorum ad veritatem aſſequendam, *vel per auctores Canonicos vel probabili ratione*. Tum quia ſupponit hac probabili ratione veritatem attingi, *quod a vero non abhorreat*. Sed veritatem profecto non aſſequitur quin potius a vero abhorret, quisquis opinionem ſequitur minus probabilem relicta probabiliori; ergo S. Auguſtinus eo loci hanc non approbat Probabiliſtarum methodum, qua opinionem minus probabilem ut tutam in praxi ſequuntur in conflictu probabilioris.

Secundo, quia non uno in loco, ut ſuperius a nobis oſtenſum eſt, abſurdam illam probabilitatis doctrinam rejicit

jicit S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 23. affirmat neceſſarium eſſe hominibus, ſi ſuæ ſaluti velint conſulere, *ut continuis excubent vigiliis, ne eos fallat veriſimilis opinio*. Lib. 2. de Moribus Eccleſiæ c. 3. ait *Oportere omnem hominem quod optimum eſt, ſequi*. Lib. 1. contra Donatiſtas cap. 3. cum damnat peccati mortalis qui dubium Baptiſmum apud Donatiſtas recipit eo neglecto quem in Eccleſia certum conferri novit; idque *ex eo ſolo quod certis incerta proponit*. Denique id aperte conficit libris contra Academicos Probabilitatis veros defenſores. Scilicet exiſtimabant ad vitam rite peragendam ſufficere, ſi ſapiens ſequeretur quod ei veriſimile videretur, *& veritatem vel obrutam latere, vel confuſam non eminere, ſive id eveniret propter naturæ tenebras, ſive propter rerum ſimilitudinem, unde cum agit quiſquis quod ei videtur probabile, nec peccat nec errat*. Quæ quidem ridet refellitque Sanctus Doctor ut abſurdiſſima, quia, ut ait lib. 3. cap. 16. *Optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam viſum fuerit, eſſe faciendum, tantum nulli quaſi vero aſſentiatur, non ſolum ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committat*. Perperam igitur adducitur S. Auguſtinus tanquam opinionum probabilium defenſor & patronus.

Objiciunt inſuper hæc verba S. Leonis M. deprompta ex ejus Epiſtola ſecunda quæ eſt ad Ruſticum, *Sicut quædam ſunt*, inquit, *quæ nulla poſſunt ratione convelli, ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum oporteat temperari: illa ſemper conditione ſervata, ut in his quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id noverimus ſequendum quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis ſanctorum Patrum inveniatur adverſum*. Sed qui ſequuntur opinionem minus probabilem in dubiis & obſcuris, id ſequuntur quod nec Evangelio, nec ſanctis Patribus adverſatur; ergo.

Diſt. maj. in his quæ vel dubia ſunt vel obſcura ſequendum eſt quod nec Scripturis nec Patribus eſt adverſum, & aliunde veriſimilius & probabilius, C. ſi non ſit pars veriſimilior, N. hæc profecto regula morum quam præſcribit S. Leo nequaquam favet Probabiliſtarum doctrinæ; fatemur enim ultro in dubiis & obſcuris id ſequendum eſſe quod nec Scripturis nec SS. Patribus, ut ait S. Leo, *invenitur adverſum*, adhibita ſcilicet matura deliberatione, & poſtquam ſumma ope contendimus, ut certitudinem exploſa omni formidine habeamus & veritatem aſſequamur: ſed non ideo ſequitur licitum eſſe in dubiis amplecti opinionem minus probabilem relicta probabiliori: qui enim hanc metodum uſurpant in controverſiis moralibus, hanc ſuam partem quam ſequuntur, non inveniunt Scripturis & SS. Patribus non eſſe contrariam, id enim examini non ſubmittunt; aut potius non dubitant ſaltem citra culpam, quin illa pars quam ſequuntur ſit præceptis evangelicis & Patribus adverſa; ſequuntur enim opinionem faventem libertati contra præceptum.

Quod autem perperam & immerito inter benignioris iſtius doctrinæ fautores accenſeatur Leo Magnus, manifeſte oſtenditur ex illius ſcriptis; ſic enim loquitur Serm. 5. de Nativit. cap. 1. *Non in ſolo opere virtutum, aut in ſola obſervantia mandatorum, ſed etiam in tramite fidei anguſta & ardua via eſt quæ ducit ad vitam, & magni laboris eſt magnique diſcriminis, inter dubias imperitorum opiniones & veriſimiles falſitates per unam ſanæ doctrinæ ſemitam inoffenſis greſſibus ambulare; & cum undique ſe laquei erroris opponant, omne periculum deceptionis evadere*. Ubi ſupponit in exercendis virtutum operibus & in obſervantia mandatorum arduam

& an-

& anguſtam viam eſſe; ſed in ſyſtemate Probabiliſmi anguſta non eſt via, ſed lata & ſpatioſa; & Sermone 11. de Quadrageſima cap. 4. ait in operibus noſtris penſandum eſſe quid interdicatur, quidve præcipiatur a lege: *Quis fidelium neſciat, quibus virtutibus ſtudere & quibus debeat vitiis repugnare? Quis conſcientiæ ſuæ aut tam gratioſus, aut tam imperitus eſt arbiter, qui ignoret, quid a ſe auferri, aut quid in ſe oporteat augeri? Nemo quippe ita rationis eſt alienus, qui aut converſationis ſuæ non intelligat qualitatem, aut cordis ſui ſecreta non noverit. Non ergo per omnia ſibi placeat, nec ſe ſecundum carnis oblectamenta dijudicet, ſed omnem conſuetudinem ſuam in divinorum præceptorum lance conſtituat, ubi cum alia jubeantur ut fiant, alia interdicantur ut non fiant, juſto ſe trutinabit examine, qui vitæ ſuæ mores ex utriuſque ponderis comparatione penſaverit.*

Objiciunt præterea auctoritatem S. Antonini Archiepiſcopi Florentini qui ſeptuagenarius obiit an. 1459. & parte 1. Summæ tit. 3. cap. 10. ſic habet: *Qui agit ſcienter id de quo dubitat eſſe mortale permanente dubitatione peccat mortaliter, etiamſi illud in ſe non eſſet mortale ſumendo & proprie & ſtricte dubitationem. Sed ſi dubitet leviter quis per modum ſcrupuli, ſicut dubitat, ſeu formidat habens opinionem de aliquo quia ita inhæret ipſi ſententiæ, ut formidet de oppoſito ſic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris & habet rationes probabiles pro ipſa magis quam pro oppoſita opinione; etiamſi ipſa opinio quam tenet non eſſet vera. Et hoc niſi opinio ſumpta eſſet contra manifeſtum teſtimonium Scripturæ, vel determinationem Eccleſiæ: talis enim non operatur in dubio mortalis, ſed ſecundum opinionem probabilem.* Ubi teſtatur S. Antoninus licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, vel etiam unius Doctoris, tametſi eſſet falſa, modo non adverſetur Scripturis ſacris, vel determinationi Eccleſiæ. Unde ſententiam divi Thomæ qui docet illud univerſim eſſe malum quod agitur contra legem, mirum in modum emollit ibidem: *Quod autem*, inquit, *dicit B. Thomas in quodlibeto* 8. *art.* 13. *quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram eſſe veram, & alteram falſam. Si ergo ille qui facit contra opinionem Magiſtrorum, ut puta in habendo plures Prabendas, facit contra veram opinionem, non excuſatur a peccato cum faciat contra legem Dei, quamvis non faciat contra conſcientiam. Hæc enim verba B. Thomæ non poſſunt intelligi de his, ubi manifeſte patet ex Scriptura vel Eccleſiæ determinatione, quod ſit contra legem Dei, & non de illis intelligit, ubi non apparet, alias ſibi contradiceret in eodem libro, quod non eſſet credendum.*

Sed frivole omnino & perperam nobis objiciuntur hæc S. Antonini verba; ut enim ſatis clare ſuam ipſe mentem aperit, loquitur de opinione quæ non modo ſit probabilis, ſed quæ oppoſita probabilior viſa ſit operanti poſt accuratam & diligentem veritatis inquiſitionem; vult enim ad vitandos errores, *Ut quis ſe ad gratiam præparet quantum poteſt, ut ſapientiam invocet per orationem, ut Scripturas diligenter inveſtiget, ut quærat eam quaſi pecuniam, ut adhibeat diligentiam in inquirendo;* hunc vero clariſſimum Caſuiſtam non niſi de opinione probabiliori locutum manifeſte indicant hæc verba: *Sic agendo*, inquit, *contra tale dubium non peccatur dum adhæret opinioni alicujus Doctoris & habet rationes probabiles pro ipſa magis quam pro oppoſita opinione.* Et poſtea: *Notandum*, inquit, *quod cum bona conſcientia poteſt quis tenere unam partem alicujus opinionis & ſecundum eam operari, excluſo ſaltem ſcandalo, quæ ſcilicet pars habeat pro ſe notabiles Doctores, dummodo talis opinio non ſit contra auctori-*

tatem expreſſam Sacræ Scripturæ nec contra determinationem Eccleſiæ Catholicæ, *& quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum; ſed bonam ſibi conſcientiam & credulitatem formet de eo quod credit, tanquam de probabiliori parte*. Quæ quidem adeo clara ſunt, adeo liquida, ut mirum ſit quibuſdam ætatis noſtræ Probabiliſtis ita hoc placuiſſe commentum, ut in partes ſuas invitum plane ac reluctantem traherent S. Antoninum.

Objicit Caramuel in Apologemate de probabilitatibus contra Fagnanum Ep. 4. reſolut. 11. num. 136. hac noſtra ſententia ſceleris accuſari prope innumeras ſummorum Pontificum diſpenſationes, in quibus ſecuti ſunt opinionem minus probabilem relicta probabiliori. Nam, inquit, ea opinio probabilior eſt, quæ docet ſummum Pontificem non poſſe diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis, ut tenet S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 11. & nihilominus fertur diſpenſaſſe Alexander III. cum Juſtiniano Monacho profeſſo, ut a Religioſo ſtatu tranſiret ad nuptias. Rurſus opinio probabilior tenet non poſſe ſummos Pontifices diſpenſare a vinculo matrimonii rati; & nihilominus conſtat in hoc ſæpe eos diſpenſaſſe; quia, ut refert auctor additionum ad Manuale Navarri cap. 28. Pius V. diſpenſavit quater aut amplius, & Gregorius XIII. tredecim ejuſmodi diſpenſationes una die conceſſit. Non poteſt igitur citra magnam ſummorum Pontificum injuriam ea propugnari ſententia, quæ docet non eſſe licitum ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.

Reſpondeo hanc eſſe ſummorum Pontificum mentem & praxim, ut in illa diſpenſationum conceſſione opinionem ſequantur probabiliorem & nunquam minus probabilem; quatenus nempe ſecundum opinionem probabiliorem judicant ſe poſſe valide concedere ejuſmodi diſpenſationes, ſeu quia hoc debitum eſt Sedi Apoſtolicæ, ſeu quia ab Eccleſia in Concilio generali hæc ipſis data fuit poteſtas. Revera id ipſum quod permittunt, ut, v. g. rati matrimonii diſſolutio, licitum eſſe non poteſt ante diſpenſationem ſecundum opinionem & communiorem, & tutiorem, & probabiliorem; ſed quia contendunt ſummi Pontifices ſibi devolutam eſſe diſpenſandi poteſtatem in præfato caſu, idque ſecundum opinionem probabiliorem. Inde fit ut in illa praxi diſpenſationum ſuo exemplo non doceant licitum eſſe & tutum in conſcientia ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.

Hic porro ſapienter monet P. Gonzalez fidem non eſſe adhibendam omnibus declarationibus & reſponſis quæ ſub nominibus ſummorum Pontificum circumferuntur, quæ videlicet ab hiſtoricis leviter interdum ex ſolo auditu referuntur & falſi ſuſpicione non carent, qualis eſt declaratio Gregorii XIII. circa potionem chocolaticam, quaſi expreſſe reſponderit ſummus Pontifex licitam eſſe potionem chocolaticam in die jejunii, ut refert Auguſtinus de Padilla Archiepiſcopus Hiſpaniæ in India Lib. 2. Hiſtoriæ Regni Mexicani cap. 84. quod tamen reſponſum a Gregorio fuiſſe emiſſum negant Leander & Murcia.

Objicies: Cum opinio probabilis ea ſit quæ nititur fundamento gravi & prudenti; qui operatur ſecundum opinionem probabilem, operatur prudenter: Sed qui operatur prudenter, hoc eſt prudenter judicans actionem ſuam eſſe bonam & laudabilem, eo præciſe non peccat; cum enim prudentia ſit certa & proxima actuum humanorum regula, nemo poteſt peccare ſequendo illius dictamen; Ergo qui operatur ſecundum opinionem probabilem, non peccat. Sed qui eligit in praxi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, tunc operatur ſecundum opinionem probabilem; tametſi enim opinio ſit minus pro-

probabilis, eſt tamen abſolute probabilis; quemadmodum homo minus doctus altero, non deſinit eſſe abſolute doctus: quia, ut ajunt dialectici, comparativum arguit poſitivum, minus doctum arguit doctum; minus probabile arguit probabile; ergo is non peccat qui ſequitur opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris.

Huic argumento ut clare ac nitide reſpondeamus, ſupponi debet opinionem probabilem ſic accipi & dici probabilem proprie & omni ſublata verborum æquivocatione, pro ea opinione quæ nititur fundamento gravi & prudenti, ſicut accipitur in hac prima objectionis propoſitione, *cum opinio probabilis ea ſit quæ nititur fundamento gravi & prudenti, &c.* Ex eo enim potiſſimum occurrit difficultas in præſenti controverſia, quod non ſatis inter ſe conſentiunt auctores circa definitionem opinionis probabilis; hac vero præſuppoſita notione opinionis probabilis, quam uſurpant ipſi adverſarii in hac objectione, dico id omne veriſſimum eſſe quod continetur in priori ſyllogiſmo; verum eſt nempe eum operari prudenter qui operatur ſecundum opinionem probabilem, hoc eſt opinionem quæ nititur fundamento gravi & prudenti; verum eſt etiam eum non peccare qui agit prudenter propter rationes in objectione adductas. Sed quod ſpectat ſequentem ſyllogiſmum, dico majorem eſſe manifeſte falſam; falſum eſt videlicet eum operari ſecundum opinionem probabilem, qui agit ſecundum minus probabilem relicta probabiliori.

Et ratio eſt, quia fatentibus adverſariis, ut mox dictum eſt, opinio probabilis eſt ea quæ nititur fundamento gravi & prudenti: Sed implicat opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris niti fundamento gravi & prudenti, debet homo prudenter ſeu judicio prudenti judicare ejuſmodi opinionem eſſe veram: Sed nemo poteſt judicio prudenti judicare opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris eſſe veram; qui enim judicat prudenter opinionem oppoſitam, quæ videlicet probabilior eſt, eſſe veram, profecto non judicat prudenter opinionem minus probabilem eſſe veram; cum enim in præſenti caſu concurrant duæ opiniones contradictoriæ, quarum una eſt vera, ſi altera ſit falſa, utpote cum una affirmet aliquid eſſe licitum, altera vero illud ipſum non eſſe licitum; qui judicat unam opinionem eſſe veram, judicet neceſſe eſt alteram eſſe falſam: ſed cum homo ſtat inter duas propoſitiones contradictorias, quarum una cenſetur minus probabilis & altera probabilior; tunc prudenter judicat opinionem probabiliorem eſſe veram: videt enim fortiora & urgentiora momenta militare pro illa opinione quæ eatenus ab operante cognoſcitur ut probabilior; igitur qui judicat prudenter opinionem probabiliorem eſſe veram, non judicat conſequenter opinionem minus probabilem eſſe veram; adeoque remanere abſolute probabilem.

Nec dicas operantem in illo caſu prudenter judicare poſſe, utramque ſententiam eſſe veram; quatenus nempe utraque opinio habere poteſt momenta quæ impellant ad aſſenſum prudentem, tametſi quæ ſtant ex parte probabilioris ſint fortiora & validiora; ubi enim quis multas opiniones propugnatur ut veras, non ſemper quælibet nititur æquali momentorum pondere. Iſtud, inquam, reſponderi non poteſt ad argumentum propoſitum: Siquidem id ſolummodo verum eſt quando duæ opiniones non ſunt inter ſe oppoſitæ; ita ut veritas unius non importet falſitatem alterius: Porro in iſta hypotheſi duæ concurrunt opiniones ita invicem oppoſitæ, ut veritas unius importet falſitatem alterius; quod enim una affirmat eſſe licitum, altera affirmat eſſe illicitum; Igitur homo ſtans inter ejuſmodi opiniones invicem oppo-

oppoſitas, prudenter judicare non poteſt utramque eſſe veram; adeoque opinio quæ minus probabilis vulgo cenſetur in concurſu probabilioris, non remanet in illo conflictu abſolute probabilis.

Hinc facile intelligitur nihil plane difficultatis ſupereſſe ex comparatione adducta; idcirco enim homo minus doctus altero, eſt abſolute doctus, quia nempe eſſe doctum & eſſe minus doctum non opponuntur contradictorie, quemadmodum opponuntur iſta duo, contractus eſt licitus, quorum ſcilicet unum ſit verum, alterum falſum omnino neceſſe eſt. Quamobrem comparativum tunc arguit ſolummodo poſitivum, quando extrema quæ comparantur non ſunt oppoſita, ſecus vero ſi ſint oppoſita.

Atque id ingenioſe obſervabat olim S. Auguſtinus, ut videre eſt Lib. 3. contra Creſconium cap. 73. ubi nempe hocce in hæretico idem carpit ratiocinium, hæc dixerat Creſconius Donatiſta adverſus Catholicos: *Si enim vos probabilius, nos ergo probabiliter, quia ſic eſt probabiliter & probabilius, ut ſi dicas vere & verius; & quia gradus iſte quod ante poſitum eſt auget, non quod ante dictum eſt, improbat.* Unde colligebat Creſconius doctrinam Donatiſtarum eſſe veram & probabilem, eo quod ſuam ut veriorem & probabiliorem propugnabant Catholici; cui objectioni ſic reſpondet Auguſtinus cap. 74. *Conſidera diligentius, ne forte invenias in Latinæ locutionis auctoribus, quibus Grammaticorum artificialia ſerviunt, non ſemper iſtum gradum quod ante poſitum eſt augere, ſed aliquando contrario ſuperferri; cujus locutionis exemplum interim mihi ex Apoſtoli Epiſtola occurrit quam ſcripſit ad Hebræos; cum enim loqueretur de benedictione terræ quæ accepta pluvia fructum reddit, deinde ſubjecit, (Proferens autem ſpinas & tribulos, reproba & maledictioni proxima eſt, cujus finis in uſtionem) Quod ne illis quidem loquebatur optaſſe videretur, (confiſi ſumus autem, inquit, de vobis, Fratres chariſſimi, meliora & hærentia ſaluti.) Attendis certe, quomodo hic dixerit, meliora, non quia bona erant quæ ſupra dixerat, proferre ſpinas & tribulos & uſtionem mereri; ſed magis quia mala erant, ut illis devitatis meliora eligerent. Quid ſi & ego tanquam dicerem probabiliter comparativum pro poſitivo ponens, non quia vos probabiliter, ſed magis quia improbabiliter; ſicut ille meliora, non quia illa erant bona, ſed magis quia mala; tu quare tam temere concludis, ex hoc confirmaſſe me vos probabiliter, quia dixi nos probabilius.* Ex quibus patet opinionem non ideo eſſe probabilem abſolute quod dicitur minus probabilis reſpectu alterius.

Inſtabis: Illa opinio remanet abſolute probabilis, quæ manifeſte videtur innixa teſtimonio & approbatione multorum Sapientum & Doctorum magni nominis: Atqui plerumque opinio minus probabilis manifeſte videtur ab operante innixa ſuffragio & approbatione multorum Sapientum & Doctorum magni nominis in Eccleſia; Igitur illa opinio remanet abſolute & ſimpliciter probabilis.

Diſt. maj. Si alia & oppoſita opinio non propugnetur ab aliis Doctoribus, vel numero pluribus, vel auctoritate majoribus, C. ſecus, N. porro hæc quidem opinio, quæ dicitur minus probabilis, nititur ſuffragio multorum Sapientum & Doctorum (eſto enim quod non dicatur probabilis ob unius tantum Doctoris ſuffragium, quod etiamnum pauci docent inter Caſuiſtas), ſed & altera ſtat opinio e diametro oppoſita, quæ vel a pluribus longe Doctoribus, vel auctoritate majoribus propugnatur, quæ vel etiam validioribus nititur momentis; ita ut inde ſit altera probabilior, id enim ſupponitur in præſenti controverſia. Quod autem in illo caſu opinio non maneat abſolute & ſimpliciter probabi-

babilis, tametſi fulta nonnullorum Sapientum judicio jam abunde a nobis demonſtratum eſt; ut enim opinio ſit probabilis, niti debet fundamento gravi & prudenti: Sed opinio minus probabilis in concurſu probabilioris non nititur fundamento gravi & prudenti, nemo enim prudenter judicare poteſt licitum eſſe aliquem contractum, eo quod eum ut licitum approbant nonnulli Caſuiſtæ, quando eundem illicitum eſſe tradunt alii plures & majoris auctoritatis validioribus innixi momentis, & quæ ut validiora innoteſcunt operanti; Igitur opinio multorum licet Sapientum ſuffragio innixa, non remanet abſolute & ſimpliciter probabilis in concurſu probabilioris.

Inſtabis: Illa opinio remanet abſolute probabilis, quæ ab operante certo cognoſcitur non eſſe falſa: Atqui iſthæc opinio quæ dicitur minus probabilis in concurſu probabilioris certo cognoſcitur ab operante non eſſe falſa; ſiquidem ea opinio certo cognoſcitur non eſſe falſa, quæ manifeſte intelligitur non adverſari Scripturis ſacris, traditioni Sanctorum Patrum & Decretis Conciliorum: Atqui hæc opinio quæ dicitur a Caſuiſtis Probabiliſmum propugnantibus minus probabilis intelligitur ab operante non adverſari Scripturis ſacris, Doctrinæ SS. Patrum & Decretis Conciliorum, ut ſupponitur in præſenti controverſia; neque enim ullus ex Probabiliſtis docuit unquam opinionem eſſe probabilem, quæ ab operante vel minimum cognoſcitur contraria aut Scripturis, aut SS. Patribus, aut Conciliorum Decretis; Ergo.

Nego min. & ad probat. diſt. min. Intelligitur ab operante non adverſari Scripturis ſacris, Doctrinæ SS. Patrum & Decretis Conciliorum; intelligitur, inquam, ex conſcientia imprudenti & conſequenter erronea, C. ex conſcientia prudenti & vera, N. Cum enim nonnulli auctores affirment eam opinionem quæ dicitur minus probabilis non adverſari Scripturis & Traditioni, contrarium vero doceant alii longe plures validioribus innixi momentis & rationibus, ratio prudentiæ poſtulat ut illud ipſum reputetur Scrituris & Traditioni adverſum, quod tenet opinio minus probabilis. Siquidem imprudens, ne dicam, temeria eſt conſcientia, quæ dictat aliquid eſſe licitum, quod quidem illicitum eſſe longe plura & validiora perſuadent momenta, quin potius impoſſibilis eſt ejuſmodi conſcientia quæ dictet, v. g. contractum aliquem eſſe licitum, quando ab ipſo operante cognoſcuntur majora urgere momenta ſeu intrinſeca, ut aiunt, ſeu extrinſeca quæ perſuadent eundem contractum eſſe licitum & Legi divinæ contrarium; non enim poſſum formare judicium prudens de honeſtate actus, quando mihi compertum fuerit poſt accuratam & diligentem veritatis inquiſitionem adeſſe majora & urgentiora momenta, quæ perſuadeant illum actum eſſe turpem & inhoneſtum: Atqui in iſta hypotheſi operans videt poſt accuratam & diligentem veritatis inquiſitionem urgentiora momenta ad judicandum actionem eſſe illicitam, ut ſupponimus; Ergo prudenter judicare non poteſt ejuſmodi eſſe licitam; vel id ſi judicat, cæcutiat neceſſe eſt, & agat ex conſcientia imprudenti & erronea.

Inſtabis, tametſi veriſimilius ſit hunc contractum eſſe illicitum, & Legi divinæ vel Traditioni contrarium; quia nempe plures auctores docent illum eſſe illicitum, quem pauciores affirmant eſſe licitum: tamen iſtud non eſt evidens & manifeſtum; adeoque non eſt certum: Atqui opinio remanet abſolute & ſimpliciter probabilis, eamque poteſt quivis prudenter ſequi ut tutam & licitam, quandiu non eſt evidens & manifeſtum, adeoque non eſt certum illam eſſe falſam; Ergo licet veriſimilius ſit contractum eſſe illicitum, poteſt tamen quis prudenter & licite illum celebrare.

Ne-

Nego min. ſiquidem opinio probabilis ea eſt quæ nititur fundamento gravi & prudenti (neque enim ab illa definitione, quæ fundatiſſima eſt hac in diſputatione, vel latum unguem diſcedere liceat) atqui licet opinio non cognoſcatur evidenter & manifeſte ut falſa, non idcirco ea nititur fundamento gravi & prudenti, præſertim quando oppoſita eſt veriſimilior, tunc enim, ut fuſiſſime a nobis jam oſtenſum eſt, imprudenter judicatur ut vera, quæ veriſimilius eſt falſa; igitur opinio non remanet abſolute probabilis, licet non cognoſcatur certo & evidenter eſſe falſa. Quamobrem cum paſſim docent adverſarii in humanis actionibus nonniſi probabilitatem neceſſario requiri; id ultro fatemur, modo adſit vera & proprie dicta probabilitas: neque enim, ut mox dicetur, exigimus perfectam certitudinem, qua quis ſciat ſuam actionem eſſe rationi & legi conformem; ſed requiritur ea probabilitas quæ ſit conſpicua & ſincera poſt accuratam veritatis inquiſitionem, & probabilitati partis oppoſitæ abſolute præponderet, qualis certe non reperitur in opinione minus probabili, quando concurrit cum alia probabiliori.

At, inquies, ejuſmodi reſponſio a ſcopo & præſenti quæſtionis ſtatu longe aberrare videtur: conſtat enim opinionem non eſſe probabilem eo præciſe quod vel minimum Legi divinæ, aut SS. Patribus, aut Conciliorum Decretis, aut etiam rationi adverſatur, id fatentur omnes Probabiliſtæ; id ſolum, inquiunt, materia eſt opinionum probabilium, quod nec verum nec falſum certo & evidenter cognoſcitur, quod nec in Scripturis, nec in Decretis Conciliorum definitum manifeſte legitur; ſed in utramque partem agitari ſolet inter Caſuiſtas: quo fit ut operans cognoſcat clare & evidenter, judicetque conſcientia vera & prudenti, eam partem quam ſequitur ſecundum opinionem minus probabilem tuta conſcientia retineri poſſe in praxi.

Reſpondeo nequaquam nos a propoſito quæſtionis ſtatu aberrare, cum dicimus opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris non eſſe abſolute probabilem; quin potius a veritate vehementer alieni ſunt adverſarii, qui tenent opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris eſſe probabilem; quæ tamen in rei veritate non eſt abſolute & ſimpliciter probabilis. Scilicet non ſufficit ad fundandam veram alicujus opinionis probabilitatem, quod ejuſmodi opinio non cognoſcatur manifeſte falſa, & Legi divinæ contrariа; debet enim præterea, ut ſupra dictum eſt, inniti fundamento gravi & prudenti; quod ſane non competit opinioni minus probabili in conflictu probabilioris. Quamobrem argumentum quod proponunt adverſarii, verum quidem eſſet de opinione quæ oppoſitam non haberet probabiliorem, quia nempe in ea hypotheſi quod cognoſceretur non adverſari Scripturis, Patribus & Conciliis, tunc eſſet probabilis nulla nimirum ſtante alia opinione probabiliori; ſed locum habere non poteſt, ubi opinio dicitur probabilis in conflictu probabilioris, ſiquidem id manifeſte implicat.

Inſtabis: Ille non peccat qui ignorat ignorantia inculpabili quid ſit eligendum, quid ſit agendum: ſed qui ſequitur opinionem minus probabilem relicta probabiliori, tunc ignorat ignorantia inculpabili quænam pars ſit verior altera, quid ſit eligendum, quid ſit agendum: ſiquidem ex S. Thoma quæſt. 17. de verit. art. 3. ad 4. *Quando error eſt circa ea quæ quis non tenetur ſcire, ex ſua conſcientia abſolvitur*. Sed qui ſibi proponens duas opiniones oppoſitas, evidenter cognoſcens neutram eſſe legi contrariam & prohibitam, ſi errat, certe errat circa ea quæ non tenetur ſcire; cum enim ſemel judicaverit utramque opinionem eſſe legi & rectæ rationi con-

conformem, non debet ulterius quicquam inquirere; ergo qui ſequitur opinionem minus probabilem, perſæpe ignorat & quidem ignorantia inculpabili, quænam ſit pars potior & verior, & conſequenter eatenus non peccat.

Nego min. Siquidem ea ignorantia culpabilis eſt, quæ facili negotio ſuperari poteſt: ſed ignorantia qua laborat quiſquis opinionem ſequitur minus probabilem relicta probabiliori, neſciens quænam pars ſit altera verior, quænam potius eligenda, facili negotio ſuperari poteſt, ſi nempe ſincere velit attendere ad momenta quæ pro utraque parte militant; ſi velit ſincero animo veritatem inquirere, prout recta ratio poſtulat & prudentia; quia profecto tunc videbit eam potius eligendam eſſe partem, quæ veriſimilior eſt, quæ validioribus nititur momentis, adeoque probabiliorem ſequendam relicta minus probabili.

Quod autem dicunt adverſarii hominem in illa hypotheſi errare circa ea quæ ſcire non tenetur, tam falſum eſt quam quod falſiſſimum; qua enim ex cauſa homo tenetur ab omni peccato abſtinere, & omne peccandi periculum fugere, eadem ſane & tenetur ſincere veritatem inquirere & ad regulas morum reſpicere, ut quod licitum vel illicitum, bonum vel malum, tandem judicare poſſit; ut enim ait doctiſſimus noſter Gerſonius in Regul. Moral. Reg. 1. *Ea quæ tibi præcepit Deus cogita ſemper, quilibet obligatur ſcire illud abſque cujus notitia non poteſt evitare peccatum*. Quid porro pertineat in materia morum ad ignorantiam, an & quatenus excuſet a peccato, paulo uberius infra diſcutietur.

Objicies: Si quid virium haberent præfata ſuperius argumenta, ut evinceretur teneri hominem ſequi opinionem probabiliorem relicta minus probabili, eadem ſane probarent teneri hominem ſequi in praxi partem tutiorem relicta minus tuta; quia in uno peræque ac in altero caſu nimirum & cum ſequitur opinionem minus probabilem, & cum ſequitur minus tutam, exponitur periculo peccandi & agendi conrra legem Dei: atqui tamen, ut ſupra dictum eſt, nemo tenetur ſequi opinionem tutiorem relicta minus tuta, ſed homo ſequi poteſt licite opinionem minus tutam & rigidam, modo altera pars ſit probabilior; ergo.

Nego maj. quia ratio potiſſima propter quam dicimus non eſſe licitum ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, eſt, quia id ſummam arguit in operante imprudentiam & temeritatem: unde ſequitur eum non ſatis caute & provide fugere peccandi periculum, veritatem ſedulo & diligenter non iuquirere, ſaluti ſuæ non ſatis invigilare, & cætera id genus quæ ex primaria illa ratione veluti derivata pendent. Quibus poſitis manifeſta eſt diſparitas inter utrumque caſum: qui enim ſequitur opinionem benignam & minus tutam relicta tutiori & rigidiori, quando poſt adhibitam ſufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, opinio benigna & minus tuta ab eo judicata eſt probabilior; tunc ſane prudenter agere cenſetur, adeoque & licite; unicuique enim licet exequi quod prudenter judicat ſibi licitum eſſe, unde in illa hypotheſi neutiquam exponit ſe peccandi periculo: ſed qui ſequitur opinionem minus probabilem relicta probabiliori, non modo prudenter non ſe gerit, ſed omnino imprudenter & temere: eatenus enim veritatem non amat, legem contemnit, & manifeſto peccandi periculo ſe exponit, ut centies a nobis dictum eſt; igitur non eſt par utrobique ratio inter præfatum utrumque caſum.

Objicit Caramuel in Apologemate num. 283. *Debeo eligere probabiliorem; ergo poſſum eligere minus probabilem*. Probat conſequentiam his verbis: *Debeo ſequi probabiliorem per te: ſed pars quæ docet licere ſequi minus probabilem, eſt*

probabilior, cum ſit omnium fere Theologorum contra paucos; ergo debeo illam ſequi. Certe poſſum, quia poſſum id quod debeo.

Cui argumentum reſpondemus negando minorem, ſcilicet negamus partem quæ docet licere ſequi opinionem minus probabilem, eſſe probabiliorem; ſiquidem, ut manifeſte conſtat ex probationibus ſuperius adductis, hæc noſtra ſententia quæ docet non eſſe licitum ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, eſt longe altera probabilior, utpote quæ pluribus & validioribus innititur fundamentis, tum ex ipſa ratione, tum ex auctoritate & Patrum & ſummorum Pontificum & Theologorum petitis.

Objicies: Subditus & licite poteſt, & ex officio tenetur ſequi opinionem minus probabilem, cum nempe Superiori obtemperat; perſæpe enim contingit ut aliquid præcipiat Superior quod ſubdito ex probabiliori ſententia apparet illicitum: ſit enim, v.g. Religioſus qui ex propria ſcientia & opinione ſibi probabiliori putet licitum non eſſe in die feſto laborare per duas horas, tenetur tamen Superiori aſſenſum præbere judicanti licitum eſſe laborare in die feſto per duas horas, & revera ei obtemperare: Siquidem ea certa eſt in moribus atque indubitata regula teneri ſubditum obedire legitimo Superiori, in iis ſaltem rebus in quibus manifeſte non præcipitur aliquid illicitum; id inter cæteros Patres aperte docet S. Bernardus lib. de præcepto & diſp. cap. 9. *Sive enim Deus*, inquit, *ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit; pari profecto obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo... Nam de præpoſitis certum tenemus ipſius veritatis teſtimonium, ſic loquentis ad ipſos, (Qui vos ſpernit, me ſpernit)..... Quamobrem quicquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendum eſt, quam ſi præcipiat Deus. Quid enim intereſt, utrum per ſe an per ſuos miniſtros, ſive homines, ſive Angelos hominibus innoteſcat ſuum placitum Deus? Sed homines, inquit, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda & in præcipienda fallere poſſunt. Sed enim quid hoc refert tua cui conſcius non es? præſertim cum teneas de Scripturis (quia labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam & legem ex ore ejus requirunt, quia Angelus Domini exercituum eſt) Requirunt, dixerim, legem, non quam vel authentica ulla Scriptura tradiderit, vel ratio manifeſta probaverit (de hujuſmodi quippe nec præceptor expectandus nec prohibitor auſcultandus eſt) ſed quod ita latere aut obſcurum eſſe cognoſcitur, ut in dubium venire poſſit, utrumnam Deus ſic an aliter forte velit, ſi non de labiis cuſtodientibus ſcientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur. A quo denique alio divina conſilia requirentur quam ab illo cui credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei? Ipſum proinde quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his quæ aperte non ſunt contra Deum, audire debemus.* Igitur interdum homo licite poteſt ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.

Diſt. ant. Subditus & licite poteſt, & ex officio tenetur ſequi opinionem minus probabilem, cum Superiori obtemperat, in ſenſu diviſo, hoc eſt, ſi opinio quæ viſa eſt ſubdito minus probabilis, ipſi poſt acceptum a Superiore præceptum appareat probabilior, C. in ſenſu compoſito, ſi nempe hæc opinio etiam poſt præceptum Superioris adhuc judicetur a ſubdito minus probabilis, oppoſita vero probabilior, N. Scilicet contingit nec raro, ut quæ opinio erat minus probabilis ſubdito ante Superioris præceptum, fiat poſtea & conſequenter ad illius præceptum probabilior, quia nimirum auctoritas Superioris qui vices Dei tenet erga ſubditum, ſufficienter ipſum movet ex regulis obedien-

tiæ

tiæ ad judicandum id eſſe licitum, quod antea judicabatur illicitum; quo quidem in caſu poterit ſubditus ſequi opinionem minus probabilem, hoc eſt, quæ erat minus probabilis ante præceptum Superioris, ſed inde neutiquam ſequitur ſubditum ſequi poſſe opinionem minus probabilem ex judicio practico cognitam ut minus probabilem relicta probabiliori, hoc eſt, retinendo opinionem ſuam ac judicium quo probabilius exiſtimabat rem illam eſſe contra præceptum divinum; ſic enim certiſſime peccaret ſubditus agendo contra conſcientiam propriam.

Quamobrem cum a Superiori aliquid præcipitur ſubdito, quod iſti veriſimilius apparet illicitum; vel iſtud illi certo & manifeſte conſtat malum eſſe & legi contrarium, vel ſolummodo ex aliqua opinione id judicat, ut vulgo accidit, cum in dubia quadam materia diſſident inter ſe Doctores Catholici; ſi primum, profecto Superiori non tenetur obedire, ut fatentur omnes; ſi ſecundum, tenetur ſubditus obedire Superiori, ſed & ſimul debet deponere judicium quo judicabat rem illam eſſe malam, idque propter auctoritatem Superioris, cujus ſequi debet mentem & judicium præſumens eum recta præcipere, qui nempe, ut ait S. Bernardus loco mox citato, vices Dei gerit in ſuo regimine. Unde ſequitur ſubditum eatenus non ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori; quandoquidem opinio, quæ ante præceptum Superioris erat minus probabilis, evadit poſtea probabilior.

Atque adeo verum eſt iſtam objectionem ab adverſariis perperam nobis obtrudi, ut contra in eorum ſententiam manifeſte labefactetur obedientia Superioribus debita; ſiquidem ſubditus hac Probabiliſtarum doctrina imbutus non tenebitur obedire Superiori præcipienti rem, de qua extant contrariæ opiniones probabiles, quia nempe in eorum principiis poteſt alterutram opinionem tuto ſequi, utpote quæ ſit abſolute & ſimpliciter probabilis.

Objicies: Poteſt Confeſſarius contra propriam opinionem abſolvere pœnitentem detentum opinione probabili, quam ipſe Confeſſarius minus probabilem judicat; tunc, inquam, poteſt ac debet prudenter Confeſſarius propriam opinionem contemnere & conformare ſe opinioni pœnitentis quam novit eſſe graviorum Doctorum ſententiam; id aperte docent Adrianus Tract. de Confeſſ. q. 5. dub. 7. Navarrus in Manuali cap. 26. Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. Victoria in Summa de Confeſſ. num. 177. & alii. Et ratio eſt quia injuſtum foret, v. g. in Confeſſario, ſi peculiari opinione credens aliquem contractum eſſe illicitum, pœnitenti denegaret abſolutionem, eo quod vellet ejuſmodi contractum inire, quem ipſe pœnitens exiſtimaret eſſe licitum ſecundum opinionem longe probabiliorem, nimirum ob auctoritatem Doctorum manifeſte præponderantem auctoritati Confeſſarii, & propter rationes quæ citra præoccupatum judicium ei viſæ ſunt urgentiores. Adde quod ſi in illo caſu pœnitenti abſolutionem deneget Confeſſarius, neceſſe erit ut pœnitens agat ſecundum opinionem minus probabilem, videlicet ſecundum opinionem quæ dictat illicitum eſſe præfatum contractum; unde ſequitur hominem poſſe licite ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.

Reſpondeo negando majorem, & dico Confeſſarium nec licite poſſe nec debere pœnitenti abſolutionem dare contra propriam opinionem; tum quia generatim loquendo nemo poteſt agere propria reclamante conſcientia; ſed in illo caſu ageret Confeſſarius propria reclamante conſcientia, opinionem enim pœnitentis ſuæ contrariam ſequeretur; tum quia Sacerdos tunc agit ut Judex,

abſolutio eſt adinſtar actus judicialis quo a Sacerdote velut a Judice ſententia pronuntiatur : Atqui Judex non debet proferre ſententiam juxta opinionem minus probabilem relicta probabiliori ; tunc enim ageret ſecundum opinionem quam judicaret eſſe falſam , ut oſtendimus; igitur licite non poteſt Confeſſarius contra propriam opinionem abſolvere pœnitentem utentem opinione probabili, quam ipſe Confeſſarius judicat minus probabilem.

Ex iis porro omnibus abunde demonſtratis nonnulla conſectaria manifeſte colligi poſſunt.

Ac primo quidem ſequitur nunquam eſſe licitum homini ſequi in praxi ſententiam quantumvis cenſeatur maxime probabilis, quatenus multis innititur rationibus & graviſſimorum Doctorum auctoritate , ſtatim atque oppoſita probabilior eſt , quia nempe huc recurrunt momenta omnia quæ fuſe a nobis deducta ſunt ; ſcilicet in illa hypotheſi operans deliberate faceret rem malam & illicitam ; in hoc ſuo operandi modo imprudenter omnino ſe gereret ; manifeſte ageret contra conſcientiam & judicium practicum evidenter dictans eſſe prohibitam; humano modo & quantum poſſe veritatem non inquireret , non ſectaretur, & cætera id genus.

Colligitur ſecundo quid homini agendum ſit, cum ipſi proponuntur duæ opiniones contrariæ æque probabiles.

1. Enim certum eſt intellectum neceſſario manere dubium in ejusmodi occurſu duarum opinionum inter ſe oppoſitarum æque probabilium , ut aperte docet S. Thomas quæſt. 14. de verit. art. 1. bis verbis: *Quandoque intellectus noſter non inclinatur magis ad unum quam ad aliud , vel propter defectum moventium , ſicut in illis problematibus , de quibus rationes non habemus ; propter apparentem æqualitatem eorum quæ movent ad utramque partem , & iſta eſt dubitantis diſpoſitio qui fluctuat inter duas partes contradictionis* . Et ratio eſt quia nequidem ex imperio voluntatis intellectus aſſentiri poteſt uni parti potius quam alteri, quando una pars non eſt verior altera ; intellectus enim nullam habet aliam rationem ſui aſſenſus motivam quam veritatem ipſi apparentem : Sed quando proponuntur duæ opiniones contrariæ æquæ probabiles , una non apparet verior altera, ut per ſe patet; neceſſe eſt igitur intellectum manere dubium in occurſu duarum opinionum æque probabilium.

2. Cum ex illis duabus opinionibus oppoſitis æque probabilibus una eſt rigida , favens præcepto , & affirmans aliquid non eſſe licitum , altera vero benigna indulgens libertati, & affirmans aliquid eſſe licitum , dico intellectum tunc aſſentiri non poſſe opinioni benignæ, quia nemo poteſt eligere opinionem in praxi, niſi formato prius judicio practico quo judicet licite ſe poſſe talem actionem exercere ; ut enim ait Apoſtolus ad Rom. 8. *Quod non eſt ex fide* , id eſt , quod non eſt ſecundum dictamen conſcientiæ, *peccatum eſt*: Atqui homo in occurſu duarum opinionum æque probabilium, ſincere & judicio practico judicare non poteſt ſibi licitum eſſe ejusmodi actionem exercere; ergo in occurſu duarum opinionum æque probabilium in praxi eligere non poteſt opinionem benignam.

Quapropter quivis ſaluti ſuæ conſulens in præfato caſu conſtitutus debet in praxi agere ſecundum opinionem rigidam, quæ affirmat rem eſſe illicitam, relicta benigniori. Siquidem juxta conſtantem Juris regulam traditam in cap. *Ad audientiam* , & cap. *Significaſti* de homicidio , & cap. *Juvenis* de Sponſalibus , *in dubiis tutior pars eligenda* : atqui in concurſu duarum opinionum æque probabilium, in dubio proprie ſuſpenſus manet intellectus ; aliunde vero pars rigidior quæ favet præcepto contra libertatem, & quæ affirmat rem eſ-

ſe illicitam, eſt longe tutior altera benigniori quæ indulget libertati, & affirmat rem eſſe licitam; Igitur in concurſu duarum opinionum æque probabilium homo tenetur ſequi opinionem rigidam ſpreta benigniori.

Colligitur tertio quam falſum & in moribus periculoſum ſit eorum ſyſtema, qui contendunt aliquam opinionem libertati faventem contra præceptum eſſe probabilem, adeoque tutam in praxi, ſtatim atque unius tantum Doctoris ſuffragio innititur, quantumvis oppoſita longe plurium teſtimonio munita ſit, præterquamquod enim homo in illo caſu imprudenter & temere agit, ſequendo opinionem neutiquam probabilem, ut non ſemel dictum eſt; inſuper conſequens eſt infinitas prope approbari & introduci laxitates tanquam licitas, quæ tamen vel nominari non poſſunt inter Chriſtianos: id omne ſcilicet licitum erit & tutum in praxi, quod unus tenuit Caſuiſta; poterit quivis mortem patris exoptare ad percipiendam ejus hæreditatem; poterit actor aut reus occidere Judicem ſi ab eo iniquam timeat ſententiam; poterit Judex in cauſa ſibi dubia & ancipiti ab uno ex litigantibus pecuniam accipere, & cætera id genus vel longe monſtroſiora quæ ab uno aut altero e Caſuiſtis tradita ſunt. Atque non modo unius Doctoris ſuffragium non ſufficit ad reddendam aliquam opinionem probabilem; ſed nec ſatis eſt, ſi eadem opinio quatuor, ſex, decem vel viginti Doctorum calculo munita ſit, quando oppoſita vel majori teſtium numero, vel urgentioribus ſtabilitur momentis; quia nempe in his noſtris principiis opinio, quæcumque tandem illa ſit, deſinit eſſe probabilis, cum alia concurrit oppoſita, quæ operanti apparet probabilior.

An liceat aliquando operari ſecundum opinionem probabilem.

HActenus atque, ut puto, invicte demonſtratum eſt nemini licitum eſſe ſequi in praxi opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris; & in hoc falſa mitiorum Caſuiſtarum ſeu Probabiliſtarum principia valide confutavimus; ſed ne quis nos plus æquo rigidæ perperam ſententiæ inſimulet, oſtendemus id non ita accipiendum eſſe, quaſi non liceat aliquando operari ſecundum opinionem mere probabilem, & requiratur ut operans certo & firmo judicio omnem excludente formidinem judicet actionem eſſe honeſtam.

Extremam hanc ſententiam & laxitatibus in materia probabilitatis e diametro oppoſitam tradiderunt ſuperiori ſæculo nonnulli recentiores, qui quidem in mitiores Probabiliſtas crude nimis & acerbe invecti docuerunt ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficere ullam opinionem probabilem; ita Joannes Sinnichius libro cui titulus *Saul ex-Rex*, ubi diſerte ſcribit *opinari nunquamnon vitioſum eſſe, nunquamnon inordinatum, nunquamnon naturæ rationali diſſentaneum ac malum ... Non licet*, inquit, *ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*.

Idem ſenſit Willelmus Wendrokius in notis ad Epiſtolam quintam e Provincialibus, ubi generaliter pronuntiat eum certiſſime peccare qui contra veram opinionem agit, tametſi eam probabilem & oppoſita probabiliorem exiſtimet; hanc doctrinam duplici potiſſimum fulcit fundamento, ſcilicet quia quicquid contra legem Dei eſt, peccatum eſt, etiamſi ignoretur eſſe contra legem, & quia ad honeſtatem actionis requiritur, ut operans judicio certo non probabili tantum judicet illam eſſe legi conformem. Sed quia primum iſtius ſeverioris, ut puto, ſententiæ fundamen-

mentum paulo poſt examinaturi ſumus, ubi de ignorantia invincibili & voluntaria inſtituemus controverſiam ; nunc paucis de poſteriori dicemus , miſſa in deliberationem quæſtione , an ſcilicet ad honeſtatem actionis ſufficiat ut pars quæ eligitur ab operante, appareat ipſi probabiliter vera , & oppoſita probabilior, vel contra requiratur judicium certum ab omni formidine liberum , &, ut ajunt, mathematica & perfecta certitudo , qua ſciat actionem eſſe honeſtam & legi conformem.

Conclusio.

Ut quis licite operetur & ſine peccato non requiritur ut perfectam certitudinem habeat de veritate ſententiæ quam ſequitur ; ſufficit certitudo moralis , adeoque poteſt in ſecuritate conſcientiæ ſequi opinionem mere probabilem, modo ſit oppoſita probabilior, poſt accuratam & diligentem veritatis inquiſitionem.

Id primum manifeſte innuunt Scripturæ ſacræ Deuteronomii 17. Judaico populo præcipit Deus, ut Judicum & Sacerdotum ſententiam ſequatur in dubiis & arduis: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem , cauſam & cauſam , lepram & non lepram , & Judicum inter portas tuas videris verba variari ; ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus : Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis , & ad Judicem qui fuerit illo tempore , quæreſque ab eis qui judicabunt tibi judicii veritatem . Et facies quandocumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus , ſequeriſque ſententiam eorum .* Porro certum non eſt hunc locum accipi debere de ſupremo Eccleſiæ Tribunali, ſed intelligi facile poteſt de privatis Sacerdotibus, quorum judicium non eſt omnino infallibile ; quod tamen quivis non modo poteſt, ſed & ex mandato Dei tenetur ſequi.

Favet præterea quod paſſim in iiſdem Scripturis legitur aut parum aut nihil oneris eſſe in obſervatione legis Evangelicæ, Matth. 11. cap. *Jugum meum ſuave eſt , & onus meum leve ;* & I. Joan. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt .* Sed ſi homo non poſſet operari ſecundum opinionem probabilem , nec ſufficeret certitudo moralis de honeſtate actionis , profecto humeris hominum imponeretur onus quod portare non poſſent , quia non niſi raro occurrit inter agendum in moralibus ejuſmodi certitudo mathematica ; ergo licitum eſt ſequi opinionem mere probabilem, ſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem appareat operanti veriſimilior quam oppoſita.

Eandem ſententiam ultro amplexi ſunt celeberrimi Theologi & Caſuiſtæ inhærentes hac in parte veſtigiis Sanctorum Patrum, ita D. Thomas 2. 2. q. 70. art. 2. in corpore articuli probat duorum vel trium teſtium aſſertionem in omni judicio ſufficere: *Reſpondeo dicendum*, inquit, *quod ſecundum Philoſophum in primo Ethicorum , certitudo non eſt ſimiliter quærenda in omni materia ; in actibus enim humanis , ſuper quibus conſtituuntur judicia & exiguntur teſtimonia , non poteſt haberi certitudo demonſtrativa eo quod ſunt circa contingentia & variabilia : Et ideo ſufficit probabilis certitudo , quæ ut in pluribus veritatem attingat , & ſi in paucioribus a veritate deficiat . Eſt autem probabile quod magis veritatem contineat dictum multorum quam dictum unius .* Idem quodlibeto 8. art. 13 *Si aliquis*, inquit, *adhibens diligentiam , inquirens an habere plures præbendas ſit licitum , nec invenit aliquid quod ipſum moveat ad hoc quod ſit illicitum , videtur quod ſine peccato plures poſſit habere præbendas* . Quæ verba, quoniam apertiſſima ſunt, nulla egent explicatione.

Idem docet illuſtriſſimus Gerſonius Academiæ Pariſienſis Cancellarius Tractatu de Præparatione ad Miſſam, Conſid. 3. his verbis: *Si quis oppoſuerit quod dubitans de aliquo an ſit illicitum, & ſtante dubio illud agens peccat, quia diſcrimini ſe ſcienter objicit. Reſpondeo cum Altiſſiodorenſi regulam hanc magiſtralem intelligendam eſſe de dubio tali quod eſt vehemens, & magis aut ſaltem æque inducit mentem credere quod eſt mortaliter illicitum, ſicut quod eſt licitum: Secus eſt, ubi mens plus inclinatur & judicat quod eſt licitum quam illicitum; quamvis non habeat uſquequaque certitudinem evidentem aut fixam, quia nec hoc ipſum requiritur*. Ex quo loco perſpicuum eſt idem ſenſiſſe Guillelmum Altiſſiodorenſem Epiſcopum.

Et rurſus Gerſonius idem part. 2. de Contrac. propoſ. 13. *Probabilis certitudo*, inquit, *ſufficit in moralibus, ut non exponat ſe quis periculo, ut dicunt Doctores de celebrante Miſſam & ſimilibus, ubi requiritur ſtatus gratiæ, quod ſufficit probabilis conjectura; quia certitudo alia ſine revelatione non habetur, prout in moralibus dicit Ariſtoteles, ſumendam eſſe certitudinem groſſe & figuraliter, quæ certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad iſtam vel ad aliam, quod ſufficit*. Ex quibus ſequitur non requiri perfectam certitudinem, vel ut ait Cancellarius, uſquequaque evidentem aut fixam, qua cognoſcatur quid liceat necne, ſed in ſecuritate conſcientiæ ſufficere certitudinem moralem.

Sequitur S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus qui eadem pene verba Gerſonii exſcribit part. 1. Summæ tit. 3. cap. 10. *Notandum*, inquit, *ſecundum Cancellarium quod certitudo quæ requiritur in materia morali, non eſt certitudo evidentiæ, ſed probabilis conjecturæ. Et pro hujus declaratione ſciendum quod triplex eſt certitudo, una ſupernaturalis, alia naturalis, tertia civilis ſeu moralis... tertia certitudo ſcilicet moralis tangitur una cum præcedenti in principio Ethicorum; ubi dicitur quod diſciplinati eſt in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ: æque enim vitioſum eſt perſuadentem quærere mathematicum, & moralem demonſtrantem. Non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis groſſis & figuralibus magis ad unam partem quam ad aliam ſe habentibus. Dicitur autem probabile quod pluribus & maxime ſapientibus apparet verum. Ex his igitur ſequitur quod in humanis agibilibus quæ tantam habent varietatem, teſte Ariſtotele & experientia, ſufficit talis certitudo quæ non ſemper ſcrupulos omnes abjiciat, ſed ſufficit ut contemnat ſeu ſuperet eos. Ad quod etiam optime facit illud Leonis Papæ dicentis, in his quæ dubia fuerint aut obſcura, id noverimus ſequendum quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum invenitur adverſum, diſt. 14. cap. Sicut quædam. Iſta autem certitudo moralis colligitur ex uno trium modorum, videlicet ex alterius auctoritate; quod pertinet ad incipientes, qui ſcilicet erudiuntur per alios in doctrinis; & addiſcunt, & obediunt, juxta illud Deuter. 14. (Interroga patrem tuum & annuntiabit.) Secundus modus eſt ex propria eruditione quod congruit proficientibus ſtudendo in Scripturis, juxta illud Proverb. 27. (Stude ſapientiæ, Fili mi) Tertius modus ex circumſpectione circunſtantiarum, & hoc quoad perfectos*. Quibus ſane nihil ad rem noſtram illuſtrius afferri poteſt. Mitto cæteros recentiores qui ſententiæ divi Thomæ hac in parte ultro aſtipulati ſunt.

Atque ad hujus veritatis confirmationem accedit indubitata hæc & inconcuſſa juris regula, *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit*. Inde enim manifeſte ſequitur id abſolute permitti ut lici-

licitum quod pro vero habetur, quod vero ſimilius apparet omnibus mature conſideratis & poſt diligentem veritatis inquiſitionem *in obſcuris*, adeoque quando perfecta certitudine omnem excludente formidinem non cognoſcitur quid ſit agendum, quid eligendum, ut ſcribit Fagnanus jam citatus in ſuo Tractatu de uſu opinionum probabilium ad caput *Ne innitaris*.

Inſuper Alexander VIII. Papa anno 1690. 7. Decembris in Congregatione generali ſanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis damnavit unam ac triginta propoſitiones, *tanquam temerarias, ſcandaloſas, & male ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas & hæreticas reſpective*, quarum tertia ordine eſt iſta: *Non licet ſequi opinionem probabilem vel inter probabiles probabiliſſimam*. Unde ſequitur manifeſte ex Decreto Alexandri VIII. poſſe quemvis in praxi & in ſecuritate conſcientiæ ſequi opinionem mere probabilem, modo ſit oppoſita probabilior, adeoque non requiri perfectam certitudinem vel evidentiam veritatis, quæ ſit extra omnem formidinem poſita, ut volunt adverſarii.

Nec eſt quod dicatur legitime non inferri ex illius propoſitionis condemnatione, poſſe hominem aliquando ſequi ſententiam faventem libertati adverſus legem, quamvis non ſit omnino certus de ipſius veritate; in quantum hæc propoſitio: *Non licet ſequi opinionem probabilem vel inter probabiles probabiliſſimam*, damnata a ſummo Pontifice non exprimit opinionem minus tutam vel faventem libertati contra legem; proindeque ſatis eſſe, ſi ex illa cenſura colligatur hæc affirmativa propoſitio, *licitum eſt ſequi opinionem probabiliſſimam quando non pugnat contra legem*. Sed nihilominus ego quidem exiſtimo ex illa ſummi Pontificis cenſura recte colligi licitum eſſe ſequi omnem opinionem mere probabilem; quo ſenſu id propugnamus, hoc eſt, licet certo perfecta certitudine non cognoſcatur ejuſmodi opinionem eſſe legi conformem, 1. Quia præfata propoſitio accipi debet in ſenſu obvio & naturali; ſed ſenſus obvius & naturalis hujus propoſitionis condemnatæ, *Non licet ſequi opinionem probabilem vel inter probabiles probabiliſſimam*, manifeſte indicat requiri in omnibus actibus humanis certitudinem & evidentiam de honeſtate actionis, ut per ſe patet; ergo ſummus Pontifex hoc ſenſu cenſura notavit iſtam propoſitionem; 2. Nihil opus erat ut Alexander VIII. declararet licitum eſſe ſequi opinionem probabiliſſimam, *quando non pugnat contra legem*. Siquidem iſtud nemo unquam revocavit in dubium; unde præfata cenſura fuiſſet omnino inutilis.

Denique & hæc noſtra ſententia nonnullis rationibus efficaciſſimis confirmamari poteſt.

Prima ratio eſt, quia poteſt quivis tuta conſcientia facere quod prudenter judicat eſſe licitum; prudentia quippe in Moralibus eſt prima honeſtatis regula, quæ vera cum ratione dictat quid ſit agendum, quidve fugiendum. Sed qui ſequitur opinionem probabilem quam aperte videt oppoſita probabiliorem, tametſi certo perfecta certitudine non cognoſcat illam eſſe veram & legi conformem, in illo tamen caſu agit prudenter, & prudenter judicat actionem eſſe licitam; tunc enim prudenter judicat operans aliquam actionem eſſe licitam, quando poſt ſinceram & accuratam veritatis inquiſitionem fortiora & urgentiora ipſi ſuppetunt momenta ad judicandum illam eſſe licitam, quam ad judicandum eſſe illicitam: Atqui in iſta hypotheſi fortiora & urgentiora operanti ſuppetunt momenta ad judicandum actionem eſſe licitam, quam ad judicandum illam eſſe illicitam; ex hypotheſi enim opinio quæ dictat rem eſſe licitam, eſt probabi-

babilior oppoſita quæ minus eſt probabilis, & quam operans tunc prudenter contemnere poteſt, quia comparata cum probabiliori nullius eſt ponderis, & operans in iisdem videtur poſitus circumſtantiis ac ſi unica ipſi proponeretur opinio probabilis; ergo prudenter judicare poteſt ejusmodi actionem eſſe licitam, adeoque licite ſequi poteſt opinionem mere probabilem.

Secunda ratio eſt, quia, ut jam diximus, non tenetur homo ſemper ſequi opinionem tutiorem, cum nempe oppoſita ipſi apparet probabilior, aliter enim qui commiſit peccatum mortale, teneretur ſtatim illud in Sacramento Pœnitentiæ confiteri, iſtud enim longe tutius eſt; ſimiliter nemo poterit licite plura Beneficia Eccleſiaſtica ſimul poſſidere etiam cum diſpenſatione ſummi Pontificis, tutius eſt enim unicum retinere, & cætera id genus: Atqui, ſi non licet homini ſequi opinionem mere probabilem, donec certus ſit perfecta cetitudine de veritate iſtius opinionis, profecto tenetur ſemper ſequi partem tutiorem, nec poteſt ſequi minus tutam, tametſi oppoſita probabiliorem; plerumque enim homo non eſt certus ejusmodi certitudine perfecta omnem excludente formidinem de veritate ſententiæ benignioris & minus tutæ; ergo licite & tuta conſcientia ſequi poſſumus in praxi opinionem mere probabilem, modo ſit oppoſita probabilior.

Tertia ratio eſt, quia ſententia adverſariorum ſecum affert onus nimis grave & ſupra hominum fragilitatem longe poſitum; in controverſiis enim moralibus, in quibus plerumque diſſident inter ſe Doctores, difficillimum eſt ac pene impoſſibile veritatem certo & evidenter cognoſcere ea certitudine quæ nullam relinquat in mente formidinem, quia nempe pro utraque parte viciſſim militant & validiſſimæ rationes & plurimorum Doctorum ſuffragia; quo fit ut niſi liceat in illo caſu eligere quod probabilius eſt, onus imponatur hominibus quod portare non poſſunt, nec unquam in tuto ſit conſcientia, certitudinem quæritans & non inveniens, quod valde improbavit olim clariſſimus noſter Gerſonius lib. 4. de Vita ſpirituali lect. 4. coroll. 10. ubi ait *nimiam in opinionibus rigiditatem plus fidelium animabus nocere quam prodeſſe*.

Quarta denique ratio eſt, quia in illa ſententia inutile omnino redditur ſtudium Theologiæ moralis, fruſtra in legendis & examinandis cum Patrum tum recentiorum Caſuiſtarum placitis inſudant Doctores: raro enim argumenta poterunt afferre quæ omnibus videri poſſint certiſſima & demonſtrativa; quapropter in uſu poſitum eſt apud Caſuiſtas, ut interrogati an aliquid ſit licitum vel illicitum, reſpondeant non ſemper quod certiſſimum eſt, ſed quod veriſimillimum ipſis apparet poſt accuratam & diligentem veritatis inquiſitionem: Unde perſæpe definiunt licitum eſſe ſequi ſententiam minus tutam, quando auctoritate & ratione apparet probabilior, tametſi non ſit certa perfecta certitudine omnem excludente formidinem. Præterea hoc ipſo omnis conſultatio de re controverſa eſt plane inutilis; qui enim Doctores conſulit, v. g. an contractus aliquis ſit licitus necne; novit plerumque diſſidere ſuper ea re Doctorum ſententias, nec prudenter ſperare poteſt fore ut certa ſibi reddatur alterutra opinio; unde non quærit quid abſolute certum ſit nullo ſupereſtite ſcrupulo, ſed quid veriſimilius ſit; igitur in actibus humanis requiritur non ejusmodi certitudo perfecta, &, ut aiunt, mathematica, ſed ſufficit certitudo moralis.

Objicies: S. Auguſtinus lib 6. de Utilitate credendi cap. 11. docet omnem opinionem eſſe vitioſam: *Tria ſunt*, inquit, *velut finitima ſibimet in animis homi-*

hominum diſtinctione digniſſima intelligere, *credere*, *opinari : quæ ſi per ſe ipſa conſiderentur*, *primum ſemper ſine vitio eſt*, *ſecundum aliquando cum vitio*, *tertium nunquam ſine vitio*, & paulo poſt : *Quod intelligimus igitur*, *debemus rationi : quod credimus*, *auctoritati : quod opinamur*, *errori :* Ergo nemini licet operari qui perfectam non habeat ſcientiam de veritate ſententiæ quam ſequitur; nec ſufficit certitudo moralis quæ nonniſi ad opinionem pertinet.

Diſt. ant. Sanctus Auguſtinus docet omnem opinionem eſſe vitioſam, ſi opinio ſumatur in malam partem pro errore, C. ſi ſumatur in bonam partem, pro aſſenſu probabili, N. ſcilicet aliquando apud Auguſtinum, ut & apud Academicos opinio ſumebatur in malam partem, pro eo animi habitu quo quis fallacibus & probabilibus tantum rationibus firmum omnino & formidinis expertem aſſenſum præbet & ſic ſcire ſe putat quod revera neſciat; quo ſenſu conſtat opinionem ab Academicis accipi ſolitam. Atque non alio ſenſu vocem *opinionis* uſurpatam a Sancto Auguſtino perſpicuum eſt ex eodem loco, *opinari*, inquit, *duas ob res turpiſſimum eſt*, *quod & diſcere non poteſt*, *qui ſibi jam ſe ſcire perſuaſit*, *ſi modo illud diſci poteſt*, *& per ſe ipſa temeritas non bene affecti animi ſignum eſt*. Ubi nempe *opinari eſt* cum te ſcire putas quod revera neſcias. Paulo ante dixerat : *Tria ſunt hominum genera profecto improbanda ac deteſtanda : Unum eſt opinantium*, *id eſt*, *eorum qui ſe arbitrantur ſcire quod neſciunt*. Quæ ſcilicet opinantium temeritas eo nomine culpari debet, quod ab inquirenda veritate homines certo retrahit. Verum in præfatis locis *opinionem* non accipit Auguſtinus ad ſenſum Scholaſticorum pro aſſenſu imbecillo ſeu minus firmo qui ortus ſit ex probabilibus tantum momentis; is enim capite ſequenti docet debere nos in humana ſocietate credere quæ ſciri non poſſe confitemur : *Quæro enim*, inquit, *ſi quod neſcitur credendum non eſt*, *quomodo ſerviant parentibus liberi*, *eoſque mutua pietate diligant*, *quos parentes ſuos eſſe non credant* ...... *credimus tamen & ſine ulla dubitatione credimus quod ſciri non poſſe confitemur* ...... *multa poſſunt afferri quibus oſtendatur nihil omnino humanæ ſocietatis incolume remanere*, *ſi nihil credere ſtatuerimus*, *quod non poſſumus tenere perceptum*.

Objicies : Ille peccat qui actionem ſuam regulæ ambiguæ committit : *In hoc enim exponitur periculo peccandi*, inquit Cajetanus in ſummula ſua, verbo, opinione uti, *& ſi de peccato mortali agitur*, *conſtat eſſe peccatum mortale*, *ſcienter faciens operationem dubiam*, *an ſit mortalis : Quoniam talis operans maluit implere voluntatem ſuam tali opere*, *etiamſi ſit mortale*, *quam abſtinere ab illo*, *ac proinde præfert divinæ amicitiæ opus illud non curando*, *ſi contingat perdere divinam amicitiam ex illo*. Sed qui ſequitur opinionem mere probabilem, non certus abſolute de veritate hujus opinionis, actionem ſuam committit regulæ ambiguæ, quia opinio ſemper admixtam habet aliquam dubitationem de malitia operis; ergo peccat qui ſequitur opinionem mere probabilem; proindeque ad honeſtatem actionis perfecta & mathematica requiritur certitudo.

Diſt. min. qui ſequitur opnionem mere probabilem, quæ ſit plane dubia & incerta, tunc actionem ſuam regulæ ambiguæ committit, C. ſi ejuſmodi opinio non ſit omnino dubia & incerta, N. ſcilicet opinio quæ perfectæ certitudini opponitur, duplex eſſe intelligitur, alia quæ imperfecta eſt & hominem reddit valde dubium & incertum, ut quando vel nihil vel parum eſt oppoſita probabilior; tunc enim, ut ſupra diximus, intellectus manet dubius & anceps inter duas ſen-

ten-

tentias, plane neſcius examinatis utriuſque partis rationibus & momentis quid ſit agendum, quidve fugiendum; alia autem eſt opinio quæ longe magis eſt perfecta, quatenus aſſenſum non quidem ſcientificum, ſed tamen fixum & determinatum ſecum importat, ut quando eſt oppoſita longe probabilior. Cum porro dicimus hominem tuta conſcientia ſequi poſſe opinionem mere probabilem, id intelligimus de opinione poſteriori ſenſu accepta, quæ nempe nullam ambiguitatem, hæſitationem & dubitationem de malitia operis habet admixtam, quod quidem dubio procul evenit, quotieſcunque operans videt momenta longe fortiora, & majorem ſtare auctoritatem pro una parte quam pro alia, quia propter hunc inſignem probabilitatis exceſſum parti veriſimiliori adhæret fixo quidem & determinato aſſenſu, non ſcientifico quidem, ſed proprie opinativo, non omnem excludente formidinem; ſed omnem dubitationem & hæſitationem.

Scilicet ut optime obſervat Gabriel Vaſquez 1. 2. diſp. 62. cap. 5. dubitatio & formido confundi non debent: *Dubitare enim & hæſitare eſt perdere intellectum in utramque partem contradictionis; & nulli illarum determinate aſſenſum præbere, quia in nulla illarum apparet convenientia prædicati cum objecto, cum hac autem hæſitatione non licet operari. Formido vero unius partis non excludit aſſenſum determinatum alterius, ſed formido in eo tantum poſita eſt, ut aliquis per actum reflexum judicet, rationes illius partis cujus habet aſſenſum, non eſſe evidentes, ſed tantum probabiles: & ideo putet fieri poſſe ut reipſa pars oppoſita vera ſit, cum tamen rationes id non oſtendant. Cum igitur hæc formido etiam expreſſa unius partis non excludat aſſenſum determinatum alterius partis, & cum quovis aſſenſu probabili, qui non attingit evidentiam, formido eſſe poſſit; ſequitur cum hac formidine poſſe quemlibet operari.* Ex quibus perſpicuum eſt eum regulæ ambiguæ ſuam actionem ſemper non committere qui ſecundum opinionem probabilem operatur, quia ſcilicet opinio nullam plerumque includit dubitationem de malitia operis; ſed ſolummodo aliquam formidinem, hoc eſt actum quemdam mentis reflexum, quo judicet rationes quæ pro ejuſmodi ſententia militant, non eſſe invictas, nec perfectam ingenerare certitudinem, qualis obtinetur vel per fidem divinam, vel per demonſtrationem; hic enim aſſenſus quantumvis opinativus, eſt tamen fixus & determinatus.

Idem aperte ſenſit D. Thomas, ut colligitur ex loco jam citato ex quodlib. 8. art. 13. ubi ſic loquitur: *Tunc diſtinguendum eſt quia aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem; aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, ſed tamen in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum; & ſic ſi manente dubitatione plures Præbendas habet, periculo ſe committit; & ſic procul dubio peccat, utpote magis amans Beneficium temporale quam propriam ſalutem; aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non committit ſe diſcrimini nec peccat.* Ubi manifeſte ſcribit S. Doctor hominem aliquando ex contrarietate opinionum in dubitationem induci, aliquando vero non induci, & peccare quando agit dubitando, non peccare autem quando citra ullam dubitationem operatur.

Atque in hunc plane ſenſum intelligi debere Cajetanum ſatis ipſe indicat verbis ſequentibus: *Et hoc*, inquit, *intellige de opinione proprie dicta quæ eſt cum formidine alterius partis; non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diverſi auctores contraria ſentiunt; quoniam cum hujuſmodi contrarietate ſtat*,

quod una pars ſit ratione ſufficiente ad moralem certitudinem fulta, & jam non eſt opinio apud capientes rationem illam. Sed quia neſciunt multi diſcernere inter certitudinem moralem & mathematicam, omnia quodammodo locant ſub opinionibus. Ubi Cajetanus poſtulat tantum ad honeſtatem actionis certitudinem moralem, non mathematicam; adeoque excludit ſolum opinionem quæ ambiguitatem & dubitationem de malitia operis admixtam habeat; ſiquidem altera ſpecies opinionis quæ probabiliſſima eſt, aut ſaltem oppoſita longe probabilior, certitudinem moralem ſecum importat.

Cajetano conſentiunt Doctor Navarrus in Comment. ad cap. *Si quis autem*, de Pœnit. diſt. 7. coroll. 10. his verbis: *Inferimus eum non peccare ratione dubietatis qui de duabus opinionibus alteram eligit, eo quod bona fide credit eſſe veram, hujusmodi enim homini res illa non dubia eſt. Nam dubitare dicitur ille, cujus animus ſe applicat ad diverſa & neutrum eligit.* S. Antoninus loco ſuperius citato; Gabriel in 4. diſt. 16. qu. 3. art. 1. ubi refert verba Gerſonii a nobis jam adducta; item Fagnanus pleroſque alios hac in parte ſecutus Canoniſtas, quos laudat in hoc ſuo Tractatu de opinionum probabilitate, & cæteri pene omnes Theologi & Canoniſtæ.

Inſtabis: Tunc homo inter agendum vere dubitat & fluctuat, quando adjunctam habet ſuſpicionem partis oppoſitæ: ſed qui ſequitur unam partem faventem libertati contra præceptum, operans ex judicio mere opinativo, tunc adjunctam habet ſuſpicionem partis oppoſitæ; qui judicat, v. g. judicio mere opinativo aliquem contractum eſſe licitum, quando illicitum eſſe innuere videtur lex ipſa, & docent multi graviſſimi Doctores; tunc certe patitur aliquem ſcrupulum & ſuſpicionem partis oppoſitæ; quantumvis enim judicet ſecundum opinionem probabiliorem contractum eſſe licitum, ſimul tamen judicat illum *forſitan* eſſe illicitum, quod eſt dubitantis & fluctuantis. Neminem porro licite operari poſſe in tali circunſtantia conſtat inter omnes; qui enim ejusmodi ſcrupuloſa & formidoloſa conſcientia laborat, prudenter judicare non poteſt rem illam eſſe licitam, quæ nempe gravibus fundamentis exiſtimatur illicita, unde prius deponere debet ſcrupulum, ut certus ſit de honeſtate actionis; ergo qui ſequitur opinionem mere probabilem, vere dubitat de honeſtate ſuæ actionis.

Nego min. Si nempe id intelligatur de opinione quæ ſit oppoſita probabilior, ejusque momenta ſint oppoſitæ momentis urgentiora, ut movere poſſint virum prudentem, quemadmodum contingit in præſenti caſu, quo nempe exulat omnis dubitatio, omnis partis oppoſitæ ſuſpicio, quia dubitatio proprie ſolum reperitur quandiu intellectus plane anceps neſcit quam partem eligat; dubitatio enim importat ſuſpenſionem judicii: *Dubitare*, inquit Navarrus, *dicitur ille cujus animus ſe applicat ad diverſa & neutrum eligit.* Sed in hoc caſu qui ſequitur opinionem mere probabilem, dubius non eſt quam partem amplectatur, neutram eligens; fixo enim & determinato judicio ſequitur eam partem quæ ob momenta validiora ipſi apparet probabilior, idque judicat prudenter, non temere, ut a nobis oſtenſum eſt; Igitur, &c.

Quocirca qui ſic operatur ex judicio opinativo, neutiquam dicit *forſitan* eſſe illicitum quod judicat ex opinione probabiliori eſſe licitum, hoc enim eſſet dubitantis; ſed certo certitudine ſaltem morali affirmat rem eſſe licitam; ita ut apprehendat ſolum rationes quaſdam leves quæ militant pro inhoneſtate actionis, quas rationes prudenter contemnit formans conſcientiam rectam

de honeſtate actionis ; unde ſequitur rem proprie non eſſe dubiam, adeoque licitum eſſe operari in tali circunſtantia ; ut enim ait S. Antoninus loco jam citato : *Qui agit ſcienter id de quo dubitat eſſe mortale permanente dubitatione peccat mortaliter, etiamſi illud in ſe non eſſet mortale ſumendo ſtricte & proprie dubitationem . . . . Sed ſi dubitet leviter quis & per modum ſcrupuli, ſicut dubitat vel formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipſi ſententiæ, ut formidet de oppoſito : ſic agendo contra tale dubium non peccat, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipſa magis quam pro oppoſita opinione, etiamſi opinio quam tenet non eſſet vera.*

De voluntate morali.

VOluntas eſt facultas animæ rationalis per quam fertur in bonum vel malum ex prævia cognitione intellectus. Dicitur aliter appetitus rationalis ſeu ſpiritalis, quia pro objecto habet bonum ſpiritale, ut diſtinguatur ab appetitu materiali & ſentiente qui habet duntaxat pro objecto bonum ſenſibile.

Voluntas hic dicitur moralis, quia eſt principium omnium actuum humanorum, in genere ſcilicet principii imperantis ; quemadmodum intellectus eſt principium eorumdem actuum per modum facultatis dirigentis ; ſola enim voluntas movet alias facultates cum jure & dominio, unde dicitur facultas princeps ſui & aliarum domina in ſuppoſito.

Quærunt Philoſophi utrum & quomodo in omnes hominis facultates imperium exerceat voluntas.

Supponunt 1. imperium facultatis in facultatem, nihil aliud eſſe quam actionem per quam facultas movet facultatem ad agendum. Eſt autem imperium duplex, ſcilicet politicum ſeu civile, & deſpoticum ſeu herile : Imperium politicum ſeu civile illud eſt cui facultas poteſt obſiſtere ; deſpoticum vero ſeu herile cui facultas reſiſtere non poteſt. Utrumque iſtud imperium duplex, ſcilicet directum & indirectum : Directum illud eſt quod ab aliquo exercetur immediate in alium, quale eſt imperium quod herus exercet in ſervos ; indirectum vero illud eſt quod in aliquem exercetur mediante alio, quale eſt imperium quod exercet aliquis in ſervos amici.

Supponunt 2. voluntatem comparari poſſe cum facultatibus triplicis generis, nempe cum facultatibus animæ rationalis, intellectu & voluntate ipſa, cum facultatibus animæ ſentientis, quæ ſunt imaginatio, appetitus ſenſitivus & vis motrix, & cum facultatibus animæ vegetativæ, quæ quidem tres diſtinguuntur, nempe nutritiva, augmentativa & generativa : Quibus poſitis ſic præfatæ quæſtioni reſpondent.

Primo, voluntas imperat intellectui directe, ſed politice tantum : directe quidem, quia illi per ſe proxime & immediate imperat ; politice vero, quia intellectus ſæpe reſiſtit voluntatis imperio, quando nempe propriis cogitationibus ita occupatur, ut ab iis avocanti voluntati non obſequatur ; ergo voluntas imperat intellectui directe & politice.

Secundo, voluntas ſibimetipſi imperat deſpotice ; ſiquidem imperium deſpoticum illud eſt cui non reſiſtitur : Atqui voluntas ſibi imperanti non reſiſtit, quando, v. g. elicit actus amoris & odii ; ejuſmodi enim actus fiunt a voluntate quoties vult ipſa voluntas, & non fiunt quoties non vult ; Igitur voluntas ſibi ipſi imperat deſpotice.

Tertio, voluntas imperat politice tantum imaginationi & appetitui ſenſitivo ; imaginationi quidem, quia perſæpe voluntati reſiſtit imaginatio, quando nimirum contra ejus imperium quorumdam objectorum cogitatione paſcitur ; tum vero & appetitui ſenſitivo qui volun-

voluntati nonnunquam reſiſtit, ut docet experientia; aliquando enim ejus motus coercemus, aliquando non coercemus; ſunt illi motus in nobis vel invitis, ut teſtatur Apoſtolus: *Sentio*, inquit, *legem in membris repugnantem legi mentis*; ergo voluntas imperat politice tantum imaginationi & appetitui ſenſitivo.

Quarto, ſi ſermo ſit de vi motrice, loquendum eſt cum diſtinctione; eſt enim aliqua vis motrix cui voluntas imperat deſpotice, qualis eſt vis motrix linguæ vel manus; eſt alia vis motrix cui voluntas nullo modo imperat, qualis eſt vix motrix cordis & arteriarum; denique eſt alia vis motrix quæ voluntati partim obſequitur, partim non obſequitur, ut vis motrix pulmonum.

Denique voluntas non imperat facultatibus animæ vegetativæ; non eſt enim in noſtra poteſtate poſitum, ut mediante cibo partes corporis creſcant & nutriantur, niſi indirecte, quatenus poteſt voluntas beneficio virtutis motricis alimenta ſubtrahere vel miniſtrare; igitur, &c.

Porro voluntas quæ, ut mox dictum eſt, movet intellectum, movetur & ipſa ab eodem intellectu; ea quippe facultas movetur ab intellectu, quæ in omnibus ſuis actibus dirigitur ab intellectu: Sed voluntas in omnibus ſuis actibus dirigitur ab intellectu; eſt enim per ſe facultas omnino cæca, &, ut aiunt, ignoti nulla cupido; Igitur voluntas movetur ab intellectu.

Atque id intelligendum eſt de motione quæ ſit tum ad ſpeciem tum ad exercitium. Ac primo intellectus movet voluntatem quoad ſpeciem; ſiquidem movere voluntatem quoad ſpeciem, eſt voluntatem excitare ad actum hujus ſpeciei potius quam alterius: atqui intellectus excitat voluntatem ad actum unius ſpeciei potius quam alterius, ad actum amoris potius quam odii, excitat enim ad actum amoris propoſita ratione boni jucundi aut honeſti, excitat vero ad actum odii propoſita ratione mali; ergo intellectus movet voluntatem quoad ſpeciem. Secundo, intellectus movet voluntatem quoad exercitium; quia movere voluntatem quoad exercitium, eſt voluntatem excitare ad agendum hic & nunc, vel non agendum: Atqui intellectus voluntatem excitat ad agendum hic & nunc, vel non agendum, ſcilicet per repræſentationem objecti, quia determinatur voluntas ad amandum hic & nunc, vel odio habendum; ergo intellectus movet voluntatem etiam quoad exercitium.

Quod ſi quæratur per quam actionem intellectus ſeu mens moralis moveat voluntatem.

Reſpondeo 1. multiplicem diſtingui poſſe actionem intellectus. Prima eſt ſimplex objecti apprehenſio ſine ulla ratione boni & mali ipſi afficta, ut ſi quis apprehendat Deum præciſe. Secunda eſt apprehenſio complexa objecti, ſub aliqua nempe ratione boni aut mali, ut, v.g. ſi quis apprehendat Deum ut ſummum hominis bonum. Tertia eſt judicium ſpeculativum, quo mens affirmat vel negat aliquid eſſe bonum vel malum ſine ordine ad praxim, ut ſi quis judicet Deum eſſe ſummum hominis bonum ſine ulla intentione illum colendi. Quarta eſt judicium practicum generale, quo intellectus judicat in communi aliquid eſſe agendum, ut ſi quis, v.g. judicet Deum eſſe colendum. Quinta eſt judicium practicum particulare, ſeu hypotheticum, quo mens judicat hic & nunc aliquid eſſe agendum vel non agendum habita ratione hujus vel illius finis, ut ſi quis, v.g. judicet Deum hic & nunc eſſe colendum, ex eo quod ſit vita æterna. Sexta demum eſt judicium practice practicum, quo mens judicat hic & nunc abſolute & ſimpliciter aliquid eſſe agendum vel non agendum; quibus præmiſſis,

Reſpondeo 2. mentem moralem non movere voluntatem per ſimplicem apprehenſionem, ſed per alias præfatas actio-

actiones: non quidem per ſimplicem apprehenſionem, ſiquidem illa actio non movet voluntatem, quæ non repræſentat objectum motivum voluntatis: Atqui ſimplex apprehenſio non repræſentat objectum motivum voluntatis, nempe rationem boni & mali; ergo ſimplex apprehenſio rei non movet voluntatem ad agendum. Sed cæteri actus mentis moralis movere poſſunt voluntatem; ſiquidem proprium voluntatis motivum objectum ipſi repræſentant.

Atque id præſertim verum eſt de ultimo judicio practice practico quod voluntas ſemper ſequitur; ſic enim ultimum dicitur; quia nullum aliud ſubſequitur per quod voluntas ſeſe ad agendum vel non agendum determinet; dicitur vero practice practicum, quia ſemper executioni demandatur; unde qui videt meliora & deteriora ſequitur eatenus non agit ſecundum ſuum judicium ſpeculativum, ſed agit ſecundum ſuum ultimum judicium practice practicum. An porro judicium ſit actus intellectus vel voluntatis, hic fuſius inquirere noſtri non eſt inſtituti, id remittimus ad Philoſophos.

De voluntario & involuntario.

VOluntarium eſt illud quod fit a principio interno cognoſcente ſingula in quibus eſt actio. Dicitur *a principio interno*, id eſt, a voluntate, in quo voluntarium differt a violento quod fit a principio externo; dicitur *cognoſcente ſingula in quibus eſt actio*, hoc eſt, objectum, finem & circumſtantias; in quo voluntarium differt a ſpontaneo, quia ſpontaneum etiam belluis ratione deſtitutis tribui ſolet, non autem voluntarium.

Voluntarium duplex eſt, ſcilicet imperans & imperatum: imperans illud eſt quod a voluntate immediate elicitur, qualis eſt actus amoris vel odii; voluntarium imperatum illud eſt quod per aliam facultatem exercetur, qualis eſt deambulatio, quæ fit inclinatione voluntatis.

Voluntarium iterum duplex, ſcilicet voluntarium ſimpliciter ſeu purum, & voluntarium ſecundum quid ſeu mixtum: Voluntarium ſimpliciter illud eſt quod fit ex plena & perfecta inclinatione voluntatis, ita ut nullam admixtam habeat repugnantiam; Voluntarium ſecundum quid ſeu mixtum, eſt illud quod fit quidem ex voluntatis inclinatione, ſed cum aliqua repugnantia, qualis eſt projectio mercium in mare facta metu naufragii.

Voluntario opponitur involuntarium, & tale eſt negative vel poſitive: Involuntarium negative, quod non fit ſecundum voluntatis inclinationem, quod poſitive non eſt volitum, ut locutio hominis dormientis; involuntarium poſitive eſt id quod fit a principio externo contra inclinationem voluntatis, ut conjectio hominis renitentis in carcerem. Involuntarium invitum & coactum idem plane ſunt: involuntarium vero & violentum in eo differunt quod involuntarium non tribuatur niſi agentibus cognitione præditis, violentum autem tribuatur & agentibus inanimatis; unde motus lapidis ſurſum projecti dicitur violentus.

Cum porro aliquid fit involuntarium quatuor ex cauſis, per vim, ſcilicet, ex metu, per concupiſcentiam, & per ignorantiam, de his ſingulis agendum breviter; ita ut tamen de ignorantia quoad poſtulat inſtitutum noſtrum & pro more Theologorum fuſius a nobis dicatur.

De involuntario per vim.

QUæſtio hic primum proponitur, utrum vis inferri poſſit voluntati, ſeu utrum voluntas cogi poſſit.

Certum eſt primo voluntatem cogi poſſe ad actus imperatos, hoc eſt, ad

actus

actus qui exercentur immediate ab alia facultate quam a voluntate, qualis eſt motio pedis & manus: experientia enim conſtat vim inferri poſſe brachio, v.g. ut contra inclinationem voluntatis feratur in hanc vel illam partem, quo ſenſu quæ fiunt per vim dicuntur involuntaria.

Certum eſt ſecundo actus imperantes, hoc eſt elicitos ab ipſa voluntate & ipſi interiores cogi poſſe ſecundum quid & ſub aliqua ratione; illud quippe coactum eſt ſecundum quid, quod eſt contra aliquam voluntatis inclinationem: Sed perſæpe actus imperantes fiunt contra aliquam voluntatis inclinationem, qualis eſt, v. g. actus voluntatis quo vult mercator projicere merces in mare metu naufragii; ergo voluntas cogi poteſt ſecundum quid ad actus imperantes.

Verum dicimus voluntatem cogi non poſſe ſimpliciter ad actus elicitos & imperantes. Ratio eſt quia illud non poteſt eſſe coactum ſimpliciter, quod non poteſt eſſe contra omnem voluntatis inclinationem: Atqui actus imperantes voluntatis non poſſunt eſſe contra omnem voluntatis inclinationem: actus enim elicitus & imperans eo ipſo quod fit eſt ſecundum voluntatis inclinationem, ſaltem magis præcipuam & efficacem, eſt enim volitus; ergo voluntas cogi non poteſt ſimpliciter quoad actus ſibi proprios, interiores, & elicitos.

Nec eſt quod dicatur Deum utpote rerum omnium adeoque & voluntatis noſtræ Dominum potentiſſimum movere poſſe voluntatem nolentem & invitam, ut contra ſuam inclinationem magis præcipuam agat; ſicut contigit S. Paulo, cum ex inimico Eccleſiæ Chriſti factus eſt repente ejuſdem Doctor. In eo quippe actus voluntatis non dicitur proprie coactus, quia per gratiam Dei ita immutata fuit voluntas divi Pauli, ut volens non invitus pergeret ad prædicationem Evangelii; Deus porro tametſi potentiſſimus nunquam efficiet quod impoſſibile eſt, id enim implicat; ſed cogere voluntatem quoad actus elicitos & imperantes manifeſtam involvit repugnantiam; tunc enim voluntas vellet & non vellet, vellet nolens.

De involuntario ex metu.

Quæ fiunt ex metu ſunt partim voluntaria & partim involuntaria: illud quippe eſt partim voluntarium & partim involuntarium, quod ſimul eſt juxta voluntatis inclinationem, & cum aliqua voluntatis repugnantia: Sed quæ fiunt ex metu ſimul fiunt juxta voluntatis inclinationem, & cum aliqua ejuſdem voluntatis repugnantia: mercator enim, v. g. vult projicere merces in mare, ut vitæ ſuæ conſulat; adeoque juxta inclinationem voluntatis & quidem magis præcipuam fit ejuſcemodi projectio, ſed tamen cum repugnantia: vellet enim ſi poſſet merces non projicere; Igitur quæ fiunt ex metu ſunt partim voluntaria & partim involuntaria.

Sed meo quidem judicio quæ fiunt ex metu gravi, abſolute & ſimpliciter cenſeri debent involuntaria; quæ enim fiunt ex metu gravi, fiunt reluctante voluntate; ita ut non fierent ſublato metu; unde contractus ex gravi metu initi non ſunt validi, ſed per Principum Edicta & Canones Eccleſiæ irritantur.

De involuntario per concupiſcentiam.

Nomine concupiſcentiæ hic intelligitur vehementior motus appetitus ſenſitivi circa bonum vel malum ſenſibile: & duplex diſtinguitur videlicet antecedens & conſequens. Concupiſcentia antecedens ea eſt quæ antecedit liberum voluntatis conſenſum, & dicitur motus primo primus; concupiſcentia conſequens ea eſt quæ ſequitur liberum

& de-

& deliberatum voluntatis conſenſum: Deinde concupiſcentia antecedens non ſolum aliquando voluntatis conſenſum, ſed ipſum etiam rationis uſum ita antevertit, ut advertentiam rationis impediat; aliquando vero non impediat: quibus poſitis,

Dico primo ea omnino voluntaria eſſe quæ fiunt ex concupiſcentia conſequente: illud quippe voluntarium eſt quod fit ex cognitione mentis & inclinatione voluntatis; ſed quæ fiunt ex concupiſcentia conſequente, fiunt ex cognitione mentis & inclinatione voluntatis: concupiſcentia enim ejuſmodi nec tollit, nec minuit, ſed auget voluntarium.

Dico ſecundo quæ fiunt ex concupiſcentia etiam antecedente eſſe voluntaria: nam illud eſt voluntarium quod fit a principio interno cognoſcente ſingula in quibus eſt actio: Sed quæ fiunt ex concupiſcentia etiam antecedente, fiunt a principio interno cognoſcente ſingula in quibus eſt actio: fiunt enim ab ipſa voluntate eliciente actum ſine ulla repugnantia, & a principio cognoſcente ſingula; concupiſcentia enim non tollit cognitionem, attentionem, modo non ſit concupiſcentia antecedens illius generis, quæ ut diximus, advertentiam rationis impedit; Ergo.

De involuntario per ignorantiam.

IGnorantia proprie confundi non debet cum ſimplici neſcientia rei quam ſcire non tenemur, qualis eſt ignoratio Juriſprudentiæ in puero vel in ruſtico; ſed accipi debet ſolum pro ignoratione rei quam ſcire debemus, qualis eſt ignorantia Juris in Judice; de hac utraque ſic loquitur S. Thomas in 2. diſt. 44. art. 6. in corp. *Ignorantia aliquo modo in natura integra inveniri potuit, non ſecundum quod ingorantia dicitur privative, ſed ſecundum quod dicitur negative.*

Alia porro eſt ignorantia facti, alia ignorantia Juris: prior eſt quando ignoratur factum; poſterior quando quis ignorat legem: hæc diverſa eſt pro diverſitate legum; alia etenim eſt ignorantia juris naturalis, hoc eſt in corde cujuslibet a natura inſcripti; alia vero juris poſitivi, hoc eſt ab aliquo legiſlatore lati.

Ignorantia facti dividitur in antecedentem, concomitantem & ſubſequentem. Antecedens ea eſt quæ nec directe nec indirecte volita eſt, eſtque cauſa facti, qualis eſt ignorantia ejus qui amicum occidit putans ſe occidere feram. Concomitans ea eſt quæ nec volita eſt nec cauſa facti, talis eſt ignorantia in eo qui occidit inimicum putans ſe occidere feram; quæ quidem ignorantia eſt cauſa facti, ſi enim cognoviſſet inimicum ibi deliteſcere, ipſum adhuc occidiſſet, ut ſupponitur. Ignorantia ſubſequens vel conſequens ea eſt quæ volita eſt directe & explicite in ſe, vel implicite & indirecte in alio, eſtque aliquando cauſa facti, & aliquando non eſt; quia cum quiſpiam vult ignorare quod poteſt & tenetur ſcire, ita eſt aliquando affectus, ut ſublata ignorantia facturus non fuiſſet quod fecit; aliquando vero ita affectus eſt, ut ſublata ignorantia adhuc feciſſet quod fecit; ubi notatu dignum eſt ignorantiam quæ dicitur antecedens eſſe antecedentem, tum reſpectu voluntatis quia præcedit omnem voluntatis actum, tum reſpectu operis, quia cauſa eſt cur opus ſequatur: Ignorantiam vero nullam dici concomitantem reſpectu voluntatis, ſed tantum reſpectu operis, quia concomitatur tantum opus, nec directe vel indirecte volita eſt: denique ignorantiam quæ conſequens dicitur eſſe conſequentem reſpectu voluntatis, quia volita eſt directe vel indirecte, & non eſſe conquentem reſpectu operis; eſt enim cauſa operis: quibus poſitis.

Dico 1. ea non eſſe voluntaria quæ

fiunt

fiunt ex ignorantia antecedente & concomitante: ſiquidem illud non eſt voluntarium, quod non fit a principio interno cognoſcente ſingula in quibus eſt actio: Sed quæ fiunt ex ignorantia antecedente & concomitante, non fiunt a principio interno cognoſcente ſingula in quibus eſt actio, ut per ſe patet; igitur ea non ſunt voluntaria quæ fiunt ex ignorantia antecedente & concomitante. Atque hinc patet ejuſmodi ignorantiam excuſare a peccato: nam illa ignorantia excuſat a peccato quæ tollit in actione rationem voluntatis: Sed ignorantia tum antecedens tum concomitans tollit in actione rationem voluntatis; ergo excuſat a peccato.

Dico 2. ea voluntaria eſſe quæ fiunt ex ignorantia conſequente: nam illud cenſetur voluntarium quod fit a principio interno cognoſcente ſingula in quibus eſt actio: Atqui factum ex ignorantia conſequente proficiſcitur a principio cognoſcente ſingula in quibus eſt actio; fit enim actio cum cognitione intellectus, ubi ignorantia eſt voluntaria & vincibilis: ſed ignorantia conſequens eſt voluntaria & vincibilis; igitur quæ fiunt ex ignorantia conſequente, ſunt voluntaria. De his autem plura apud Philoſophos.

Inſuper ignorantia dividitur in vincibilem & invincibilem: Vincibilis ea eſt quæ adhibita morali diligentia ſuperari potuit; invincibilis contra quæ morali diligentia ſuperari non potuit. Ignorantia vincibilis duplex eſt, nimirum affectata quæ eſt expreſſe & directe volita, qualis eſt in eo qui noluit intelligere ne bene intelligeret, ſed voluit expreſſe non cognoſcere legem; & minime affectata quæ nonniſi indirecte & in alio volita eſt, qualis eſt in eo qui ex ſola diſcendi negligentia legem ignorat.

Hic porro nonnullæ veniunt pertractandæ quæſtiones maximi ponderis, quæque non ita pridem ſummo cum æſtu a Theologis agitatæ fuerint. Quæritur 1. utrum ignorantia invincibilis, ſi ſit juris naturalis, excuſet a peccato; 2. utrum detur ejuſmodi ignorantia juris naturalis, quæ merito dici poſſit invincibilis; 3. utrum ignorantia juris poſitivi, ſi ſit invincibilis, excuſet a peccato; 4. utrum ignorantia per ſe formaliter ſit peccatum.

Utrum juris naturalis ignorantia invincibilis excuſet a peccato.

CErtum eſt ignorantiam quæ vel in ſe vel in cauſa ſua voluntaria eſt voluntate ſcilicet propria agentis, quæ proinde eſt vincibilis, non excuſare a peccato: legitur enim perſæpe in Scripturis actiones humanas ex ignorantia factas, eſſe peccata, ob id paſſim redarguuntur, vel etiam nonnunquam plectuntur, ſtatuuntur ſacrificia pro illis qui ex oblivione & ignorantia peccaverunt, offerenda; tum vero SS. Patres identidem in eos inſurgunt qui in ſuorum delictorum excuſationem adducebant ignorantiam: *Quieſcant*, inquit S. Auguſt. lib. 3. de lib. arbitr. c. 19. *& adverſus Deum murmurare deſiſtant, recte enim fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret*... Quæſtio itaque eſt ſolummodo de iis quæ fiunt ex ignorantia omnino invincibili.

Dari quandam ignorantiam invincibilem, quæ tamen operantem non eximat a peccato, docet aperte Janſenius lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ, cap. 2. ubi præmiſſa diviſione ignorantiæ in vincibilem & invincibilem ſic habet: *Hic igitur primo quæri poteſt, utrum aliqua ſit ignorantia invincibilis juxta doctrinam Auguſtini, quæ tamen non excuſet actum qui inde ſequitur a peccato; generale namque videtur Scholaſticorum pronuntiatum eſſe, quod quicquid ex invincibili fit ignorantia, hoc ipſo culpa vacat. Quæ ſane doctrina quamvis*

bu-

humanæ rationi qua nititur, valde plauſibilis eſſe videatur, difficile tamen eſt eam cum Auguſtini doctrina conciliare, quam contra Pelagianos conſtanter aſſeruit.

Id porro non niſi de ignorantia juris naturalis intelligere Janſenium, ſatis ipſe ibidem declarat, confitetur enim ignorantiam invincibilem juris poſitivi hominem eximere a peccato.

Nos vero qui proxime ſequenti diſputatione cum S. Thoma & aliis fere omnibus Theologis dicturi ſumus, non dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, niſi quoad nonnullas remotiſſimas concluſiones; quia nempe jus naturale & quoad prima principia & quoad concluſiones ex iis proxime ſequentes, intimis conſcientiæ penetralibus nullo humano magiſterio, ſed ipſius Dei creantis beneficio inſculpitur, in anteceſſum oſtendimus omnem Ignorantiam, modo ſit invincibilis, & eo quod eſt invincibilis, excuſare a peccato.

CONCLUSIO.

Quæcunque ignorantia invincibilis vel etiam juris naturalis hominem eximit a culpa.

Id primum oſtendi poteſt ex Scripturis. Apoſtolus ad Rom. 1. expreſſe docet, *Eos eſſe inexcuſabiles, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum .... Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis, &c.* Ubi Apoſtolus ait ea ex cauſa Gentiles fuiſſe inexcuſabiles, quando Deum non glorificaverunt, quod illum prius cognoverant, manifeſte ſupponens peccaturos non fuiſſe, ſi Deum ignoraſſent, ſaltem ignorantia invincibili; unde merito colligitur principiis Apoſtoli cum ab omni peccato immunem eſſe, qui ex præcedente ignorantia operatur, ſi ea ſaltem ignorantia ſit invincibilis, ut egregie obſervat Sanctus Thomas in hunc divi Pauli locum lect. 7. *Conſiderandum eſt*, inquit, *quod tunc ignorantia culpam excuſat, quando ſic & præcedit & cauſat culpam quod non cauſatur a culpa; ſicut cum aliquis adhibita diligentia debita, dum credit percutere hoſtem, percutit patrem. Si vero ignorantia cauſetur ex culpa, non poteſt ſubſequentem culpam ignorantia excuſare. Unde ſi quis per ebrietatem homicidium committit, non excuſatur a culpa, quia peccavit ſe inebriando. Unde ſecundum Philoſophum meretur duplices mulctationes. Primo igitur proponit quod intendit dicens, ita quod eſt Dei, notum eſt eis, ut ſint inexcuſabiles, id eſt ut per ignorantiam excuſari non poſſint, Jacobi 4. ſcienti bonum & non operanti, peccatum eſt illi.*

Probat utique & noſtram concluſionem locus iſte ex Epiſtola Jacobi depromptus quem in medium adducit divus Thomas: ſi enim peccatum eſſe dicatur illi qui ſciens bonum non operatur, is contra videtur ab omni peccato immunis, qui agit ex ignorantia quam nulla depellere potuit diligentia, nullo ſtudio.

Favent nonnulla Scripturæ loca, in quibus jugum Chriſtianum ſuave dicitur, & mandata levia, Matthæi 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, inquit Chriſtus Dominus; & Jo. Epiſt. I. c. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt*. Quibus conſonat quod decernit Concil. Trident. Seſſ. 6. Can. 18. his verbis: *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit*. Paulo antea hujus decreti rationem reddiderat: *Nam Deus*, inquit cap. 11. *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.*

 Si

Si autem in culpam imputaretur quod quis agat contra jus naturale, quando laborat ignorantia invincibili, obſervatio præcepti divini prohibentis ne quid fiat intrinſece malum & contra jus naturale, foret omnino impoſſibilis, quia ejusmodi legis obligatio nec cognoſcitur, nec adhibita quamvis diligentia cognoſci poteſt; Igitur.

Atque hæc doctrina apertiſſime legitur apud S. Auguſtinum, quem proinde ſuæ ſententiæ patronum falſo jactitat Janſenius; lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. profert hoc principium in moralibus toties decantatum: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras*. Quibus verbis nihil expreſſius ſcribere potuit, ut ſignificaret ignorantiam invincibilem excuſare a peccato; quapropter ibidem monet ejusmodi ignorantiam, ſi quando peccatum appellatur, nonniſi peccatum eſſe improprie dictum: *Nam illud*, inquit, *quod ignorans quisque non recte facit, & quod recte volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo libere voluntatis originem ducunt; illud enim præcedens meruit iſta ſequentia. Nam ſicut linguam dicimus non ſolum membrum, quod movemus in ore dum loquimur, ſed etiam illud quod hujus membri motum conſequitur, id eſt, formam tenoremque verborum, ſecundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina: Sic non ſolum peccatum illud dicimus quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate & ab ſciente committitur, ſed etiam illud quod jam de hujus ſupplicio conſequatur neceſſe eſt*. Ubi non modo ait ſanctus Doctor ignorantiam non eſſe peccatum niſi improprie dictum, ſicut concupiſcentia peccatum eſt, ſicut locutio linguæ dicitur lingua; ſed & manifeſte ut certum quid & indubitatum ſupponit, illud ſolummodo vocari debere peccatum proprie dictum, *quod libera voluntate & ab ſciente committitur*. Unde ſequitur id neutiquam eſſe peccatum quod fit ex ignorantia invincibili, etiam juris naturalis; eatenus enim a libera voluntate & ab ſciente non committitur.

Idem docuerat paulo ſupra, ſic enim habet cap. 17. *Aut igitur*, inquit, *ipſa voluntas eſt prima cauſa peccandi, aut nullum peccatum eſt prima cauſa peccandi. Nec eſt cui recte imputetur peccatum niſi peccanti; non eſt ergo cui recte imputetur niſi volenti*, & c. 18. *Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt: quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt?* Ubi ait S. Auguſtinus recte non imputari peccatum niſi volenti, ſed qui agit cum ignorantia invincibili, non peccat volens, in quærenda enim veritate omnem adhibuit diligentiam, & in ea verſatur animi diſpoſitione, ut ſi vel leviter ſuſpicaretur rem illam eſſe prohibitam, ab illa protinus abſtineret: dum vero addit ſanctus Doctor neminem peccare in eo quod nullo modo caveri poteſt; ſed quod fit ab homine qui laborat ignorantia plane invincibili idipſum caveri non poteſt; quandoquidem in ejus poteſtate non eſt, ut cognoſcat quid ſit agendum, quidve fugiendum, quid ſit licitum, quid illicitum. Quid porro intelligat Auguſtinus per iſta verba quæ immediate ſequuntur: *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, ſicut in divinis auctoritatibus legimus, &c.* mox dicemus ſolvendo objectiones.

Sic vero non eſſe peccatum niſi ſit voluntarium, & eatenus ſolum in culpam aliquid imputari quatenus voluntarium eſt, a voluntate eſt, liberum

eſt,

eſt, non uno in loco tradit idem Sanctus Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 14. *Defectus autem eſt*, inquit, *quod peccatum vocatur, ſi tanquam febris invitum occuparet, recte injuſta pœna videretur, quæ peccantem conſequitur & quæ damnatio nuncupatur. Nunc vero usque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium, & hoc quidem ita manifeſtum eſt, ut nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi. Non autem recte negat peccaſſe animam, qui & pœnitendo eam corrigi fatetur & veniam petenti dari, & perſeverantem in peccatis juſta lege Dei damnari. Poſtremo ſi non voluntate male facimus, nemo objurgandus eſt omnino aut monendus, quibus ſublatis Chriſtiana lex & diſciplina omnis Religionis auferatur neceſſe eſt; voluntate ergo peccatur.* Libro de duabus animabus contra Manichæos cap. 10. *Quibus conceſſis*, inquit, *colligerem nusquam ſcilicet niſi in voluntate eſſe peccatum: cum mihi auxiliaretur etiam illud quod juſtitia peccantes tenet ſola mala voluntate, quamvis quod voluerint implere nequiverint*. Et c. 11. ſic definit peccatum. *Peccatum*, inquit, *eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*. Additque, *quanquam ſi liberum non ſit, non eſt voluntas. Sed malui groſſius quam ſcrupuloſius. Etiamne hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, unde diſcerem neminem vituperatione ſupplicio-ve dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non poteſt*. Quod idem habet lib. 1. Retract. cap. 9. his verbis: *Voluntas quippe eſt qua & peccatur & recte vivitur*.

Hac definitione peccati abutentibus Pelagianis, qui exinde conabantur oſtendere, fictitium eſſe dogma peccati originalis, reſpondet quidem S. Auguſtinus eam ſolum intelligendam eſſe de peccato primi parentis, ut apparet ex libro 1. operis imperf. cap. 47. ubi ſic habet: *Ipſe eſt Adam quem noſtra illa definitio qua tibi placuit intuebatur, cum dicerem, Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere. Adam quippe omnino, quando peccavit, nihil in ſe habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum, & propter quod diceret, Non quod volo facio bonum, &c.* Nihilominus tamen inde non colligit peccata quæ committuntur a cæteris hominibus, ab iis non fieri libere & voluntarie, ſed tantum minus libere quam ab Adamo cum prima vice peccavit: *Multa quippe ſunt*, inquit ibidem, *quæ agunt homines mala, a quibus eis liberum eſt abſtinere, ſed nulli tam liberum eſt, quam illi fuit, qui Deo ſuo a quo erat conditus rectus, nullo prorſus vitio depravatus aſtabat*. Unde ſequitur exiſtimaſſe S. Auguſtinum, nihil poſſe in peccatum imputari, quod non ſit libere volitum, adeoque peccatum non eſſe id omne quod fit ex ignorantia invincibili, utpote quod non ſit voluntate factum, & a quo non ſit liberum abſtinere.

Quibus merito ſubjungere poſſumus ſic de ignorantia paſſim diſſerere S. Auguſtinum, ut eam in illis duntaxat putet eſſe peccatum qui noluerunt intelligere, Epiſtola 194. num. 27. *Ac per hoc*, inquit, *inexcuſabilis eſt omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat. Quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt*. Cum autem obſervat culpabilem eſſe ignorantiam, cum vincibilis eſt & in eis qui nolunt intelligere, aperte docet illam non poſſe in peccatum imputari, quæ abſolute & ſimpliciter invincibilis eſt, quæ eſt in eis qui volunt intelligere, qui ſin-

cero

cero affectu & quavis adhibita diligentia quæſierunt veritatem, qui inviti ignoranr, & non negligunt quærere quod ignorant.

Eodem plane modo loquitur lib. de Gratia & libero Arbitrio cap. 3. ubi cum probat ex Scripturis ignorantiam a peccato non excuſare; obſervat ſimiliter id eſſe intelligendum de iis qui ſcire nolunt, adducto enim hoc teſtimonio Lucæ 12. *Servus qui neſcit voluntatem Domini ſui & facit digna plagis, vapulabit pauca; ſervus autem qui ſcit voluntatem Domini ſui, & facit digna plagis, vapulabit multa*. Sic habet: *Ecce ubi oſtendit gravius peccare hominem ſcientem quam neſcientem. Nec tamen ideo confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quiſque requirat excuſationem. Aliud eſt enim neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, Noluit intelligere ut bene ageret*, ubi licet ſubdat illico, *ſed & illa ignorantia quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat*. His tamen non aliam intelligit ignorantiam quam vincibilem, ut mox dicemus.

Probatur inſuper concluſio ex divo Thoma qui expreſſis verbis docet ignorantiam invincibilem excuſare a peccato, 1.2.q. 76. art. 3. in corpore articuli ſic habet: *Ignorantia quæ eſt cauſa actus quia cauſat involuntarium, de ſe habet quod excuſet a peccato, eo quod voluntarium eſt de ratione peccati. Sed quod aliquando non totaliter excuſet a peccato, poteſt contingere ex duobus, uno modo ex parte rei ipſius ignoratæ; in tantum enim ignorantia excuſat a peccato, in quantum ignoratur aliquid eſſe peccatum; poteſt autem contingere, quod aliquis ignoret quidem aliquam circunſtantiam peccati, quam ſi ſciret, retraheretur a peccando, ſive illa circumſtantia faciat ad rationem peccati, ſive non; & tamen adhuc remanet in ejus ſcientia aliquid per quod cognoſcit illud eſſe actum peccati . . . . Alio modo poteſt hoc contingere ex parte ipſius ignorantiæ, quia ſcilicet ipſa ignorantia eſt voluntaria vel directe, ſicut cum aliquis ſtudioſe vult neſcire aliqua ut liberius peccet; vel indirecte, ſicut cum aliquis propter laborem vel propter alias occupationes negligit addiſcere id per quod a peccato retraheretur; talis enim ignorantia facit ignorantiam ipſam eſſe voluntariam & peccatum, dummodo ſit eorum quæ quis ſcire tenetur & poteſt; & ideo talis ignorantia non totaliter excuſat a peccato. Si vero ſit talis ignorantia, quæ omnino ſit involuntaria, ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt ejus quod quis ſcire non tenetur, talis ignorantia omnino excuſat a peccato*. Ubi primum affirmat S. Thomas ignorantiam excuſare a peccato, *eo quod voluntarium eſt de ratione peccati*, ſed quod fit ex ignorantia invincibili, profecto non eſt voluntarium, non fit enim, ut per ſe patet, ex principio cognoſcente ſingula in quibus eſt actio. Secundo ait in tantum ignorantiam excuſare a peccato, *in quantum ignoratur aliquid eſſe peccatum*, cujusmodi eſt ſane is qui nonnullas veritates ad jus naturale pertinentes ignorat, ut ſi quis ignoret, v. g. an aliquis contractus ſit uſurarius necne. Tertio demum cum obſervaſſet aliam eſſe ignorantiam voluntariam, quæ dupliciter voluntaria eſt directe vel indirecte; aliam vero involuntariam, qualis ea cenſetur quæ invincibilis eſt; ſtatuit ejusmodi ignorantiam invincibilem omnino excuſare a peccato.

Atque id mirum in modum conſentit cum ejus principiis quæ paſſim leguntur, ubi de Actibus humanis, de Peccatis & de Legibus Tractat. 1. 2. q. 1. art. 1. docet ad omnem actum humanum pertinere ut ſit voluntarius & deliberatus. *Illæ actiones*, inquit in corpore articuli, *proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt*.

dunt. Si quæ autem aliæ actiones homini conveniant, poſſunt dici quidem hominis actiones, ſed non proprie humanæ, cum non ſint hominis in quantum eſt homo. Et ad tertium: *Dicendum*, inquit, *quod hujuſmodi actiones non ſunt proprie humanæ, quia non procedunt ex deliberatione rationis*. Quis vero dixerit actionem quæ fit ex ignorantia invincibili etiam juris naturalis procedere ex deliberata voluntate? non eſt autem peccatum ſi non ſit actio proprie humana, ut fatentur omnes.

Quæſt. 74. art. 1. in corp. docet ſolam voluntatem, ſicut peccati principium, ita & ejuſdem ſubjectum eſſe: *Oportet*, inquit, *quod proprium ſubjectum actus peccati ſit potentia quæ eſt principium actus. Cum autem proprium ſit actuum moralium, quod ſint voluntarii, (ut ſupra habitum eſt) ſequitur quod voluntas quæ eſt principium actuum voluntariorum, ſive bonorum, ſive malorum quæ ſunt peccata, ſit principium peccatorum*. Ubi ſtatuit id ſolummodo peccatum eſſe quod voluntarium eſt. Unde ſequitur id quod fit ex ignorantia invincibili non eſſe peccatum, utpote quod non ſit voluntarium; quod quidem & ipſe verbis expreſſiſſimis affirmat ibidem in reſponſione ad ſecundum. *Quod ſi defectus*, inquit, *apprehenſivæ virtutis nullo modo ſubjaceret voluntati, non eſſet peccatum, nec in voluntate, nec in apprehenſiva virtute, ſicut patet in his qui habent ignorantiam invincibilem*. Quæ verba nullum ſuper hoc negotio relinquunt ſcrupulum.

Quæſt. 90. art. 4. in corpore: *Dicendum*, inquit, *quod lex imponitur aliis per modum regulæ & menſuræ; regula autem & menſura imponitur per hoc quod applicatur his quæ regulantur & menſurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet quod applicetur hominibus qui ſecundum eam regulari debent: talis applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione*. In his divi Thomæ principiis lex nulla vim habere poteſt, quin applicetur hominibus & in eorum notitiam veniat: ſed cum invincibiliter ignorant nonnulla legis naturalis præcepta, in illo caſu lex naturalis ipſis non applicatur, hæcque præcepta non veniunt in eorum notitiam; Igitur.

Quibus addideris quæ ſcribit quæſt. de potentia art. 7. ad 3. his verbis: *Dicendum quod ignorantia quæ eſt omnino involuntaria, non eſt peccatum, & hoc eſt quod Auguſtinus dicit, Non tibi imputatur ad culpam ſi invitus ignores; per hoc autem quod addit, ſed ſi ſcire neglexeris, dat intelligere quod ignorantia habet quod ſit peccatum*. Ex quibus perſpicuum eſt S. Thomam exiſtimaſſe quamcunque ignorantiam invincibilem omnino excuſare a peccato.

Paulo ante idem docuerat Magiſter Sententiarum lib. 2. diſt. 22. *Ad quod dicimus*, inquit, *quia licet Eva in hoc per ignorantiam deliquerit quod putavit verum eſſe quod diabolus ſuadebat; non tamen in hoc quin noverit illud Dei eſſe mandatum, & peccatum eſſe contra agere. Et ideo excuſari a peccato per ignorantiam non potuit. Eſt enim ignorantia quæ excuſat peccantem, & eſt ignorantia talis quæ non excuſat. Eſt autem ignorantia vincibilis & ignorantia invincibilis. Excuſatio omnis tollitur, ubi mandatum non ignoratur. Eſt autem ignorantia triplex: eorum ſcilicet qui ſcire nolunt cum poſſint, quæ non excuſat, quia & ipſa peccatum eſt; & eorum qui volunt, ſed non poſſunt, quæ excuſat, & eſt pœna peccati, non peccatum; & eorum qui quaſi ſimpliciter neſciunt, non renuentes vel proponentes ſcire, quæ neminem plene excuſat, ſed fortaſſe ut minus puniatur; unde Auguſtinus ad Valentinum, eis aufertur excuſatio ... Non igitur mulier excuſationem habuit de ignorantia, cum & mandatum noverit, peccatum eſſe ſecus*

eus agere non ignoraverit. Ubi Petrus Lombardus contendit eatenus Evam excuſari a peccato non poſſe propter ignorantiam, *quod ipſa mandatum noverit & peccatum eſſe ſecus agere non ignoraverit*. Quæ quidem & de ignorantia juris naturalis intelligi debent, tametſi loquatur eo loci de præcepto juris poſitivi, quia nempe par eſt utrobique ratio, ut mox oſtendemus, ſi ſpectentur principia quibus dicitur ignorantia invincibilis excuſare a peccato. Ita Durandus in 2. diſt. 22. q. 4.

Et hæc eſt communis ſententia omnium fere Theologorum è Schola, qui unanimi conſenſu docent omne peccatum eſſe voluntarium, liberum & deliberatum, & aliunde id non eſſe voluntarium & liberum quod fit ex ignorantia invincibili, quæ quidem clara & liquida ſunt in illorum ſcriptis ex genuina ipſius Janſenii confeſſione, qui ultro concedit *generale Scholaſticorum pronuntiatum eſſe, quod quicquid ex invincibili fit ignorantia, hoc ipſo culpa vacat*.

His adde inter Baianas propoſitiones iſtam fuiſſe proſcriptam a ſummis Pontificibus Pio V. & Greg. XIII. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium*. Ex qua Conſtitutione ſequitur oppoſitam haberi ut certam & definitam, qua nempe dicatur, ad rationem peccati pertinere voluntarium; adeoque id non eſſe peccatum proprie dictum quod fit ex ignorantia invincibili, utpote cum non ſit voluntarium.

Ubi nec omiſerim anno 1690. die 7. Septembris inter triginta ſupra unam propoſitiones, hanc quæ ſecunda recenſetur, damnatam ab Alexandro VIII. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali*.

Probatur denique hæc noſtra concluſio nonnullis validiſſimis momentis.

Primum eſt, quia id ſolum habet rationem peccati proprie dicti quod voluntarium eſt, vel etiam liberum: peccatum enim eſt actus humanus, hoc eſt, ex voluntate deliberata proficiſcens: Sed quod fit ex ignorantia invincibili nec liberum nec voluntarium eſt; non eſt quidem liberum ſi non ſit voluntarium, quandoquidem voluntarium pertinet ad liberum, ut genus ad ſpeciem; non eſt autem voluntarium, ſiquidem voluntarium eſt id quod fit a principio interno cognoſcente ſingula in quibus eſt actio: Sed quod fit ex ignorantia invincibili non fit a principio interno cognoſcente ſingula in quibus eſt actio; qui enim, v. g. ex ignorantia invincibili uſurarium celebrat contractum, ignorans ſcilicet poſt ſinceram & accuratam veritatis inquiſitionem illum eſſe uſurarium, profecto non cognoſcit ſingula quæ ad ejuſmodi contractum pertinent, non cognoſcit enim nec cognoſcere poteſt legem qua vetitus eſt tanquam illicitus: ut enim ſupponimus, laborat ille ignorantia plane invincibili; Igitur quod fit ex ignorantia invincibili non eſt voluntarium, adeoque ejuſmodi ignorantia excuſat a peccato.

Secundum momentum ex eo petitur quod in præcedenti diſputatione oſtendimus ſatis eſſe, ut aliquis agat ex judicio prudenti, adeoque tuta conſcientia quod ſequatur opinionem probabiliorem relicta minus probabili, certus certitudine morali eam partem quam amplectitur eſſe veram: ex quo principio abunde a nobis ſtabilito ſic juvat argumentari, Is non peccat qui agit ex judicio prudenti; prudentia enim eſt certa agendorum regula: Sed homo agit ex judicio prudenti, cum tranſgreditur aliquod præceptum legis naturalis hac in parte laborans ignorantia invincibili; nam ille cenſetur agere ex judicio prudenti qui ex duabus opinionibus ſequitur probabiliorem relicta minus probabili; nemo enim prudentius ſeſe gerere poteſt, quam ſi e duabus partibus oppoſitis eam eligat, quæ poſt ſinceram & diligentem veritatis inquiſitionem

con-

conſultis ſapientiſſimis Doctoribus, & cæteris demum ad illud negotium pertinentibus ſedulo inſpectis, verior & probabilior ipſi apparet: Sed cum homo ſequitur falſum & ex ignorantia invincibili tranſgreditur præceptum legis naturalis, tunc e duabus opinionibus oppoſitis ſequitur probabiliorem relicta minus probabili, & quæſita diligenter veritate eam amplectitur partem quam putat judicio ſincero eſſe veram; ergo agit ex judicio prudenti, adeoque errat inculpabiliter.

Tertium momentum ex eo ſumitur quod ignorantia invincibilis juris poſitivi omnino excuſat a peccato, ut fuſius oſtendetur infra, & vel ipſi confitentur adverſarii: ſed quibus principiis certum eſt apud Theologos ignorantiam invincibilem juris poſitivi omnino excuſare a peccato, iiſdem merito & invicte colligitur ignorantiam invincibilem juris naturalis ſimiliter ab omni culpa operantem eximere, vanaque ſunt penitus & commentitia utriuſque juris diſcrimina, quæ ſuper hoc negotio excogitarunt adverſarii.

Primo quidem iiſdem principiis ignorantia juris naturalis excuſat a peccato ac ignorantia juris poſitivi; ideo enim ignorantia juris poſitivi excuſat a peccato (ſi fides adhibeatur S. Auguſtino; cujus potiſſimum auctoritate nititur Janſenius, ut oſtendat excuſabilem eſſe ignorantiam juris divini in iis qui Chriſto non crediderunt,) quia citra contemptum legis vixerunt, & dicere potuerunt, Non vidimus, non audivimus; id manifeſte colligitur ex Tractatu 89. in Joan. *Sed quod adjunxit*, inquit, *nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, poteſt movere quærentes, utrum hi ad quos non venit Chriſtus, nec locutus eſt eis, habeant excuſationem de peccato ſuo.... reſpondeo habere illos excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quod in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit & quibus non eſt locutus... Sed utrum hi qui cum audirent contempſerunt, vel etiam reſtiterunt, nec tantum contradicendo, ſed eos a quibus audierunt odiis perſequendo, in eis deputandi ſunt, &c.* Et poſtea: *Iſti certe ad quos venit & quibus locutus eſt Chriſtus non habent de magno infidelitatis peccato illam excuſationem qua poſſint dicere, Non vidimus, non audivimus.* Ubi profecto S. Auguſtinus docet ideo Judæos qui Chriſto non crediderunt, excuſationem non habere, quia eum contempſerunt, & ei reſtiterunt, nec poſſunt dicere, *Non vidimus, non audivimus;* unde ſequitur alios qui de Chriſto nihil quicquam audiverunt, ideo excuſabiles eſſe quod Chriſtum non contempſerunt, ei non reſtiterunt, & merito dicere poſſunt, *Non vidimus, non audivimus.*

Quapropter eo nomine ignorantia invincibilis juris poſitivi excuſat a peccato, quod qui jus poſitivum ignorant, nec legem contemnunt, nec legi reſiſtunt, ſed ſincere reſpondere poſſunt ſe legem non vidiſſe, non audiviſſe: Atqui ſimiliter qui errant ex ignorantia invincibili juris naturalis, legem nunquam contempſerunt; in ea enim animi diſpoſitione verſantur, ut ſi exiſtimarent rem illam de qua agitur, legi naturali eſſe diſſentaneam, ab ea plane abſtinerent; tum vero legi nunquam reſtiterunt, quandoquidem poſt accuratum & diligens ſtudium inquirendæ veritatis nondum in eorum venit notitiam quid eſſet licitum, quidve illicitum; unde & iſti merito dicere poſſunt, *Non vidimus, non audivimus;* ergo qua ratione & quibus principiis ignorantia juris poſitivi excuſat a peccato iiſdem plane & excuſat ignorantia juris naturalis.

Omitto quod in communi Theologorum mente & doctrina hic dici ſolet, ideo ignorantiam invincibilem juris poſitivi excuſare a peccato, quia quod fit ex ejuſmodi ignorantia non eſt voluntarium & liberum, quia nemo peccat in

eo quod invitus ignorat, quia nemo tenetur ad impoſſibile, &c. Atqui pariter quod fit ex ignorantia invincibili juris naturalis, non eſt voluntarium & liberum, ut mox oſtendimus, nec minus hoc in negotio verum eſt neminem peccare in eo quod invitus ignorat, & neminem teneri ad impoſſibile; ergo iisdem principiis ignorantia invincibilis juris naturalis excuſat a peccato, ac ignorantia juris poſitivi.

Secundo nullius plane roboris eſt quod in diſcrimen utriuſque juris, naturalis ſcilicet & poſitivi proferunt adverſarii. Ejuſmodi eſt quod docet Janſenius lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 6. ideo ignorantiam juris poſitivi excuſare a peccato, *Quia ſcientia juris poſitivi vel etiam divini non eſt homini connaturalis, neque naturaliter medullis ejus vi creationis inſita, ſicut veritatum illarum æternarum practicarum, in quibus jus ſeu lex naturæ conſtituta eſt*. Quæ quidem Janſenii ratio eſt omnino frivola: ad ſummum enim ex ea colligeretur nullam dari juris naturalis ignorantiam invincibilem, quod & ipſi nos confitebimur ſequenti diſputatione quoad nempe præcepta generaliora, non quoad remotiſſimas concluſiones; ſed inde non ſequitur ignorantiam invincibilem juris naturalis eſſe vitioſam, & conſequenter peccatum eſſe deputandum id quod ex ea fit. Quamobrem, ut dicemus, ſcientia juris naturalis eſt quidem omnibus & ſingulis hominibus congenita, quoad communia quædam & univerſalia præcepta, quæ citra culpam nemo ignorare poteſt; quorum proinde nulla datur ignorantia invincibilis, ſecus vero ſi ſermo ſit de aliis veritatibus practicis particularibus, quæ a multis ignorantur poſt accuratum & diligens ſtudium inquirendæ veritatis.

Neque plus virium habet quod addit ibidem Janſenius, ideo ignorantiam invincibilem juris poſitivi excuſare a peccato, quia non eſt in pœnam peccati inflicta; cum e contra ignorantia juris naturalis ita vitioſa ſit, ut ſine peccato infligi nullo modo queat: *Ad naturam enim hominis*, inquit, *quodammodo pertinet iſtarum naturalium veritatum ad juſtitiam pertinentium notitia, & ideo tolli niſi per peccata non potuit, Deo non ſubtrahente quod naturali humanæ naturæ rectitudini & honeſtati congruit, niſi præcedente aliqua iniquitate provocetur*.

Quæ ratio manifeſtæ falſitatis arguitur; tum quia non id omne rationem peccati habet, quod pœna eſt præcedentis peccati, concupiſcentia enim pœna peccati eſt, ipſa tamen per ſe & ſecundum ſe non eſt peccatum proprie dictum, ſicut nec cæteræ humanæ naturæ calamitates; tum quia ignorantia invincibilis juris poſitivi eſt ſimiliter pœna peccati, vel fatente ipſo Janſenio, qui lib. 3. de ſtatu naturæ puræ cap. 10. & 11. docet nullum qualecunque malum inferri a Deo poſſe creaturæ rationali ſine culpa præcedente; unde ſequitur ignorantiam juris poſitivi, quæ profecto malum eſt & miſeria, pœnam eſſe peccati originalis; quapropter cum S. Auguſtinus adverſus Pelagianos contendit ignorantiam malam eſſe, plurima ignorantiæ juris poſitivi exempla producit.

Denique nec firmior eſt aliorum ratio, qua docent ideo ignorantiam juris poſitivi excuſare a peccato, quia actus jure poſitivo prohibitus non eſt intrinſece malus, ſed tantum illicitus, quia prohibitus: unde, ſi ignoretur prohibitio, ſitque involuntaria talis ignorantia, ejuſmodi actus peccatum non eſt. At vero, inquiunt, actus lege naturali prohibitus, eſt intrinſece & eſſentialiter malus, adeoque a culpa inſeparabilis, non modo independenter a cognitione prohibitionis, ſed & ab ipſa prohibitione facta. Verum & iſti graviter hallucinantur, nihil enim eſt intrinſece malum, & vitio verti poteſt niſi quod voluntarium eſt & liberum; nihil autem voluntarium & liberum quod non ſit

ab agente rationali præcognitum; tum vero lex omnis vel etiam naturalis, ut obligare cenſeatur, debet ſuo modo intimari & manifeſtari; cujus conditionis defectu ut contingit in iis qui ignorantia invincibili juris naturalis laborant, nulla eſt legis transgreſſio, nullum peccatum, nulla iniquitas; quæ quidem immota manere debent in moralibus principia. Quapropter cum dicuntur nonnulli actus eſſentialiter & intrinſece mali, qualia ſunt peccata quæ fiunt adverſus legem naturalem, ut mendacium & furtum, id intelligitur eo ſenſu quod ſint mali independenter ab ulla lege poſitiva ejuſmodi actus prohibente; non autem quaſi mali ſint & in peccatum imputentur independenter a cognitione legis per quam prohibentur, quæ cognitio legis vel ſit in homine, vel ſaltem potuerit eſſe.

Quartum denique momentum ad aſſerendam hanc noſtram concluſionem petitur ex incommodis pene innumeris, quæ ex doctrina adverſariorum manifeſte ſequuntur.

1. enim inde ſequitur hominem non modo poſſe, ſed etiam debere agere contra propriam conſcientiam, poteſt enim & tenetur in illa ſententia agere ſecundum legem naturalem, ſed fieri poteſt, ut quod revera ſecundum legem naturalem illicitum eſt & malum, id ipſum aliquis putet eſſe licitum, laborans ſcilicet ignorantia invincibili; igitur poterit quis in illa ſententia vel etiam tenebitur agere contra propriam conſcientiam.

2. Hac doctrina inducetur incredibilis conſcientiæ perplexitas; nemo enim abſoluta & perfecta certitudine novit omnia & ſingula legis naturalis præcepta, ruſtici & indocti multa ignorant e primis & univerſaliſſimis juris naturalis principiis, docti vero quamplurimi non raro fluctuant circa concluſiones & alias veritates quæ ad jus naturale pertinent, in quibus ſcilicet vident plerumque diſſidere inter ſe Doctores & Caſuiſtas; quo fit ut nunquam in tuto futura ſit conſcientia, niſi præſupponatur ſatis eſſe ad ſecuritatem conſcientiæ ſincerum & accuratum adhibere ſtudium ad quærendam veritatem, & proinde ignorantiam invincibilem excuſare a peccato.

3. Quia ejuſmodi adverſariorum ſententia onus imponit hominibus graviſſimum, & ſupra eorum vires omnino poſitum, eſt enim plane impoſſibile, ut in incognitum ferantur homines; ſed in illa hypotheſi in incognitum ferri tenerentur homines, nempe in id quod fuiſſet præceptum lege naturali, & tamen ignorant ignorantia invincibili; ergo plerumque mandatum imponeretur hominibus impoſſibile. Hæc porro & alia ſimilia conſectaria hujus ſententiæ eſſe valde abſurda, nemo facile non intelligit.

Objicies: Multa leguntur in Scripturis, quæ manifeſte indicant res factas ex ignorantia invincibili eſſe peccata.

1. Geneſ. 20. cap. actio Regis Abimelech volentis Saram in uxorem accipere, quam invincibiliter ignorabat eſſe conjugem Abrahæ: *Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tuliſti, habet enim virum. Abimelech vero non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem & juſtam interficies?*

2. Levitici cap. 5. Statuuntur ſacrificia pro illis qui peccaverint ex errore, oblivione & ignorantia, offerenda, Verſu 17. *Anima ſi peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam*. Verſu 19. *Qui orabit pro eo, quia neſciens fecerit; & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum*.

3. Eliphaz Themanites ignorabat ignorantia plane invincibili innocentiam Jobi cum eum reprehendebat; quis enim

graviſſimi criminis hominem non arguiſſet, quem audiebat impie murmurantem adverſus Dei providentiam? Eliphæ tamen id in culpam inputavit Deus, ut conſtat ex lib. Job cap. 42. ubi ſic habetur: *Poſtquam autem locutus eſt Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus eſt furos meus in te & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Job.*

4. Crimen Saul fuit crimen ignorantiæ; is enim deleto Amalech, interfectiſque omnibus a ſene ad parvulum, oves & boves Deo in gratiarum actionem immolandas ſervaverat; quis autem id pietati ac religioni non vertiſſet? quis illum ſaltem ob ignorantiæ cauſam non excuſaret? & tamen teſte Scriptura I. Reg. c. 15. rejectus eſt a Deo, ne regnaret amplius, nec ejus ignorantiæ parcitum eſt.

5. Jonathas I. Reg. 14. morte damnatur, eo quod mel guſtaſſet contra patris imperium ſibi ignotum.

6. David Pſalmo 24. inter peccata ſua commemorat ignorantias juventutis; ſic enim Deum affatur: *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.*

7. Cum Judæi negligebant parentibus opitulari ſub vano pietatis erga Deum cultu & præcepto, profecto agebant contra legem naturalem, & quidem ex ignorantia invincibili & bona fide: Atqui tamen acriter eos increpat Chriſtus Dominus, quod nempe mandatum Dei irritum facerent, ut conſtat ex Matth. 15. cap.

8. Lucæ 12. ſervus ignorans voluntatem domini, tamen dicitur feciſſe digna plagis, quapropter paucis vapulat.

Ex quibus aperte colligitur peccata ignorantiæ eſſe vera peccata, adeoque ignorantiam non excuſare a peccato.

Reſpondeo ex illis & ſimilibus Scripturæ teſtimoniis ſententiam adverſariorum neutiquam roborari; cum in illis ſingulis vel agatur de ignorantia vincibili quam ultro confitemur eſſe culpabilem, vel de ignorantia aut facti aut juris poſitivi, quam, ſi invincibilis eſt, fatentur illi excuſare a peccato.

Ad primum quidem quod ſpectat, ignorantia qua laboravit Abimelech fuit ignorantia facti, ut per ſe patet, ignoravit enim Saram eſſe Abrahæ uxorem; quocirca ſi peccavit proprie dicto peccato, dicatur neceſſe eſt ejus ignorantiam fuiſſe vincibilem, ut cum nonnullis Interpretibus docet Henricus Gandavenſis quodlib. 12. quæſt. 25. *Abimelech*, inquit, *revera peccaſſet ſi cognoviſſet Saram, etiam ipſa accepta in uxorem, quia non ſufficienter inquiſivit an fuiſſet uxor Abrahæ; excuſatus tamen fuiſſet in aliquo propter quod etiam Dominus eum cuſtodivit, quia Sara requiſita quæ eſſet, reſpondit ſe eſſe ſororem Abrahæ; quod ſi credidiſſet, nequaquam eam cognoſcere voluiſſet, in quo Auguſtinus commendat ejus juſtitiam in lege naturæ.*

Neque aliud inferri poteſt ex eo quod ſecundo loco proponitur, quia nempe illa ignorantia quæ in lege ſacrificiis purgabatur, facti erat ut plurimum, aut juris poſitivi, quæ proinde vincibilis eſſe debuit ut in culpam imputaretur, ut expreſſe docet S. Auguſtinus lib. de Natura & Gratia cap. 17. *Aliud eſt*, inquit, *non curaſſe ſcire quæ negligentia peccata etiam per ſacrificia legis videbantur expiari; aliud intelligere velle nec poſſe, &c.*

Ad tertium dico per comparationem exponendum eſſe id quod Deus dixit Eliphaz & aliis Jobi amicis, *quoniam non eſtis locuti coram me rectum*, quaſi nempe ſignificet meliora locutum eſſe Job; ſiquidem contra virum juſtum improvide ſuffragia ſua tulerant, eumque intemperantius redarguerant, Dei cauſæ hac in parte patrocinari ſe exiſtimantes, in quo quidem graviter hallucinabantur, nemini enim licitum eſt ejuſmodi injuriis & obtrectationibus alium impetere,

tere, quia, ut ait Regius Pſaltes Pſal. 63. *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.*

Plus virium non habet quod poſtea objicitur de Saule; ſiquidem ejus peccatum non fuit ignorantiæ, ſed inobedientiæ, eo quod nempe contra expreſſum Dei mandatum pepercit Agag & optimis gregibus ovium & armentorum, ut ea Deo immolaret, quemadmodum teſtatur Samuel his verbis: *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? melior eſt enim obedientia quam victima.*

In quinto reſpondent Scripturæ interpretes illam Jonathæ condemnationem non fuiſſe juſtam, ſed potius peccaſſe Saulem, cum indiſcretum illud præceptum tam ſeveri jejunii ſtatuit ſub pœna capitis, & poſtea Jonatham morti addixit cum juramento, eo quod in gravi neceſſitate paululum mellis guſtaſſet; quibus adde nimis, ut aiunt, probare illud argumentum; hæc enim ignorantia qua laborabat Jonathas fuit ignorantia juris poſitivi, qua nempe præceptum ſui patris neſciebat, non autem ignorantia juris naturalis, de qua ſolum hic quæſtio agitatur.

Ad ſextum dico ſimiliter Davidem locutum eſſe vel de ignorantiis vincibilibus, quas nempe ſuperare neglexerat, vel de ignorantiis facti; ad utrumque illud ignorantiæ genus verba Prophetæ revocat Auguſtinus, & primo quidem ad ignorantiam vincibilem; libro enim de geſtis Pelagii cap. 18. cum hanc Celeſtii propoſitionem recitaſſet, *oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato*, ad eam confutandam hunc Davidis locum producit his verbis: *Cum David dicat, Delicta juventutis meæ ne memineris & ignorantias, & cum in lege ſacrificia pro ignorantia, ſicut pro peccato offerantur.* Ubi certe loquitur de ignorantia vincibili, de qua nempe interpretatus eſt poſteriorem locum quem adducit e capite quinto Levitici, ut ſupra monuimus in reſponſione ad ſecundum. Deinde & eadem verba Pſalmitæ interpretatur S. Auguſtinus de ignorantia facti; ſic enim habet lib. 3. de libero arbit. cap. 18. *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur & corrigenda judicantur, ſicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apoſtolus, Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Ait & Propheta, Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.* Quæ quidem repetit lib. 1. Retract. cap. 9.

Ad ſeptimum reſpondeo invincibilem non fuiſſe ignorantiam Phariſæorum, qua nempe laborabant, cum ſub Religionis ſpecie omnia bona ſua ſe Templo offerre coram populo gloriabantur; ut inde, ſi quid poſtea parentes peterent, nihil plane ipſis ſe dare poſſe reſponderent; tunc, inquam, ignorare non potuerunt Judæi urgere præceptum divinum vel etiam legem naturalem, qua quivis tenetur honorare parentes; atque, ut ſcribit Hieronymus, iſtum honorem non tam in ſalutationibus & officiis deferendis quam eleemoſynis impertiendis poſitum eſſe, quo fit ut merito reprehendantur a Chriſto Domino.

Denique quod Lucæ 12. cap. dicitur ſervus feciſſe digna plagis, tametſi voluntatem Domini penitus ignoraverit, profecto nihil continet difficultatis; tum quia agitur eo loci de ignorantia vincibili, qua nempe ſervus defectu vigilantiæ ignorat adventum Domini, admonet enim Chriſtus omnes debere omni tempore & ſingulis horis eſſe paratos; tum quia hæc eadem ignorantia eſt facti vel juris poſitivi, ut per ſe patet, unde argumentum ex illo teſtimonio petitum nimis probaret.

Objicies cum Janſenio: Solemne fuit Pelagianorum dogma, *oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato*, ut patet ex S. Auguſtino lib. de geſtis Pelagii c. 18. quod quidem de ignorantia invincibili

cibili intelligebant iſti Hæretici, ut aperte colligirur ex eadem propoſitione, quæ ex ſeptimo Celeſtii capitulo eruta ſic ibidem legitur: *oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem*. Siquidem ignorantia illa quæ ſecundum neceſſitatem, non ſecundum voluntatem, hoc eſt, cujus cauſa non eſt voluntas, ſed neceſſitas, eſt plane invincibilis: Atqui hoc Pelagianorum dogma acriter oppugnatum fuit ab omnibus Catholicis Scriptoribus, præſertim vero a Synodo Dioſpolitana apud Paleſtinam, a S. Auguſtino & S. Hieronymo.

1. Quidem Synodo Dioſpolitana, ubi Pelagius præſens adfuit; cum enim illa ſententia, quæ docet *ignorantiam quæ evenit ſecundum neceſſitatem non voluntatem, non ſubjacere peccato*, cum nonnullis aliis ex doctrina Celeſtii fuiſſet objecta, ita Catholicos commovit Epiſcopos, ut non expectata ejus reſponſione dixerint, *Quid ad hæc quæ lecta ſunt capitula dicit præſens Pelagius Monachus? Hoc enim reprobat ſancta Synodus & ſancta Dei Catholica Eccleſia*; & Pelagius ipſe non audens judicio refragari, *Quæ dixi*, inquit, *non eſſe mea*, inter quæ iſtud unum fuit, *ſecundum judicium ſanctæ Eccleſiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti & contradicenti ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ doctrinis*. Hæc leguntur apud Auguſt. libro citato de geſtis Pelagii cap. 19.

2. Idem conſtat ex eodem S. Doctore, qui quidem, inquit Janſenius, in illo libro quem ex profeſſo de Pelagii in illa Synodo geſtis exaravit, cum ad illud caput de experte peccati invincibili ignorantia perveniſſet: *Jam*, inquit cap. 17; *ea quæ reſtant noviſſima ita Judices commoverunt, ut ante reſponſionem Pelagii damnanda cenſerent*; & cap. 21. addit *ſe Judicum non arguere vel negligentiam vel conniventiam, vel quod ab eis longe abhorrere certiſſimum eſt, impiorum dogmatum conſcientiam*; *ſed eorum judicium pro merito approbare atque laudare*; & cap. 25. *At nunc ſi Pelagius Deum cogitat, ſi non eſt ingratus ejus miſericordiæ, qui eum ad Epiſcoporum judicium propterea perduxit, ut hæc anathemata defendere poſtea non auderet, jamque deteſtanda & abjicienda cognoſceret, gratius acciperet litteras noſtras, &c.* Ubi anathemata non defendenda in poſterum, deteſtanda & abjicienda vocat Auguſtinus ea quæ Judices proſcripſerunt; adeoque hanc Celeſtii propoſitionem qua dixerat *oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato*, unde cap. ultimo articulorum Pelagianæ hæreſeos catalogum pertexens, non infimum locum tenet iſte, *quod oblivio & ignorantia non ſubjaceant peccato, quoniam non eveniunt ſecundum voluntatem, ſed ſecundum neceſſitatem*.

Demum & illam Pelagianorum ſententiam acriter oppugnavit S. Hieronymus in dialogis, quos ſub nominibus Attici & Critobuli ſcripſit poſt Synodum Paleſtinam; dialogo enim primo prope ſub finem cum dixiſſet Critobulus qui Pelagiani perſonam agit: *Rogo quæ eſt iſta juſtitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia? neſcio me peccaſſe, & ejus rei quam neſcio pœnas luo? & quid plus facio ſi ſponte peccavero?* Reponit Catholicus ſub nomine Attici: *Reſpondet ſtultæ interrogationi tuæ liber Sapientiæ: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris*, & alibi: *Noli eſſe ſapiens multum, & noli argumentari plusquam oporteat*. Quod idem & longe fuſius proſequitur initio dialogi ſecundi; Igitur a Synodo Dioſpolitana, S. Auguſtino & S. Hieronymo acriter oppugnatum eſt hoc Pelagianorum dogma *quod oblivio & ignorantia non ſubjacent peccato, quando non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem*. Unde manifeſte ſequitur Catholicam Eccleſiam conſtanter docuiſſe, igno-

ignorantiam invincibilem non excuſare a peccato.

Diſt. min. Hoc Pelagianorum dogma, quo dicebant *oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato*, acriter oppugnatum fuit & damnatum a Synodo Dioſpolitana, a S. Auguſtino & S. Hieronymo; eo quod nempe hanc propoſitionem univerſaliter & ſine ulla reſtrictione efferebant Pelagiani, C. quaſi damnata fuerit intellecta cum reſtrictione de ſola ignorantia invincibili, N. Hanc igitur præfatam propoſitionem condemnant Synodus Dioſpolitana, S. Auguſtinus & S. Hieronymus locis citatis; quia nempe tradi ſolebat a Pelagianis ſine ulla penitus reſtrictione, quaſi vellent nullam penitus ignorantiam, quæcunque tandem illa ſit, in culpam imputari poſſe, quod profecto falſum eſt & acri cenſura dignum: Siquidem ignorantias culpabiles manifeſte declarant Scripturæ ſacræ, ſeu ſint facti, ſeu juris poſitivi, ſeu juris naturalis; ſed non condemnatur iſta Pelagianorum propoſitio intellecta peculiariter de ignorantia invincibili juris naturalis; quo fit ut nihil quicquam colligi poſſit adverſus noſtram ſententiam, ex eo quod in Pelagianos inſurrexerint citati Scriptores.

Atque hanc propoſitionem Pelagianorum fuiſſe revera univerſaliter velut de omni ignorantia ab ipſis enuntiatam, & quatenus talem ſeu univerſaliter intellectam de omni ignorantia, vel facti, vel juris poſitivi, vel juris naturalis, condemnatam tum a Synodo Dioſpolitana, tum a Sancto Auguſtino, tum denique a S. Hieronymo, manifeſte conſtabit penitus attendenti ad eorum verba.

Ac primo quidem id oſtenditur ex eo quod in rei veritate propoſitio Celeſtii damnata in Synodo Paleſtina, generalis erat nullis circumſcripta limitibus, adeoque videbatur in ejus mente complecti omnem ignorantiam, *oblivio & ignorantia non ſubjacent peccato*, quod intelligi poteſt de ignorantia vincibili & de invincibili; tum vero de ignorantia facti & juris poſitivi, ſicut & de ignorantia juris naturalis. Adde quod Pelagius ſine dubio de ea ignorantia hanc Celeſtii propoſitionem interpretatus eſt, de qua & eam intellexerunt acutiſſimi hujuſce factionis Pelagianæ indagatores Auguſtinus & Hieronymus: Atqui certum eſt Auguſtinum & Hieronymum impugnare id quod dixerat Celeſtius, quaſi locutus fuiſſet de ignorantia facti vel juris poſitivi, ut mox oſtenſuri ſumus; ergo & ipſe Pelagius hanc diſcipuli ſui propoſitionem tanquam generaliter veram propugnabat.

Secundo & idem aperte declarat Paleſtina Synodus, quæ quoniam hanc Celeſtii propoſitionem ſtatim atque audita fuit, non expectata illius reſponſione damnavit, ut teſtatur S. Auguſtinus lib. de geſtis Pelagii cap. 17. eam profecto damnavit in ſenſu obvio: Sed ſenſus obvius quem præ ſe fert illa propoſitio, eſt ſenſus in quo accipitur univerſaliter de qualibet ignorantia; Hanc igitur Pelagianorum propoſitionem condemnavit Synodus ut generalem & abſolute intellectam de qualibet ignorantia.

Tertio id colligitur ex S. Auguſtino qui libro de geſtis Pelagii cap. 18. eo nomine refellit Celeſtii propoſitionem quod *David dicat, Delicta juventutis meæ ne memineris & ignorantiæ meæ*, & *cum in lege ſacrificia pro ignorantia ſicut pro peccato offerantur*. Quæ loca Scripturæ, ut ſupra diximus, intelligenda ſunt & de ignorantia vincibili & de ignorantia facti, aut juris poſitivi, unde ſequitur S. Auguſtinum impugnaſſe propoſitionem illam Pelagianorum acceptam generaliter de omni ignorantia.

Quo plane modo ſe gerit paſſim ſanctus Doctor in aliis ſuis operibus contra Pelagianos; ubi, cum de ignorantiæ peccatis diſputationem inſtituit, ea promiſcue uſurpat exempla vel Scripturæ teſtimonia, quæ intelliguntur de ignorantia

rantia

rantia facti, vel de ignorantia juris poſitivi; lib 3. contra Jul. cap. 19. profert exemplum Regis Abimelech qui ex ignorantia facti & quidem vincibili peccaverat: *Non attendiſti*, inquit, *homo qui non vis divino judicio quemquam non ſuis ſed alienis plecti poſſe peccatis, quomodo fieri potuerit ut Abimelech peccaret, quamvis nec ipſe adulterino corde peccaverit, & Deus quantulumcunque peccatum ejus in mulieribus ad eum pertinentibus vindicaret*. Lib. 1. de peccatorum merit. & remiſſ. cap. 36. *An nullum eſt*, inquit, *ignorantiæ malum & ideo nec purgandum? Et quid agit illa voce, Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris*, quod idem habet lib. 1. operis imperf. contra Julianum cap. 105. his verbis: *Neceſſe eſt enim ut peccet qui neſciendo qui facere debeat, quod non debet, facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur, Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris*. Quæ verba Pſal. 24. explicat alibi S. Auguſtinus vel de ignorantia vincibili, vel de ignorantia facti, ut ſuperius a nobis obſervatum eſt.

Quibus adde S. Auguſtinum, cum in libro de geſtis Pelagii fraudes omnes exponit, quibus Hæreticus iſte Synodo Paleſtinæ illuſit, neutiquam monet propoſitionem Celeſtii admitti poſſe ut veram & Catholicam, ſi de ignorantia facti aut juris poſitivi locutus fuerit Celeſtius; unde manifeſte ſequitur ab eo impugnatam fuiſſe hanc propoſitionem, prout generalis erat & a Pelagianis accipi videbatur de omni plane ignorantia.

Quarto demum & idem oſtenditur ex S. Hieronymo, qui in dialogis adverſus Pelagianos ſcribens in propoſitionem Celeſtii & multis Scripturæ teſtimoniis Synodi Paleſtinæ cenſuram confirmans, ea ſolum uſurpat, quæ loquuntur de ignorantia facti aut juris poſitivi, ſic enim habet dialogo primo: *Audi ergo*, inquit, *teſtimonia Scripturarum, ut ſtulta imo impia ſciſcitatio tua in perpetuum conticeſcat, loquitur Deus in Geneſi, non adjiciam ultra maledicere terræ proter opera hominum, quia oppoſita eſt mens hominis diligenter ad mala a pueritia. Abraham & Sara audita repromiſſione filii Iſaac rident in corde ſuo, & tacita cogitatio non latet ſcientiam Dei. Arguuntur in riſu, & ipſa cogitatio quaſi pars infidelitatis reprehenditur. Attamen non ex eo quod riſere, diffidentiæ condemnantur, ſed ex eo quod poſtea crediderunt, juſtitiæ palmam acceperunt. Loth neſcit in concubitu filiarum quid fecerit, & inebriatus ab eis non habet crimen conſcientiæ, & tamen error in vitio eſt. Argue ſanctum virum Jacob, quare Rachel formoſam dilexerit, pro qua & ſervivit multo tempore, & in Lia primo concubitu fuerit contriſtatus, & acquieſce tandem humanæ fragilitati, quæ etiam pulchra corpora diligit, & deformia deteſtatur. Luget Jacob mortem filii ſui Joſeph & multo tempore conſolationem non recipit filiorum, reſpondetque lugens ac gemens, Vadam ad infernum, & probat ſe hominem, dum juſtus ignorat quid actum ſit de juſto filio Joſeph. In Exodo ſcriptum eſt, Si percuſſerit aliquis quempiam & mortuus fuerit, morte moriatur; ſin autem non volens, ſed Deus tradidit eum in manibus ejus dabo tibi locum, ad quem confugiat qui occiderit. In quo notandum eſt, quod Deus tradidit hominem in manus ejus & ille qui occidit per ignorantiam exilio condemnatur. In Levitico lex ponitur, Anima ſi peccaverit in conſpectu Domini non ſponte ex omnibus præceptis Domini.... Statimque in ſequentibus, ſi tetigerit aliquid immundum quod non liceat tangere & fecerit per ignorantiam, &c.* Sicque rem fuſiſſime proſequitur & innumera propemodum refert Scripturæ teſtimonia ex Levitici 5. 8. 9. 12. 13. 15. 22. ex Num. 6. 14. 15. 28. 29. ex Deuteron. cap. 12. ex 1. Reg. 15. 2. Reg. 24. ex Ezechiele 46. Jerem. 10. & aliis ejuſcemodi, in quibus peccata ignorantiæ

redar-

redarguuntur, ſed quæ ſunt fere ſingula ignorantiæ facti aut juris poſitivi; unde manifeſte colligitur id a S. Hieronymo oppugnatum fuiſſe in Pelagianis, quod dicerent ignorantiam quamcunque univerſaliter excuſare a peccato.

Inſtabis: Seu Pelagiani in hac ſua propoſitione qua dicebant *ignorantiam non ſubjacere peccato*, locuti fuerint de ignorantia generaliter accepta, prout ignorantiam facti aut juris poſitivi complectitur, vel ſolummodo de ignorantia juris naturalis; id unum certum eſt eos verba feciſſe de ignorantia invincibili; & ita voluiſſe tantum ignorantiam non ſubjacere peccato, quando invincibilis eſt: Atqui tamen ob id damnati ſunt & a Synodo Paleſtina & a S. Auguſtino, & a S. Hieronymo; conſtans igitur fuit Eccleſiæ doctrina ignorantiam tametſi invincibilem ſubjacere peccato.

Major porro propoſitio, nempe id de invincibili ignorantia intellexiſſe Pelagianos, invictiſſimis oſtenditur momentis.

Primo quidem quia non ſemel docuerunt illam ignorantiam, quæ ex negligentia veritatis naſcitur, eſſe culpabilem, ut manifeſte conſtat ex ipſius Pelagii Epiſtola ad Demetriadem, quæ extat apud S. Auguſt. in appendice tom. 2. *Prima virginis cura*, inquit cap. 9. *primumque ſtudium ſit ſcire voluntatem Domini ſui, & quid ei placeat, quidve diſpliceat diligenter inquirere: ut ſecundum Apoſtolum rationabile Deo reddat obſequium, totumque vitæ ſuæ curſum ex ejus poſſit ordinare ſententia. Impoſſibile eſt enim ei quemquam placere, cui quid placeat ignorat, fierique poteſt, ut etiam obſequendi voto offendat, qui quomodo obſequi debeat, ante non didicit: & ut majus eſt voluntatem Domini facere quam noſſe, ita prius eſt noſſe quam facere. Illud enim merito præcedit hoc ordine, unde Profeta dicit, Et tu Iſrael noli ignorare; & B. Paulus, Qui autem ignorat, ignorabitur.* Idemque alibi: *Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Domini. Initium obedientiæ eſt, quid præcipiatur velle cognoſcere, & pars eſt obſequi didiciſſe quid facias.* Idem evincunt hæc Pelagii verba quæ referuntur a S. Auguſtino lib. de natura & gratia cap. 17. *Tractat etiam iſte* Pelagius *de peccatis ignorantiæ & dicit, hominem prævigilare debere ne ignoret; ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentia, quod adhibita diligentia ſua ſcire debuiſſet.* Unde & ad initar magiſtri Julianus graviter culpabat ſciendi negligentiam teſte eodem S. Aug. lib. 6. c. Jul. c. 1. *Ecce*, ait Auguſt. *merito reprehendiſti eos qui ſuperſederunt ſcienda cognoſcere, vel non formidant ignorata culpare.*

Secundo, quia revera id expreſſe enuntiatur in præfata Celeſtii propoſitione quam proſcripſit Paleſtina Synodus, in ea enim legitur, oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, *quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem.* Hoc eſt, ſi talis ſit illa ignorantia, ut ejus cauſa ſit neceſſitas non voluntas, qua videlicet vinci potuerit. Quod ipſum exprimit Auguſtinus tum cap. 18. de geſtis Pelagii, tum capite ultimo, ubi totius hæreſis Pelagianæ dogmata recapitulando pertexens ſic habet, *quod oblivio & ignorantia non ſubjacent peccato, quoniam non eveniunt ſecundum voluntatem, ſed ſecundum neceſſitatem.*

Denique id manifeſte declarant graviſſimæ Pelagianorum querimoniæ apud Hieronymum, qui ut jam a nobis obſervatum eſt, poſt illam Synodum dialogos Attici & Critobuli exaravit: *His cunctis teſtimoniis*, inquit Critobulus initio dialogi ſecundi, *videris hominum accuſare naturam, ac per hoc invidiam referre in Deum, ſi tales homines condidit, ut oblivione & ignorantiæ peccato carere non poſſint; ex quo perſpicuum eſt hominem poſſe, ſi voluerit, non peccare; id*

enim fecit quod vitare non potuit, ubi autem aufertur poſſibilitas, aufertur & vitium, nemo enim condemnatur quod facere non potuit. & poſtea: *Nunquid & de Evangelio poteris hoc approbare, ut puniatur quiſpiam pro eo quod neſciat, & ante pœnas luat, quam ſit reus conſcientiæ?* Dixerat Dialogo primo: *Rogo quæ eſt iſta juſtitia ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia? neſcio me peccaſſe, & ejus rei quam neſcio, pœnas luo? Et quid plus faciam, ſi ſponte peccavero?* Ex quibus perſpicuum eſt Pelagianos id unum voluiſſe ignorantiam non ſubjacere peccato quando invincibilis eſt, Critobulus enim Pelagianos accuſat Atticum, quod hac ſua doctrina peccata referebat in Deum, quaſi hominem condemnaret in eo quod cavere non poterat: *Quæ eſt*, inquit, *iſta juſtitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia?* Quod profecto intelligi non poteſt niſi de ignorantia plane invincibili, vel ipſis conſentientibus Catholicis adverſus Pelagianos dimicantibus; quapropter nunquam Hieronymus id voluntatis inertiam, vel dicendi negligentiam confugit, cui ignorantiæ reatum tribuat; ſed potius ad profunditatem judiciorum Dei; nam adductis illis Pelagianorum querimoniis ſic reſpondet, *A me ſcientiæ & diſpoſitionis Dei cauſas requiris? Reſpondet ſtultæ interrogationi tuæ liber Sapientiæ; Altiora te ne quæſieris... O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt Judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus, &c.* Quis non videt, inquit Janſenius, & reſponſiones iſtas Doctoris Catholici ineptiſſimas eſſe & ſtultiſſimas Pelagianorum querimonias, ſi de ignorantia cujus voluntas cauſam & culpam dedit, controverſia verteretur? Nam neque tyrones primis principiis Theologiæ tincti, neque mulierculæ de foro, neque de ſtiva ruſtici diffitentur non minus jure plecti diſcendi a peritis quam docendi imperitos negligentiam. Quis enim neſciat omnem neglectum officii eſſe culpabilem?

Reſpondeo diſting. maj. Certum eſt Pelagianos, ubi docuerunt ignorantiam non ſubjacere peccato, locutos fuiſſe de ignorantia invincibili, ſic dicta invincibili in eorum principiis, & in ſenſu hæretico, C. ſic dicta invincibili ad ſenſum Catholicorum, N. revera Pelagiani in hac controverſia cum Catholicis locuti ſunt de ignorantia invincibili; & voluerunt ſolummodo ignorantiam non ſubjacere peccato quando invincibilis eſt, facti aliunde ignorantiam vincibilem non excuſare a peccato, quam doctrinam condemnarunt PP. Dioſpolitani & alii paſſim Scriptores Catholici; ſed ſuo ſenſu plane hæretico ignorantiam vincibilem & invincibilem accipiebant iſti hæretici. Scilicet duplici in capite errantes peſſime explicabant quid ſit ignorantia vincibilis, quid ſit invincibilis; & quia nempe omnem rejiciebant gratiam ad agendum neceſſariam, & quia nullam in homine lapſo admittebant concupiſcentiam.

Ac primo quidem quia gratiæ divinæ neceſſitatem rejiciebant Pelagiani, eam ſolum ignorantiam appellabant vincibilem quæ ſolis naturæ viribus ſuperari poteſt, docentes eo ipſo quo divinæ gratiæ auxilio ad bene agendum indigemus, immunes nos eſſe ab omni peccato, ſi bonum non faciamus; atque inde eam ſolum culpandam exiſtimabant ignorantiam quam propria adhibita diligentia, propriis viribus ſine ulla gratia depellere poſſumus. Id conſtat tum ex eo quod hic modus accipiendi ignorantiam vincibilem neceſſario ſequitur ex illo dogmate, quo nempe gratiæ actualis neceſſitatem rejiciebant; tum ex luculento S. Auguſtini teſtimonio quod legitur lib. de nat. & grat. cap 17. ubi loquens de Pelagio ſic habet: *Tractat iſte de peccatis ignorantiæ & dicit (hominem prævigilare debere ne ignoret, ideo-*

ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentia ſua, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet :) *Dum tamen omnia potius diſputet, quam ut oret & dicat, Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.* Pſalm. 118. *aliud eſt enim non curaſſe ſcire quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari; aliud intelligere velle nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit. Unde admonemur a Deo petere ſapientiam* (*qui dat omnibus affluenter.*) *Utique his omnibus qui ſic petunt & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda eſt.* Ubi cum Pelagio probet S. Auguſtinus ignorantiam ſuperari poſſe per gratiam Dei, noſque admoneri ut a Deo petamus ejuſmodi gratiam, manifeſte indicat Pelagii mentem fuiſſe, ignorantiam eatenus ſolum eſſe culpandam, quod propriis naturæ viribus ſine gratiæ auxilio vinci poteſt; quorſum enim ad refutanda hæc Pelagii verba gratiam Dei petendam admoneret S. Doctor? unde conſequenter eam omnem ignorantiam volebant eſſe invincibilem, ad quam vincendam requiritur divinæ gratiæ auxilium.

Secundo & errabant Pelagiani in aſſignanda notione ignorantiæ vincibilis, quia nullam in homine lapſo admittebant concupiſcentiam, nullam agendi difficultatem; ea enim ex cauſa ignorantiam appellabant invincibilem quando non erat facile vincibilis, rejecta ſcilicet omni inter agendum difficultate, id manifeſte colligitur ex dialogo ſecundo S. Hieronymi jam citato: totus eſt Atticus ſeu Catholicus, ut oſtendat neminem in hac vita ſine ullo prorſus peccato vivere poſſe, & Dei mandata facile cuſtodire; ad illud evincendum inter alia uſurpans, quæ præcedenti dialogo in medium protulerat, exempla nempe factorum per ignorantiam; ſic enim habet ſub initio, *Tacere tibi videor qui tantis exemplis docere te volui, peccare hominem per ignorantiam, & pro peccato, ut in lege hoſtias, ita & in Evangelio offerendam pœnitudinem?* ad hæc vero Critobulus ſeu Pelagianus, *Da teſtimonium ubi error & ignorantia & impoſſibilitas mandati teneatur in crimine.* Atticus vero: *Non neceſſe eſt multa proferre, unum proferam, cui certe contradicere non poteris. Vas electionis perſpicue loquitur: Conſentio enim legi Dei juxta interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis*, & poſtea adducto hoc teſtimonio Job 25. *Quis enim erit mundus a ſorde*, ſic proſequitur, *quod ſi dixeris pronomen, quis, non pro impoſſibili, ſed interdum pro difficili accipi, reſpondebo tibi. Et ubi eſt illud quod temere protuliſti? facilia eſſe Dei mandata & ea facile compleri .... Jacobus Apoſtolus ſcribit: Si judicas legem, non es factor legis, ſed judex. Ille judicat legem qui dicit aliquid non juſte præceptum, & ignorantiam non habere peccatum, & fruſtra offerri victimas pro errore quod peccati non habet conſcientiam.*

Ex cujus concertationis Atticum inter & Critobulum ſerie & decurſu perſpicuum eſt, eatenus Pelagianos ſibi objecta a Catholicis Scripturæ loca interpretatos eſſe de ignorantia invincibili, quam proinde inculpabilem contendebant; quatenus videbant Catholicos quandam admittere difficultatem inter agendum vel etiam neceſſitatem moralem; unde in illorum ſenſu, qui plane hæreticus eſt, ignorantia erat tantum vincibilis, adeoque culpanda, quando facile & nullo negotio ſuperari poterat.

His porro jactis duobus firmiſſimis ad præfatam difficultatem enucleandam fundamentis, jam nullus omnino remanere debet ſuper iſta re ſcrupulus; cum enim dicitur Pelagianos docentes ignorantiam non ſubjacere peccato, lo-

cutos fuiſſe de ignorantia invincibili; id intelligitur de ignorantia quæ invincibilis ſit eorum ſenſu; quaſi nempe ignorantia ſit invincibilis, vel quod vinci non poteſt ſolis naturæ viribus & ad eam ſuperandam requiritur gratia; vel quod facile non ſit vincibilis propter aliquam inter agendum difficultatem ex concupiſcentia ortam; quo certe præſuppoſito ſenſu falſum eſt ignorantiam invincibilem excuſare a peccato; apud Catholicos enim in culpam imputatur homini, quod ignorantiam non vincat; tametſi nonniſi difficile ſit vincibilis, & quidem per ſolum divinæ gratiæ auxilium. Quocirca mirum videri non debet, ſi hanc Pelagianorum propoſitionem qua dicebant *oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato*, tam acriter condemnaverint Patres Dioſpolitani, cæterique Scriptores Catholici cum SS. Auguſtino & Hieronymo.

At inquiunt adverſarii, ſecundum Pelagianos tunc ſolum oblivio & ignorantia non ſubjacent peccato, quando *non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem:* Sed ignorantia eſt plane invincibilis quæ eſt ſecundum neceſſitatem; ergo loquebantur Pelagiani de ignorantia plane invincibili.

Diſt. maj. ſecundum neceſſitatem ad ſenſum ipſorum Pelagianorum intellectam, C. ad ſenſum Catholicorum, N. Solutio patet ex dictis, in illa ſcilicet propoſitione, Pelagiani appellabant ignorantiam ſecundum neceſſitatem, quæ nonniſi difficile & per gratiam vinci poterat; unde conſequenter errabant docentes ejuſmodi ignorantiam non ſubjacere peccato.

Inſtabis: Sed ultro fatebatur Pelagius culpandam eſſe ignorantiam, quando evenit ſecundum voluntatem, quando vincibilis eſt, ut conſtat ex ipſius Epiſtola ad Demetriadem ſuperius citata; igitur cum dicebat ignorantiam non ſubjacere peccato, id intelligebat de ignorantia penitus invincibili.

Diſt. ant. Quando vincibilis eſt facile, ſine ulla difficultate, & per ſolas liberi arbitrii vires, C. quando vincibilis eſt cum ſtudio & labore, & quidem beneficio divinæ gratiæ adjuvantis, N. hunc eſſe ſenſum Pelagii apertiſſimum eſt ex eadem Epiſtola: cum enim monet hominem prævigilare debere, ut cognoſcat quid præceperit Deus, *Quia* inquit, *initium inobedientiæ eſt*, *quid præcipiatur velle cognoſcere*, *& pars eſt obſequii didiciſſe quid facias*. Id intelligit eo ſenſu, quod penes hominem ſit, ut ſine gratiæ divinæ auxilio per propriam induſtriam & diligentiam vigilare poſſit, & per ſolam Scripturarum lectionem mandata Dei cognoſcere; addit enim verbis immediate ſequentibus, *Scio itaque in Scripturis divinis*, *per quas ſolas potes plenam Dei intelligere voluntatem*, *prohiberi quædam*, *præcipi quædam*, *concedi aliqua*, *nonnulla ſuaderi*. Quocirca non minus propterea confutatus eſt Pelagius ab Catholicis Scriptoribus; licet enim fateretur culpandam eſſe ignorantiam quando vincibilis eſt, id tamen intelligebat perverſo & hæretico ſenſu, appellans ignorantiam vincibilem tantum quando vincitur facile & ſine gratia.

Urget demum Janſenius graviſſimis Pelagianorum querimoniis apud Hieronymum in Dialogo ſecundo, quibus oſtendebant nullam eſſe Dei juſtitiam, *ſi quis in peccato teneatur erroris*, *cujus reatum non habet conſcientia*, reſpondens Hieronymus, ad voluntatis inertiam vel diſcendi negligentiam nunquam fugit, cui ignorantiæ reatum tribuat, ſed potius ad profunditatem judiciorum Dei; quæ tamen reſponſio in promptu & ad manum erat, ſi exiſtimaſſet Hieronymus ſolam ignorantiam vincibilem ſubjacere peccato; Igitur nec ipſam ignorantiam invincibilem a peccato eximebant Catholici in illa diſputatione cum Pelagianis.

Reſpondeo mirum non eſſe, ſi S. Hierony-

ronymus ad compeſcendas Pelagianorum querimonias, ad ignorantiam invincibilem non confugiat, ſed ad profunditatem judiciorum Dei; quia nempe id unum difficultatem faceſſebat Pelagianis, quod ignorantia diceretur a Catholicis ſubjacere peccato, tametſi vinci non poſſet ſolis naturæ viribus & ſine divinæ gratiæ auxilio; quo poſito, inquiebant Pelagiani, non eſt in poteſtate hominis vincere illam ignorantiam, mandata Dei ſunt impoſſibilia, nemo erit juſtus, nec quiſquam poterit eſſe ſine peccato, &c. Quod quidem in Deum ipſum refundi nemo non videt, quia nullus peccat in eo quod vitare non potuit; ubi aufertur poſſibilitas, aufertur & vitium. Quibus Pelagianorum ratiociniis ſane reſpondere non debuit Hieronymus ſermonem eſſe ſolummodo de ignorantia vincibili, quia quam ignorantiam vincibilem per gratiæ ſcilicet adjutorium dicebant Catholici, eandem invincibilem contendebant Pelagiani: quapropter eo tandem redibat illa quæſtio, qua ratione poterat Deus plectere homines propter ignorantiam, ad quam ſuperandam vires non habent ſufficientes, ſed gratiæ divinæ auxilio indigent, quam difficultatem ubique paſſim propoſuerunt Pelagiani, quoties gratiæ neceſſitatem ad quodcunque bonum opus aſtruxerunt Catholici. Unde mirum non eſt, ſi in præſenti caſu ad profunditatem judiciorum Dei confugiat Hieronymus.

Si vero hanc objectionem Pelagianorum reſpexiſſe Hieronymum, quod nempe ſummam cum gratia efficaci ad ſuperandam ignorantiam neceſſaria conjunctionem habeat, quod quidem cauſæ fuit cur ad inſcrutabilia Dei judicia confugerit, aperte colligitur ex iſtis Hieronymi verbis, quæ reponit illico poſt objectionem Pelagianorum, & nonnulla Scripturæ loca quibus altitudinem ſcientiæ Dei commendat.. *A me quæris*, inquit, *quare figulus aliud vas fecerit in honorem, aliud in contumeliam, & non vis acquieſcere Paulo pro ſuo Domino reſpondenti: O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* Quaſi dixiſſet in culpam hominibus imputari ignorantiam, ut oſtendunt innumera Scripturæ loca, tametſi ejuſmodi ignorantiam nunquam vincant ſine gratia efficaci quæ datur ſecundum Dei propoſitum, nec omnibus & ſingulis; cui Catholicæ veritati nihil eſt quod reſpondeatur præter id quod reponit Hieronymus: *Audi ergo*, inquit, *teſtimonia Scripturarum, ut ſtulta immo impia ſciſcitatio tua in perpetuum conticeſcat.*

Objicit Janſenius nonnulla alia S. Auguſtini loca; in quibus expreſſe docet ignorantiam tametſi invincibilem ſubjacere peccato. Libro de Nat. & Grat. c. 17. poſtquam diſtinxit duplicem ignorantiam, aliam vincibilem quæ oritur ex hominis negligentia; aliam invincibilem quæ conjunctam habet impotentiam, utramque ait peccato eſſe obnoxiam: *Aliud eſt*, inquit, *non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari; aliud intelligere velle nec poſſe & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit.* Unde ſic argumentor: Ea ignorantia eſt invincibilis, qua laborant ii qui intelligere volunt nec poſſunt: Atqui tamen ex S. Auguſtino ejuſcemodi homines peccant, agunt enim contra legem; ergo ignorantia invincibilis a peccato non excuſat.

Diſt. maj. Nec poſſunt etiam adjuti gratiæ auxilio, C. ſublato gratiæ auxilio, N. revera ſupponit S. Auguſtinus quoſdam eſſe qui volentes intelligere, tamen non poſſunt, & addit eos nihilominus agere contra legem; ſed ſupponit ejuſcemodi homines ideo non poſſe intelligere, quia gratiam non petunt qua poſſint intelligere; addit enim immediate: *Unde admonemur a Deo petere ſapientiam (qui dat omnibus affluenter.* Jac. 1. *) Utique his omnibus qui ſic*

petunt

petunt & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda eſt. Qua de cauſa non loquitur S. Aug. de hominibus qui laborent ignorantia plane invincibili.

Objicit hæc verba ejusdem S. Auguſt. e Comment. in Pſal. 35. *Non unum hominem*, inquit, *ſed genus hominum iniquorum dicit qui ſibi adverſantur, non intelligendo ut bene vivant, non quia non poſſunt, ſed quia nolunt. Aliud eſt enim quando quisque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non poteſt, ſicut dicit quodam in loco Scriptura, quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Aliud autem quando perniciosius agit adverſus ſeipſum cor humanum, ut quod poſſit intelligere, ſi bona voluntas accederet, non intelligat, non quia difficile eſt, ſed quia voluntas adverſa eſt. Hoc autem fit, dum amat peccata ſua & oderunt præcepta Dei*. Ex quibus ſic conficitur argumentum, ex S. Auguſtino: qui nolunt intelligere, hoc eſt, qui laborant ignorantia vincibili perniciosius agunt, quam qui non poſſunt intelligere, hoc eſt, qui laborant ignorantia invincibili; ergo qui laborant ignorantia invincibili ſaltem perniciose agunt, etſi minus, proindeque peccant.

Nego conſeq. Ibi enim S. Auguſtinus non loquitur de ignorantia invincibili, his nimirum verbis, in quibus occurrere videtur aliqua difficultas, *Aliud eſt enim quando quisque conatur aliquid intelligere & per infirmitatem carnis non poteſt, ſicut dicit quodam loco Scriptura, quia corpus quod corrumpitur, &c.* Is enim qui conatur aliquid intelligere, hoc eſt, aliquid pertinens ad ejus ſalutem, nec tamen id poteſt propter infirmitatem carnis, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam; is, inquam, propterea non laborat ignorantia invincibili; aliter omnia peccata carnis & quæ fiunt per concupiſcentiam carnalem, eſſent effectus ignorantiæ invincibilis, quod nemo dixerit. Quapropter id unum eo loci obſervat S. Auguſtinus hominem perniciosius agere, cum ſupina & affectata ignorantia non vult intelligere quod poſſet intelligere; ac ſi absque malitia & per infirmitatem carnis ſcientia ſalutis in eo retundetur; quod quidem veriſſimum eſt, & perperam nobis objicitur hac in controverſia; ſiquidem id neutiquam ſpectat ea quæ fiunt ex ignorantia invincibili juris naturalis.

Objicit inſuper id quod docet idem Sanctus Auguſtinus Epiſtola 194. quæ eſt ad Sixtum, ubi poſtquam hæc præmiſit, *Humana quippe ſuperbia tanquam præſumens de viribus liberi arbitrii, excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis videtur eſſe quod peccat*. Tandem de ignorantia ſive voluntaria ſive neceſſaria, hoc eſt, ſive vincibili ſive invincibili ſic concludit: *Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat. Quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati; Ergo in utrisque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio*. Ex quibus ſic licet argumentari. Docet S. Auguſtinus inexcuſabilem eſſe omnem peccatorem juſtamque eſſe damnationem ejus, ſive peccaverit, quia ſcire quid lex jubeat, noluit; ſive quia ſcire non potuit; ergo exiſtimabat ignorantiam invincibilem juris naturalis ſubjacere peccato.

Nego conſeq. quia nempe & S. Aug. non agit eo loci de ignorantia juris naturalis, & neutiquam affirmat ignorantiam illam de qua loquitur eſſe peccatum; quæ duo ſi veriſſima eſſe oſtendero, ut mox conſtabit, mirum plane videri debet, quod hunc S. Auguſtini locum aliaque ſimilia tanto cum ſtudio hac in controverſia objecerit Janſenius.

Pri-

Primo itaque dico S. Auguſtinum eo loci non agere de ignorantia juris naturalis, ſed ſolum de ignorantia juris poſitivi, puta Evangelii; id patet cuivis ad ſeriem & verba hujus Epiſtolæ propius attendenti; cum enim profunditatem judiciorum Dei in negotio prædeſtinationis commendaſſet his verbis: *Cur autem illum potius quam illum liberet aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt judiciorum ejus tam magnum profundum, veruntamen caveat præcipitium*. Duo genera hominum diſtinguit quos putat omnino inexcuſabiles, alios *qui noluerunt intelligere ut bene agerent;* & alios, quod gravius eſt, *qui intellexerunt & non obedierunt;* ſic vero illorum qui non cognoverunt, exprimit ignorantiam, *dicit etiam ipſe Dominus in Evangelio*, (*Joan.* 15.) *Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Non utique peccatum nullum haberent qui pleni erant aliis magnis multiſque peccatis, ſed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuiſſe, ſi non veniſſet; quo, cum audiſſent eum, non crediderunt in eum*. Ubi certe agitur de ignorantia Evangelii, qua laborant ii quibus annuntiatum non fuit Chriſti Evangelium; ac proinde agit de ignorantia juris poſitivi.

Secundo nec eam de qua loquitur ignorantiam culpandam, & verum eſſe peccatum docet S. Auguſtinus; cum enim ait etiam inexcuſabiles eſſe eos qui ignorant, id unum contendit eos qui Evangelium non audiverunt, non poſſe idcirco juſtum Dei judicium effugere, quia licet propter ipſam ignorantiam damnationem æternam non incurrant, manet ſemper in iis reatus originis: *Ac per hoc*, inquit, *inexcuſabilis eſt omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, &c.* Quapropter nullius momenti eſſe ait excuſationem illam qua dicunt, *Non audivimus, ideo non credidimus*. Sed non dicit ejuſcemodi ignorantiam in peccatum imputandam, quandoquidem contrarium docet diſerte his verbis mox citatis: *Non utique nullum peccatum haberent, qui pleni erant aliis magnis multiſque peccatis, ſed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuiſſe ſi non veniſſet, quo, cum audiſſent eum, non crediderunt in eum*. Ubi eam ignorantiam Evangelii, de qua agit, diſerte ab omni peccato eximit.

Objicit poſtea Janſenius alia S. Auguſtini teſtimonia, in quibus docet ignorantiam non modo in Infidelibus, ſed & in Chriſtianis vinci non poſſe ſine efficaci Dei gratia, quæ non datur omnibus, nec in cujuſquam poteſtate eſt, quandocunque voluerit; ſed tamen ex illa ignorantia vere peccare homines, nemo unquam Catholicus negavit, & aperte tradit S. Auguſt. ut colligitur ex lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. ubi ſic habetur: *Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo*.

Verum meo quidem judicio hæc & alia ſimilia ad præſentem controverſiam nequaquam attinent, rectius vero ad illam diſputationem quam olim inſtituimus, ubi de gratia efficaci & ſufficiente: ibi enim docuimus juſto Dei judicio plerumque culpari hominem, cum agit ex ignorantia vel concupiſcentia, tametſi careat gratia efficaci ad bene agendum neceſſaria; quia nimirum habuit aliunde gratiam ſufficientem, qua poſſet vel ejuſmodi ignorantiam depellere, vel concupiſcentiam vincere: Id habemus

bemus diſertiſſime in loco mox citato, ubi ait S. Auguſtinus unam ignorantiæ noſtræ cauſam, qua nempe nobis non innoteſcit quod latebat, eſſe quia nolumus; quo fit ut ignorantia ſit voluntaria, & unde etiam ſequitur ignorantiam eo præciſe non cenſeri abſolute invincibilem, quod Deus non tribuat lucem gratiæ efficacis qua tollitur ignorantia; quemadmodum concupiſcentia non cenſetur phyſicam & abſolutam peccandi neceſſitatem imponere, tametſi eam victricem gratiam non infuderit Deus, qua hæc vincitur infirmitas & libido.

Objicit inſuper Janſenius: Celebris eſt & perquam uſitata apud S. Auguſtinum illa diviſio peccatorum, qua docet peccata omnia partim ex ignorantia, partim ex infirmitate contingere; ſic lib. 1. de peccat. merit. c. ultimo: *Fit ut per ignorantiam vel infirmitatem non exſertis adverſus eam* concupiſcentiam *totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus*. Lib. 2. cap. 2. *Unde fit conſequens*, inquit, *ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem, hoc eſt, ne in tentatione vincamur, vel cum fallit & præoccupat neſcientes, vel cum premit atque urget infirmos*. Lib. 1. ad Bonifacium cap. 3. *Neque enim*, inquit, *agit in eis etiam qui ſuadet & decipit, niſi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo & cæcitatis & infirmitatis*. Hæc porro & ſimilia quæ crebro in ſcriptis Auguſtini obvia ſunt, non loquuntur de illa ignorantia, quæ ex hominum negligentia vel torpore, ſed de illa quæ cum omni homine profunda naſcitur & primi peccati pœna eſt. Nam illa peccata quæ ex torpida voluntate naſcuntur, qua negligit ea diſcere quæ ad juſtitiam agendam pertinent, verius negligentiæ quam ignorantiæ peccata ab Auguſtino dici ſolent. Unde & ignorantiam plerumque ſimplicem neſcientiam vocat, ut ab ea diſtinguat quæ voluntatem conjunctam habet, *Aliud eſt*, inquit lib. de Grat. & lib. Arb. c. 3. *neſciſſe, aliud neſcire noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur de quo dicitur, Noluit intelligere ut bene ageret. Sed & illa ignorantia quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet, ſed fortaſſe ut mitius ardeat*. Igitur ex S. Auguſtino ea quæ fiunt ex ignorantia vel etiam invincibili, & ubi nulla ex parte hominis reperitur negligentia, vera peccata ſunt.

Diſt. ant. Docet S. Auguſtinus peccata omnia partim ex infirmitate contingere, partim ex ignorantia, quæ mala ſit non bona, C. quæ ipſa ſit peccatum, ſubdiſt. quæ peccatum ſit, ſi ſit vincibilis, C. ſi ſit invincibilis, N. revera ſolemne eſt S. Auguſtino, ut dicat duplicem eſſe ſcelerum omnium quæ committuntur ab hominibus radicem & cauſam, nimirum ignorantiam & concupiſcentiam; ſed iis omnibus in locis vult ſolum ignorantiam eſſe malam, non bonam; vel ſi eam putet aliquando in peccatum imputari; tunc loquitur de ignorantia voluntaria & vincibili, ut manifeſte liquet.

Primo ex ipſius S. Auguſtini propoſito: Scilicet agit ibi adverſus Pelagianos qui concupiſcentiam & ignorantiam quibuſcum naſcimur, contendebant non eſſe mala aut peccati pœnas, ſed naturales defectus, ut videre eſt paſſim apud eundem S. Auguſtinum, lib. 3. c. Jul. cap. 19. ſic loquitur Julianus: *Ex hoc intelligi debet perfectam ignorantiam juſtitiam nominari, quia dixit Deus ad Abimelech qui cum Sara fuerat concubiturus, ignorans quod uxor eſſet aliena; & ego ſciebam quia in corde mundo feciſti hoc*. Ad quæ verba Auguſtinus: *Cur ergo eos non nominas juſtos, ſi perfecta ignorantia juſtitiæ nomine nuncupanda eſt?* Et lib. de dono perſev. cap. 11. *Dicunt Pela-*

Pelagiani ignorantiam & difficultatem, ſine quibus nullus homo naſcitur, primordia non ſupplicia eſſe naturæ. Tum vero eo proruperant inſaniæ, ut cum S. Aug. argumentis premerentur, quibus oſtendebat ignorantiam vel in pueris malam eſſe, pueros affirmarent negligentia ſua has ſibi tenebras accerſere, quod refellit lib. 1. de peccat. mer. cap. 36. *Illas*, inquit, *conſideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus & Deum prorſus ignorant, cujus Sacramentis etiam cum baptizantur obſiſtunt: In has quæro unde & quando ſubmerſi ſunt: Itane vero eas hic contraxerunt, & in hac vita ſua jam propria per nimiam negligentiam obliti ſunt Deum, prudentes vero & religioſi vixerunt vel in uteris matrum?* Quam Pelagianorum doctrinam ubique cum impugnat S. Doctor, docet ignorantiam & in pueris & in adultis eſſe malam, hoc eſt, peccati originalis pœnam & perſæpe aliorum peccatorum cauſam, quando ſcilicet voluntaria eſt & vincibilis; ſic enim loco mox citato: *An nullum eſt ignorantiæ malum, & ideo nec purgandum, & quid agit illa vox, Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris.... In illas igitur ignorantiæ denſiſſimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero, utique anima hominis, utique anima rationalis non ſolum indocta, verum etiam indocilis jacet, quare aut quando aut unde contruſa eſt? Si natura eſt hominis ſic incipere & non jam vitioſa eſt iſta natura, cur non talis creatus eſt Adam?* Ubi totus eſt Auguſtinus ut ignorantiam dicat eſſe malam & vitioſam, quod ipſum & longe diſertius ſcribit lib. 6. c. Jul. cap. 16. ubi loquens de homine baptizato ſic habet: *Omni enim peccato caret, non omni malo, quod planius ita dicitur, omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis... Nunquid caret ignorantiæ malo, per quod a neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala? An parvum malum eſt per quod homo non percipit quæ ſunt Spiritus Dei?.... Non igitur caruerunt tanto ignorantiæ malo in lavacro regenerationis, ubi tamen omnibus caruerant ſine dubitatione peccatis.* Quibus verbis manifeſte docet ignorantiam eſſe malam etiam in baptizatis qui omni peccato carent; quapropter cum paſſim adverſus Pelagianos ſcribit peccata omnia partim ex infirmitate contingere, partim ex ignorantia, id unum vult ignorantiam eſſe malam, non autem ipſam eſſe peccatum, puta ſi non ſit vincibilis & voluntaria, tum vero nec ea quæ fiunt ex ignorantia non eſſe peccata, niſi pariter ſint voluntaria.

Secundo mens S. Auguſtini ex eo ſatis ſuperque declaratur, quod de ignorantia loquitur ut & de concupiſcentia, ut patet ex verbis in ipſa objectione citatis; Atqui conſtans eſt S. Auguſtini doctrina concupiſcentiam appellari tantum malam eo ſenſu quod ipſa ſit ſcelerum cauſa, utpote quæ remanet in baptizatis, non autem ipſa ſit peccatum: ait enim lib. 1. de nupt. cap. 25. *Dimitti concupiſcentiam carnis in baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur, quamvis autem reatu ſuo jam ſoluto, manet tamen.* Et lib. 6. c. Jul. c. 16. *Nos autem*, inquit, *qui eam* concupiſcentiam, *malam dicimus. Et manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus non quo ipſa erat rea, neque enim aliqua perſona eſt, ſed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remiſſus atque vacuatus;* Ergo id unum his locis contendit ignorantiam malam eſſe peccati pœnam & malorum cauſam, non autem culpæ rationem habere.

Quod vero iiſdem in locis dicat Auguſtinus ex ejuſmodi ignorantia quam ex peccato primi parentis naſcendo contraximus, peccata plerumque ab adultis committi, cauſam adverſariorum neutiquam juvat; tum quia eatenus tantum peccatum committitur, quatenus ignorantia fit voluntaria & vincibilis; quemadmodum vitio vertitur concupiſcentia,

eum ejus deliberatis moribus homo voluntarie conſentit; tum quia ibi non magis agitur de ignorantia juris naturalis quam facti aut juris poſitivi: unde argumentum iſtud ex ignorantia petitum nimis probaret, ſi in rigore acciperetur.

Objicies præterea id quod ſcribit S. Auguſtinus ad Publicolam Epiſt. nunc 47. olim 154. *Si quis autem*, inquit, *bonum putaverit eſſe quod malum eſt, & fecerit hoc putando utique peccat, & ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quod quiſque bene fieri putat, quod male fit*. Unde ſequitur ignorantiam non excuſare a peccato.

Reſpondeo nullo plane fundamento affirmari poſſe eo loci ſermonem eſſe de ignorantia invincibili & aliunde certum eſſe ibi mentionem fieri de ignorantia facti, qua nimirum dubitat quis an aliqua caro ſit immolatitia necne, ut manifeſte oſtendunt hæc verba immediate præcedentia: *Si quis dubitat de aliqua carne, utrum immolatitia ſit & non eſt immolatitia, ſi eam cognitionem tenuerit, quod immolatitia non ſit & ea veſcatur, non utique peccat. Si quis autem, &c.* Quocirca perperam objicitur iſte locus.

Hic porro & alia nonnulla S. Auguſtini loca nobis objiciuntur, quæ, quoniam id unum innuere videntur, ea quæ fiunt ex ignorantia invincibili eſſe peccata, tametſi non ſint voluntaria, adeoque libertatem hominis potiſſimum impetere, ſatius erit ea paulo infra explicare, ubi de libero hominis arbitrio tractabimus.

Objicies nonnulla S. Thomæ teſtimonia. Quodlib. 3. art. 10. quærit, *An diſcipuli ſequentes diverſas opiniones Magiſtrorum excuſentur a peccato erroris*, & reſpondet in rebus ad fidem & mores pertinentibus non excuſari, ſi ſequantur opinionem erroneam: *Alioquin*, inquit, *immunes a peccato fuiſſent qui ſecuti ſunt opinionem Arii, Neſtorii, & aliorum Hæreſiarcharum*. Quodlibeto 8. art. 13. quem locum integrum ſuperius deſcripſimus, docet eum a peccato excuſari non poſſe, qui ſequitur opinionem falſam, *cum faciat contra legem Dei, quamvis non faciat contra conſcientiam*. Denique quodlibeto 9. art. 15. affirmat *quemlibet errorem, quo non creditur eſſe peccatum mortale quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſare a toto*. Quæ profecto S. Thomæ loca manifeſte oſtendunt eum exiſtimaſſe ignorantiam invincibilem non excuſare a peccato; tunc enim ignorantia invincibilis non excuſat a peccato, cum peccat quiſquis ſequitur opinionem falſam & erroneam, eo præciſe quod agit contra legem Dei: Atqui ex illis locis peccat quiſquis ſequitur opinionem falſam & erroneam, eo præciſe quod agit contra legem Dei; ergo.

Diſt. min. Ex illis S. Thomæ locis peccat quiſquis ſequitur opinionem falſam, non laborans ſcilicet niſi ignorantia vincibili, C. laborans ignorantia invincibili, N. Dum igitur D. Thomas univerſim pronuntiat, illud quod agitur contra legem, ſemper eſſe malum & peccatum, quamvis ſit juxta conſcientiam, ſupponit ignorantiam juris naturalis vel legis non eſſe invincibilem, ſed potius vincibilem & voluntariam, quia tam certum eſt, quam quod certiſſimum, S. Doctorem exiſtimaſſe ignorantiam invincibilem ab omni excuſare peccato, ut conſtat ex ejus teſtimoniis ſuperius adductis: quod quidem etiam & aperte colligitur ex iis locis quæ objiciuntur; nam poſt verba e quodlibeto tertio citata, ſtatim ſubjungit: *Qui ergo aſſentit opinioni alicujus Magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſive contra id quod publice tenetur ſecundum Eccleſiæ auctoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari*. Ubi affirmat tunc ſolummodo errare diſcipulum qui Magiſtri falſam opinionem ſequitur; & a peccato eatenus excuſari non poſſe, cum ejuſmodi

modi opinio pugnat contra manifeſtum Scripturæ ſacræ teſtimonium atque Eccleſiæ doctrinam, quæ verba deſignant ignorantiam vincibilem. Et ſimiliter quodlib. 8. loquitur de errore quo quis agit contra legem non adhibita ſufficienti diligentia, ut conſtat ex argumento, ſed contra: *Poteſt eſſe*, inquit, *quod in tali caſu aliquis adhibeat diligentiam*, *inquirens an licitum ſit habere plures Præbendas*, *&c.*

Neque eſt quod objiciatur nonnullorum aliorum actoritas, qui univerſim pronuntiarunt ignorantiam peccato ſemper eſſe obnoxiam, ſi ſit eorum quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ut agnoſcere videntur Guillelmus Altiſſ. lib. 3. c. 3. q. 3. Alexander Alenſis q. 112. memb. 8. & q. 153. memb. 3. Guillelmus Paris. Tract. de Legibus cap. 21. S. Bonaventura in 2. diſt. 22. q. 2. Gerſonius initio libri cui titulus eſt, *Regulæ morales*. Henricus Gandav. quodlibeto 12. q. 25. & quidam alii. Tum vero & aliorum qui aperte docent quamlibet ignorantiam juris naturalis eſſe culpandam, ut Durandus in 3. diſtinct. 25. quæſt. 1. ad 1. Paludanus in 4. diſtinct. 25. S. Antoninus 2. parte Summæ lib. 6. cap. 9. & Cajetanus in 1. 2. quæſt. 76. Hæc, inquam, Theologorum teſtimonia nihil quicquam efficiunt adverſus noſtram ſententiam; ſiquidem manifeſtum eſt cuilibet attendenti ea intelligi debere de ignorantia vincibili, eo enim potiſſimum nomine docent ejuſmodi ignorantiam excuſari non poſſe a peccato, quia facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam in neceſſariis, adeoque ad depellendas ejuſmodi ignorantiæ tenebras.

Quapropter ultro fatetur ipſe Janſenius, ut jam a nobis obſervatum eſt, ſibi hoc in negotio adverſari totam atque integram Scholaſticorum turbam.

Objicies: Inter regulas juris hæc legitur num. 13. *Ignorantia facti*, *non juris excuſat*; quæ regula locum non habebit, ſi quælibet ignorantia invincibilis excuſet a peccato, par enim erit ratio cujuslibet ignorantiæ, ſeu ſit juris ſeu facti; quælibet excuſabit a peccato, ſi ſit invincibilis: nulla excuſabit, ſi ſit vincibilis & voluntaria; Igitur.

Reſpondeo locum habere iſtam juris regulam, ſi res ſpectetur in foro externo, non autem ſi in foro interno; quia revera cum agitur de judicio ab hominibus ferendo, plerumque Judices ignorantiam facti excuſant, non autem ignorantiam legis; ſic v. g. excuſaretur homo qui loco feræ occidiſſet hominem, laborans ignorantia facti; ſed idem non excuſaretur, qui juris ignorantiam obtenderet, dicens ſe ignoraſſe homicidium eſſe illicitum. Quibus adde nimis probare argumentum quod petitur ex illa juris regula; inde enim colligeretur nullam ignorantiam juris vel etiamſi ſit juris poſitivi, excuſare a peccato, quod nec ipſi volunt adverſarii.

Objicies: Si qua ex cauſa ignorantia invincibilis excuſaret a peccato, maxime quia non eſt libera & voluntaria: Atqui ignorantia invincibilis juris naturalis ſufficienter eſt voluntaria, ut & ipſa vitio vertatur, & quæ ex illa fiunt contra legem; ſiquidem voluntaria eſt in Adamo, voluntate Adami, utpote quæ originalis peccati pœna eſt, quod ſufficit; quandoquidem peccatum originale non aliter voluntarium eſt, quod tamen in omnibus & ſingulis hominibus veri & proprie dicti peccati rationem habet; Igitur ignorantia invincibilis non excuſat a peccato, ſi ſit eorum quæ ſcire tenentur homines.

Nego min. eſt quippe conſtans hæc & unanimis omnium Theologorum doctrina, præter peccatum originale quod in nobis voluntarium eſt duntaxat voluntate Adami, nihil aliud rationem habere peccati proprie dicti, quam quod volitum eſt voluntate operantis: unde præter peccatum originale, quodcunque aliud peccatum dicitur actuale; quia nem-

pe ſit per actum deliberatum & liberum voluntatis.

Et hercle ſi ignorantia invincibilis in nobis cenſeretur eſſe voluntaria, indeque vitio verteretur ipſa & quæcunque ex illa fiunt, ſequeretur motus concupiſcentiæ primo primos, ut aiunt, qui nempe ante deliberatum voluntatis conſenſum ſubito erumpunt, item quæ ex amentia, phræneſi & cæcitate corporali prodirent, & ipſam demum infidelitatem negativam eſſe peccata proprie dicta; ſunt enim iſthæc omnia totidem peccati originalis pœnæ, ex conſenſu omnium & ipſius Janſenii confeſſione; ſed nemo dixerit motus primo primos concupiſcentiæ, quicquid contra legem agunt amentes, phrænetici & cæci a nativitate, ac demum infidelitatem negativam eſſe peccata proprie dicta; Igitur ignorantia invincibilis uſque adeo non eſt voluntaria, ut cenſeri poſſit eſſe peccatum.

Inſtabis: Non excuſatur a peccato homicidium ab homine ebrio perpetratum, tametſi homicidium in ſe & ratione ſui non ſit voluntarium: quia nempe, quod ſufficit, voluntarium eſt in cauſa, puta in ebrietate quæ voluntaria fuit; ergo ſimiliter ignorantia invincibilis non eſt quidem voluntaria in ſe, ſed in ſua cauſa, nempe in peccato originali, adeoque a peccato excuſari non poteſt.

Nego conſeq. & par. Diſparitas eſt quia homicidium ab homine ebrio perpetratum ideo voluntarium cenſetur, & inter peccata actualia reponitur, quia revera voluntarium eſt per propriam hominis voluntatem ſaltem in ſua cauſa, puta in ebrietate quæ voluntaria fuit per actum proprium voluntatis ipſius hominis; at vero ignorantia invincibilis non eſt voluntaria per modum peccati actualis, neque in ſe, neque in ſua cauſa, ex ipſis enim adverſariis eſt tantum voluntaria in peccato originali cujus effectus eſt; at peccatum originale non eſt in nobis voluntarium propria noſtra voluntate, ſed tantum voluntate aliena, voluntate Adami; adeoque par non eſt utrobique ratio. Quibus addideris negare multos Theologos ignorantiam in poſteris Adæ eſſe voluntariam, vel etiam voluntate primi parentis, licet ſit pœna peccati & Adamo & cæteris hominibus inflicta; quia, inquiunt, pœna propter peccatum inflicta non eſt voluntaria; eſt quippe præter peccantis intentionem a Deo inflicta.

Objicies: Si ignorantia invincibilis juris naturalis excuſaret a peccato, optanda foret ejuſmodi ignorantia, & longe melior eſſet ignorantium conditio quam aliorum qui legem cognoſcunt: abſurdum conſequens; ergo & antecedens.

Nego ant. Siquidem hoc argumento probaretur quamcunque ignorantiam juris etiam poſitivi fore optandam, ejuſmodi enim ignorantia, fatentibus adverſariis, excuſat ab omni peccato; quis vero dixerit meliorem eſſe conditionem eorum quibus nunquam annuntiatum fuit Chriſti Evangelium, quam aliorum quibus per prædicationem Evangelii affulſit Chriſtianæ fidei lux & veritas?

An detur ignorantia juris naturalis quæ ſit invincibilis.

NOnnulli ſunt inter Theologos, qui quidem ſuper præcedenti diſputatione nobiſcum conſentire videntur; profitentes ignorantiam invincibilem juris naturalis ab omni prorſus peccato eximere: ſed tamen in rei veritate ab ipſo Janſenio, quem modo confutavimus, aut parum aut nihil hac in parte recedunt; quia totis viribus contendunt nullam dari ejuſmodi ignorantiam juris naturalis quæ ſit omnino invincibilis, quam doctrinam ut cum aliqua ſpecie veri propugnare poſſint, adductis ſupra Janſenii principiis unice nituntur, ſi quod enim ipſis objiciatur exem-

exemplum ignorantiæ, quæ fuerit omnino invincibilis & involuntaria, reſpondent ejusmodi ignorantiam fuiſſe ſaltem vincibilem & voluntariam in Adamo, quod ſufficit ut vitio imputetur, & omnia quæ ex illa contra legem committuntur.

Volunt alii omne jus naturale univerſim ſumptum invincibiliter ignorari poſſe, ſi nonnulla tantum excipiantur prima morum principia, quale eſt ſtud, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Qua ex cauſa apud Germanos furtum olim reputabatur licitum, teſte Julio Cæſare lib. 6. de bello Gallico, ut & adulterium apud Lacedæmones, ut refert Plutarchus in vita Lycurgi.

Nos vero cum S. Thoma & cæteris fere omnibus Theologis prima juris naturalis principia diſtinguimus a concluſionibus, quæ ex iiſdem principiis eruuntur; & iterum duplex genus concluſionum admittimus; aliæ ſunt enim proxime ſequentes ex primis principiis, & quæ ex iis facillime & ſine multo labore colliguntur; aliæ vero ſunt valde remotæ a primis principiis & quæ ſciri non poſſunt niſi poſt diligens ſtudium; qua præmiſſa diſtinctione dicimus ex una parte prima juris naturalis principia, v. g. Deum eſſe colendum, parentes eſſe honorandos; & concluſiones ex illis principiis proxime erutas, invincibiliter ignorari non poſſe; ex altera vero invincibiliter adeoque inculpate ignorari nonnunquam quaſdam concluſiones remotiores: quocirca ſit

Prima Conclusio.

Nec prima principia juris naturalis, nec concluſiones proxime ex eo ſequentes invincibiliter ignorari poſſunt.

Id aperte docet S. Paulus ad Rom. cap. 2. his verbis: *Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium;* & ut alii legunt, *cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum;* ubi docet Apoſtolus gentes ipſas, quibus nondum affulſit lux Evangelii, habere legem menti inditam, qua poſſint bonum a malo ſecernere, & pleraque opera legis naturalis perficere naturaliter, hoc eſt, ductu & virtute legis naturalis; quæ quidem continet prima ſaltem principia, & concluſiones proxime ſequentes, quæ proinde ignorari non poſſunt invincibiliter. Unde in hunc plane ſenſum de omnibus & ſingulis hominibus verba faciens Pſalmiſta, dixerat Pſal. 4. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.* Quo lumine ſaltem notiſſima quæque in moribus cognoſcere poſſunt homines, niſi de induſtria cæcutire velint.

Hanc porro doctrinam unanimi conſenſu tradiderunt omnes ſancti Patres, Tertullianus lib. de Corona militis cap. 5. S. Ambroſ. Epiſt. 73. S. Auguſt. Comment. in Pſal. 57. ſub initio. S. Cyrillus Alex. lib. 3. c. Jul. S. Greg. M. lib. 27. Mor. cap. 16. & alii quorum teſtimonia huc adducere in re tam facili & omnibus comperta neceſſarium eſſe non videtur.

Sed & illud longe diſertius docent communiter Scholaſtici. Unus præ cæteris citabitur S. Thomas, qui 1. 2. q. 94. art. 6. ſtatuit in concluſione *non poſſe legem naturæ quoad ejus communia & univerſalia omnibus nota principia ex cordibus hominum aboleri, ſed quoad particularia quædam, & ut in paucioribus;* ubi cum dicit legem naturalem quoad particularia quædam & in paucioribus aboleri in cordibus hominum, manifeſte ſupponit in cæteris, hoc eſt, quoad prima principia & concluſiones ex illis prin-

principiis proxime erutas, illam non deleri, adeoque invincibiliter ignorari non poſſe. Quocirca in corpore articuli fatetur quidem ejusmodi concluſiones, ſeu præcepta ſecundaria nonnunquam de cordibus hominum deleri; verum id refundit in culpam hominum, adeoque hæc putat nonniſi vincibiliter ignorari: *Quantum vero*, inquit, *ad alia præcepta ſecundaria, poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas perſuaſiones, vel etiam propter pravas conſuetudines & habitus corruptos; ſicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam contra naturam, ut etiam Apoſtolus dicit ad Rom. 1.*

Favet demum ratio, quia illud non ignoratur invincibiliter, cujus cognitio facilis eſt cuilibet ſincere volenti & attendenti: ſed cognitio primorum principiorum juris naturalis, ut & concluſionum quæ ex illis principiis proxime ſequuntur, cuivis ſincere volenti eſt facillima: id quippe facile & ſine multo labore innoteſcit quod eſt evidentiſſimum; id porro evidentiſſimum quod univerſale, quod non eſt particulare & particularibus circumſtantiis implicitum, qualis eſt v.g. hæc propoſitio, *omne furtum eſt malum*; quæ concluſio dici poteſt eruta proxime ex iſto primo principio, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: non poſſunt igitur invincibiliter ignorari concluſiones proxime ſequentes ex primis morum principiis.

Objicies: S. Paulus ad Rom. 7. docet homines ante legem Moſis non cognoviſſe peccata, quæ proinde tunc ignorabantur invincibiliter: *Quid ergo dicemus?* inquit, *lex peccatum eſt? abſit. Sed peccatum non cognovi niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces.* Atque id non ſolum eſſe intelligendum de peccatis deſiderii, ſeu de appetitu interiori qui fertur ad illicitum, quaſi ante legem datam a Moſe cognita non fuerint ejusmodi peccata, ſed & iſtud etiam accipi debere de quolibet peccato exterius prodeunte, aperte colligitur ex interpretatione S. Auguſtini lib. de ſpiritu & littera c. 4. hæc ſcribentis: *Nam hoc ideo elegit Apoſtolus generale quoddam, quo cuncta complexus eſt, tanquam hæc eſſet vox legis ab omni peccato prohibentis quod ait, Non concupiſces. Neque enim ullum peccatum niſi concupiſcendo committitur.* Quod idem docet Sanctus Hieronimus Epiſt. 151. ad Algaſiam, quæſt. 8. *Prius quæramus*, inquit, *quæ ſit iſta concupiſcentia, de qua lex dicit, Non concupiſces. Alii putant illud eſſe mandatum quod in Decalogo ſcriptum eſt, Non concupiſces rem proximi tui. Nos autem per concupiſcentiam omnes perturbationes animæ ſignificatas putamus, quibus mœremus & gaudemus, timemus & concupiſcimus.* Ergo & ignorantur etiamnum ignorantia invincibili peccata omnia ſaltem ab iis qui legem divinam non cognoverunt.

Diſt. maj. Non cognoviſſe peccata quæ ſint voluntatis & deſiderii, C. peccata quælibet univerſim loquendo, N. id unum igitur eo loci docet Apoſtolus homines ante legem ſcriptam non cognoviſſe peccata quæ ſunt tantum deſiderii, quia nempe tunc homines ſub lege naturæ & una duce natura viventes id ſolum peccatum eſſe noverant, quod injuſtum & alteri nocumento futurum ratio naturalis dictitabat; cujuſmodi profecto non ſunt peccata voluntatis & deſiderii, ut manifeſte indicant ipſius Apoſtoli verba; cum enim dixiſſet, *Peccatum non cognovi niſi per legem*, ſubdit illico, *nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces.* Ubi concupiſcentiam explicat per hoc verbum, *non concupiſces*, juxta illud quod in Decalogo ſcriptum eſt, *Non concupiſces rem proximi tui.*

Nec moror quod in præfato Apoſtoli teſtimonio vocem *concupiſcentiam* ad omne peccatum extendant S. Auguſtinus

& Hie-

& Hieronymus; inde enim ſolum colligi debet aliquem Scripturæ locum poſſe interdum apud SS. Patres multiplicem habere ſenſum, prout nempe ratio eorum inſtituti poſtulat; id unum certum eſt neutrum ex illis Scriptoribus ſic divi Pauli verba interpretatum fuiſſe, ut inde inferret nulla peccata ante legis Moſaicæ promulgationem ab hominibus cognita fuiſſe, qui nimirum aperte contrarium docent; diſertus eſt ſuper ea re S. Hieronymus loco citato, ubi loquens de lege naturali ſic habet: *Iſta lex quæ in corde ſcribitur, omnes continet nationes, & nullus hominum eſt qui hanc legem neſciat; unde omnis mundus ſub peccato, & univerſi homines prævaricatores legis ſunt; & idcirco juſtum judicium Dei eſt ſcribentis in corde humani generis, Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris. Quis enim ignoret homicidium, adulterium, furtum, & omnem concupiſcentiam eſſe malum, ex eo quod ſibi ea nolit fieri? Si enim mala eſſe neſciret, nequaquam doleret ſibi eſſe illata: per hanc naturalem legem & Cain cognovit peccatum ſuum dicens, Major eſt cauſa mea quam ut dimittat.*

Idem porro & docet paſſim S. Auguſtinus lib. 2. Confeſſ. cap. 4. *Furtum certe*, inquit, *punit lex tua, Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas.* Comment. in Pſal. 57. ſub initio: *Cui iniquo*, inquit, *non facile eſt loqui juſtitiam? aut quis de juſtitia interrogatus, quando non habet cauſam, non facile reſpondeat quid ſit juſtum? quandoquidem manu formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit, Quod tibi non vis fieri ne facias alteri; hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet unde judicarentur, & quibus lex non eſſet data...... propterea ſcripta lex quid clamat eis qui deſeruerunt legem ſcriptam in cordibus ſuis, Redite prævaricatores ad cor. Qui enim te docuit nolle accedi ab altero ad uxorem tuam? quis te docuit nolle tibi furtum fieri? quis te docuit ..... judicas enim malum eſſe in eo quod pati non vis, & hoc te cogit noſſe lex intima in ipſo tuo corde conſcripta.*

Objici ſolent in hanc noſtram concluſionem nonnulla S. Ambroſii teſtimonia, ſed quæ vel etiam in eo piget exſcribere, quod nullam continent difficultatem, ejuſmodi eſt quod legitur lib. de fuga ſæculi cap. 3. his verbis: *Lex autem gemina eſt, naturalis, & ſcripta. Naturalis in corde, ſcripta in tabulis. Omnes ergo ſub lege, ſed naturali, ſed non eſt omnium ut unuſquiſque ſibi ſit lex.* Ubi, inquiunt, affirmat non eſſe omnium ut quiſque ſibi ſit lex. Verum meo quidem judicio nihil plane colligi poteſt ex illis verbis, cum præſertim ſubjungat illico, *primum natura ipſa boni operis magiſtra eſt. Scis non furandum, & ſervum tuum, ſi furtum tibi fecerit, verberas; & ſi quis ad uxorem tuam affectaverit, perſequendum putas.*

Plus virium non habent hæc e lib. 2. de Abraham cap. 4. *Unde videntes eam, Saram, Ægyptii, qui non poſſent diſcernere, nec virtutis formam congoſcere vulgari æſtimantes judicio induxerunt ad tyrannum.* Quaſi Ægyptii ex S. Ambroſio non cognoverint fornicationem eſſe prohibitam lege naturali. Siquidem ad ſummum inde ſequeretur Ægyptios exiſtimaſſe polygamiam lege naturali non eſſe vetitam, quæ ſententia quorumdam Theologorum eſt.

Denique nec opponi debet quod ſcribit Ambroſius lib. de Paradiſo c. 8. his verbis: *Non enim conſiſteret peccatum ſi interdictio non fuiſſet.... quid eſt enim peccatum niſi prævaricatio legis divinæ, & cœleſtium inobedientia præceptorum?* Totus eſt enim eo loci, ut doceat opinionem boni & mali humanis mentibus a Deo impreſſam: *Dei autem præceptum*, inquit, *non quaſi in tabulis lapideis atramento legimus inſcriptum, ſed cordibus noſtris tenemus impreſſum Spiritu*

tu

tu Dei vivi. Ergo opinio noſtra ipſa ſibi legem facit. Si enim gentes quæ legem non habent naturaliter, ea quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.

Objici etiam ſolet id quod ſcribit S. Auguſtinus Serm. 153. de verbis Apoſt. num. 6. ubi ſic de homine ante legem ſcriptam ſpectato loquitur: *Qui fuit antea neſcius malorum ſuorum, factus eſt doctus, & pejus eſt victus, cœpit eſſe non ſolum peccator, ſed etiam prævaricator, peccator enim & antea erat, ſed antequam legem audiret peccatorem ſe eſſe neſciebat; legem audivit, peccatum vidit, conatus eſt vincere, ſuperatus atque proſtratus eſt, factus eſt & legis prævaricator, qui fuit antea neſcius peccator.*

Sed nec illa ſimiliter S. Auguſtini verba ullam faceſſere poſſunt difficultatem; cum enim affirmat homines non fuiſſe prævaricatores niſi poſt legis Moſaicæ promulgationem, id manifeſte intelligit quoad præcepta ejuſdem legis ſcriptæ, non quoad præcepta legis naturalis. Neque contrarium docuerat paulo ſupra his verbis: *Quis enim aliquando ad Judicem ductus eſt, quia meretricis lupanar intravit? quis aliquando in publicis tribunalibus accuſatus eſt, quia per ſuas lyriſtrias laſcivus immunduſque defluxit?* Ubi non ait ejuſmodi crimina in foro interiori reputata fuiſſe ut licita ante legem ſcriptam, ſed tantum in foro exteriori non fuiſſe punita, addit enim, *ſed in foro, non in cœlo; in lege mundi, non in lege Creatoris mundi.*

Nec moveat quod nonnulli objiciunt eundem S. Auguſtinum dubitare lib. 22. contra Fauſtum cap. 37. utrum Sara perpetraſſet adulterium, ſi de conſenſu Abrahæ ſuam violari pudicitiam utique paſſa eſſet: *Quanquam*, inquit, *ſcrupuloſius diſputari poſſit, utrum illius mulieris pudicitia violaretur, etiamſi quiſquam carni ejus commixtus foret; cum id in ſe fieri pro mariti vita nec illo neſciente, ſed jubente permitteret, nequaquam fidem deſerens conjugalem.* Ex qua profecto S. Auguſtini dubitatione, tametſi ſincera fuiſſet, quod non crediderim, quia ubique adulterium condemnat S. Doctor, ut videre eſt lib. de fide & oper. c. 7. lib. 2. de adult. conjug. c. 4. & alibi, neutiquam probari poteſt illum ignoraſſe ignorantia invincibili aliquod præceptum legis naturalis.

Denique & opponi ſolet quod denarrat S. Hieronymus lib. 2. adverſ. Jovin. cap. 6. plures perverſas conſuetudines nonnullarum gentium, quæ ſupponunt ab illis hominibus ignorata fuiſſe ſecundaria ſaltem præcepta legis naturalis: *Quid loquar*, inquit, *de cæteris nationibus, cum ipſe adoleſcentulus in Gallia viderim Scotos gentem Britannicam humanis veſci carnibus, & cum per ſilvas porcorum greges & armentorum pecudumque reperiant, paſtorum nates & fœminarum papillas ſolere abſcindere & has ſolas ciborum delicias arbitrari? Scotorum natio uxores proprias non habet, & quaſi Platonis politiam legerit, & Catonis ſectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria eſt: ſed ut cuique libitum fuerit, pecudum more laſciviunt. Perſæ, Medi, Indi & Æthiopes Regna non modica & Romano Imperio paria, cum matribus & aviis, cum filiabus & nepotibus copulantur. Maſſagetæ & Derbices miſerrimos putant, qui ægrotatione moriantur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad ſenectam venerint, jugulatos devorant, &c.* Quibus narratis ſic concludit Hieronymus: *Pervides quod non ſolum in eſu, ſed in ſepulturis & in connubiis, & in omni converſatione unaquæque gens ſuo ritu & proprietatibus victitet, & hoc eam naturæ legem putare quod didicit.*

Verum nec ex iſtis colligi poteſt in mente Sancti Hieronymi gentes illas tot deteſtanda facinora perpetraſſe ex ignorantia invincibili legis naturalis; tum quia id nullibi vel leviter inſinuat

S. Hie-

S. Hieronymus ; tum quia inter varia illa recenſet etiam crimen idololatriæ . *Pene ſingulæ*, inquit , *in Ægypto civitates ſingulas beſtias & monſtra venerantur , & quodcunque coluerint , hoc inviolabile & ſacrum putant*. Quis vero dixerit exiſtimaſſe S. Hieronymum populos illos ignorantia invincibili hac in parte laboraſſe ?

Secunda Conclusio.

Jus naturale invincibiliter ignorari poteſt quoad certas concluſiones a primis principiis longe remotiores .

Ea ſiquidem merito cenſentur ignorari invincibiliter quæ plerumque ignorantur , vel ſciri non poſſunt , etiam poſt diligens ſtudium & multo labore adhibito : Atqui nonnullæ concluſiones a primis principiis juris naturalis valde remotæ , interdum ſciri non poſſunt etiam poſt diligens ſtudium & multo labore adhibito ; contingit enim nec raro admodum , ut Doctores ipſi vel peritiſſimi & ſagaciſſimi , quando diſputant an aliquid ſit licitum jure naturæ vel illicitum , in varias abeant opiniones & quidem contradictorie oppoſitas ; adeo ut v. g. quem contractum unus tenet illicitum & lege naturali prohibitum , licitum & legi naturali neutiquam contrarium contendat alter ; nullo enim , quod quidem ſciam , fundamento , alicui Doctori quantumvis piiſſimo tribueretur privilegium nunquam errandi in iis quæ pertinent remote ſolum ad jus naturale : Atqui hoc poſito nihil vetat quominus viri de plebe & in controverſiis moralibus plane indocti , etiam poſt diligens ſtudium & accuratam veritatis inquiſitionem , ignorent pariter an aliquis contractus ſit licitus vel illicitus , ſit uſurarius necne , ſit prohibitus lege naturali vel non prohibitus ; poſſunt enim citra quamlibet culpam & ſervatis prudentiæ regulis ſequi ſententiam graviſſimorum Doctorum , quia tunc ſequuntur id quod ipſis probabilius eſt , quod ſufficit , ut agant prudenter & tuta conſcientia ; nec juxta methodum in Eccleſia receptiſſimam eſt alia via qua tandem indocti veritatem aſſequi poſſint , quam ſi bona fide conſulant Doctores graviſſimos ; ergo plerumque poſſunt indocti jus naturale invincibiliter ignorare , atque etiamnum ignorant quoad concluſiones ſaltem a primis principiis remotiores .

Quamobrem ſicut Doctor citra culpam errare poteſt etiam circa jus naturale , quando nempe falſam tradit doctrinam circa bonos mores poſt diligens ſtudium & fuſas ad Deum preces ad inveniendam veritatem , nullaque penitus obrepſit negligentia ; ita poterit quivis e plebe ſine ulla culpa hanc opinionem tametſi falſam ſequi in praxi , ita ut ejuſmodi error non imputetur , ſi nempe laboret ignorantia invincibili , & ad inveniendam veritatem omne adhibuerit ſtudium , omnem diligentiam .

Id porro & rurſus ex iis momentis evincitur , quibus ſupra docuimus poſſe quempiam tuta conſcientia ſequi opinionem mere probabilem , modo nempe oppoſita probabilior appareat operanti poſt accuratam & diligentem veritatis inquiſitionem ; nec requiri perfectam certitudinem de veritate ſententiæ quam ſequitur in praxi , ut nimirum licite agat & citra omnem culpam ; illa enim doctrina , ut per ſe patet , ſummam habet conjunctionem cum iſta , qua dicimus jus naturale plerumque ignorari invincibiliter , ſaltem quoad nonnullas concluſiones a primis principiis remotiores .

Atque hæc fuit omnium pene Theologorum doctrina , quorum nonnulla ſolum teſtimonia huc adducam ex innumeris illuſtriora .

Ita nimirum divus Thomas 1. 2. q. 100. art. 1. in corp. art. *Quædam ſunt*, inquit , *in humanis actibus adeo explicita, quod ſtatim cum modica conſideratione poſ-*

poſſunt approbari vel reprobari per illa communia & prima principia. Quædam vero ſunt ad quorum judicium requiritur multa conſideratio diverſarum circunſtantiarum, quas conſiderare diligenter non eſt cujuslibet, ſed ſapientum; ſicut conſiderare particulares concluſiones ſcientiarum non pertinet ad omnes, ſed ad ſolos Philoſophos... Quædam ſunt quæ ſtatim per ſe ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat eſſe facienda vel non facienda, ſicut (Honora patrem tuum & matrem,) & (Non occides, Non furtum facies) & hujuſmodi ſunt abſolute de lege naturæ. Quædam vero ſunt quæ ſubtiliori conſideratione rationis a ſapientibus judicantur eſſe obſervanda; & iſta ſic ſunt de lege naturæ, ut tamen indigeant diſciplina qua minores a ſapientibus inſtruantur, ſicut illud, (Coram cano capite conſurge) & alia hujuſmodi.

Albertus M. in 2. Sent. diſt. 22. art. 10. *Quodam eſt*, inquit, *jus univerſale quod omnibus imponitur ad ſciendum, & quoddam eſt particulare quod non ſcitur niſi per ſtudium. Prima*, id eſt, primi ignorantia, *eſt craſſa & non excuſans; ſecunda vero excuſat vel a tanto, vel etiam a toto, ſi eſt caſus multum difficilis.*

Item Almainus Tract. Mor. cap. 4. ubi ſermonem habet de ignorantia quatenus tollit voluntarium: *Non poteſt*, inquit, *reperiri ignorantia invincibilis in iis quæ ſunt juris pure naturalis univerſalis in aliquo utente ratione.* Ubi cum addat iſtam vocem *univerſalis*, profecto ſupponit reperiri ignorantiam invincibilem in iis quæ ſunt juris naturalis particularis, hoc eſt, concluſionum ſaltem a primis principiis remotiorum.

Et clariſſimus Gerſonius lib. de poteſtate Eccleſiaſtica Conſid. 13. *Diligenter attendendum eſt*, inquit, *quod ſicut in ſpeculabilibus ſunt primo principia naturaliter nota, ſunt ſecundo concluſiones evidenter ab illis principiis demonſtratæ, ſunt conſequenter concluſiones tantummodo probabiliter deductæ ex prædictis veritatibus circa quas eſt ſolum opinio; tandem quarto ſunt aliæ propoſitiones ſic elongatæ a primis veritatibus quod non apparet... Proportionabiliter ſuo modo dicendum eſt de veritatibus moralibus, &c.*

His antiquioribus Scholaſticis facile aſtipulantur recentiores; ſic Bartholomæus de Medina celeberrimus in Academia Salmanticenſi Theologus 1. 2. q. 76. art. 2. *Circa alia præcepta naturalia quæ eliciuntur ex præceptis Decalogi per conſequentiam & argumentationem non valde evidentem, ſed multo labore & inquiſitione, poteſt eſſe ignorantia invincibilis per multum tempus, niſi de ejuſmodi veritatibus ab alio erudiamur & illuminemur, v. g. an ſit licitum habere plures uxores, an fornicatio ſimplex ſit licita, anne ſit licitum vindicare proprias injurias... Ratio hujus propoſitionis eſt, quia ex errore & conſuetudine vulgi, inſuper ex ingenii tarditate non poteſt homo cito advertere inordinationem in hujuſmodi actibus.* Quod idem docet Soto lib. 2. de juſt. q. 4. art. 4.

Et Sylvius inſignis Doctor Duacenſis in 1. 2. quæſt. 76. q. 2. concluſ. 4. *Quædam ſunt*, inquit, *juris naturæ præcepta obſcuriora quæ ſaltem ab infidelibus poſſunt tota vita ignorari invincibiliter, quia non ſolum Ethnici nec ſolum indocti, ſed etiam Chriſtiani & docti de quibuſdam eorum opinati ſunt, quod non ſint jure naturæ prohibita.*

Scilicet merito contendunt illi cum cæteris communiter Theologis, poſſe interdum hominibus multis, ac præſertim indoctis, contingere ignorantiam invincibilem juris naturalis ad unumquemque pertinentis, quoad concluſiones valde remotas a primis principiis, & quoad certos caſus difficiles & abſtruſos, de quibus controverſia eſt vel inter ipſos Theologos.

Cum porro dicimus jus naturale invincibiliter, adeoque citra culpam a nonnullis rudioribus ignorari poſſe quoad

cer-

certas concluſiones a primis principiis remotiores; eos tamen omnes propterea excuſandos non puto ruſticos, uti apparent homines qui in negotio ſuæ ſalutis adeo hebetes ſunt, ut vix communiſſima bene vivendi principia calleant; ejuſmodi enim ingenii tarditatem & hebetudinem in illis rudioribus plerumque culpabilem eſſe, ex eo manifeſte colligitur, quod in ſuis alioquin temporalibus negotiis tractandis oculatiſſimos ſe & ſagaciſſimos ubique exhibeant; quo fit ut merito conjicere liceat illos, cum propria forſan induſtria erudiri nequeunt, ſaltem ab aliis & fidem & mores edoceri poſſe. Quibus adde divum Thomam 2. 2. q. 15. art. 2. hebetudinem ſenſus reponere inter peccata, quæ ex affectu circa carnalia, aut ex gula ortum ducunt, quatenus nempe homo ſic affectus non percipit ea quæ ſunt Dei, eaque addiſcere plane negligit; quo poſito eos interdum culpa vacare non putamus.

Objicies: Ex illa ſententia manifeſte colligitur Dei mandata eſſe interdum impoſſibilia; ſic enim liceat argumentari. Ea mandata adimpleri non poſſunt, adeoque ſunt impoſſibilia, quæ cognoſci non poſſunt: Atqui præcepta legis naturæ, quæ ſpectant concluſiones a primis principiis remotiores, cognoſci non poſſunt ab homine; quandoquidem ab eo ignorantur ignorantia plane invincibili ergo ex illa ſententia manifeſte ſequitur mandata Dei plerumque fore impoſſibilia; quod quidem, quoniam divinæ providentiæ repugnat, falſiſſimum eſſe docuimus in tractatu noſtro de Gratia Dei; proindeque non datur ignorantia invincibilis etiam concluſionum a primis principiis juris naturalis remotiorum.

Confirmatur quia ſi præceptum legis naturalis ignoraretur invincibiliter; cum ignorantia invincibilis excuſet a peccato, ut mox dictum eſt, citra culpam poſſet aliquid fieri de ſe & ex natura ſua malum & illicitum; id nimirum quod ageretur contra præceptum negativum legis naturæ: abſurdum conſequens, ut per ſe patet; ergo & antecedens.

Diſt. an. Ex illa ſententia manifeſte colligitur Dei mandata eſſe interdum impoſſibilia iis hominibus qui nec illa cognoſcunt nec cognoſcere poſſunt, C. cæteris hominibus qui vel ea cognoſcunt vel cognoſcere poſſunt, N. Porro cum dicitur mandata Dei eſſe poſſibilia, ſeu Deum impoſſibilia non jubere, id intelligitur reſpectu eorum qui ſecundum legem ordinariam & citra ullum miraculum aut ea cognoſcunt aut cognoſcere poſſunt; ſed non ita demum id intelligi debet, quaſi etiam iis hominibus ſint poſſibilia, qui ejuſmodi mandata ignorarunt ignorantia invincibili.

Primo, quia mandata Dei eatenus dicuntur poſſibilia, quatenus Deus facienti quod in ſe eſt non denegat gratiam: nam *Deus*, inquit Concil. Trid. Seſſ. *6.* cap. 11. *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*. Sed ei qui ignorat ignorantia invincibli præceptum aliquod particulare legis naturæ, ſeu concluſiones a primis principiis remotiſſimas, cenſetur facere aut feciſſe quod in ſe eſt: ſupponitur enim omnem adhibuiſſe diligentiam, ut veritatem & ſingula Dei mandata cognoſceret, alioquin non laboraret ignorantia plane invincibili; igitur mandata Dei minime cenſentur poſſibilia reſpectu eorum qui ejuſmodi mandata ignorant ignorantia prorſus invincibili, quod videlicet nec ea cognoſcunt nec cognoſcere potuerunt.

Secundo, quia generalis eſt & indubitata hæc juris regula, nullam legem, quæcunque tandem illa ſit, obligare poſſe, quin prius innotuerit, aut ſaltem innoteſcere potuerit, ut docet divus Thomas 1. 2. q. 90. art. 4. his verbis:

Ad hoc ut lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet quod applicetur hominibus qui ſecundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc quod in eorum notitiam deducitur ex ipſa promulgatione. Unde cum dicitur quædam actio eſſe contra legem, & eatenus in culpam imputari, id intelligitur de lege quæ venerit in notitiam, aut ſaltem venire potuerit; aliter ejuſmodi legis præceptorum obſervatio non cenſetur poſſibilis.

Tertio demum & id oſtenditur exemplo ignorantiæ facti, ex qua idem argumentum licet colligere; ex eo quod enim detur ignorantia invincibilis facti per quam fiat tranſgreſſio legis, non idcirco Deus cenſetur jubere impoſſibilia, licet, v. g Jacob ex errore invincibili acceſſerit ad Liam nondum ſuam, tamen illud mandatum non cenſetur impoſſibile, quo vetitum eſt, ne quis accedat ad non ſuam; Deus enim ſimul prohibet ne quis accedat ad non ſuam, & permittit ut Jacob ex errore invincibili accedat ad non ſuam; ſimiliter non ſequitur Deum impoſſibilia jubere, ex eo quod homo nonnunquam laboret ignorantia invincibili juris naturæ quoad concluſiones ſcilicet remotiſſimas.

Ad confirmationem vero nego in illa hypotheſi citra culpam aliquid fieri per ſe & ex natura ſua malum & illicitum, illud quippe duntaxat per ſe & ex natura ſua malum eſt quod ſemper & in omni caſu malum eſt, ita ut culpæ imputetur: Sed quod fit ex ignorantia invincibili, non eſt in omni caſu & reſpectu cujuslibet malum, nimirum reſpectu ejus qui laborat ignorantia invincibili & involuntaria. Quamobrem quod prohibitum eſt lege naturali, vulgo dicitur per ſe, ex natura ſua & intrinſecus malum: eo ſenſu quod malum eſt & illicitum, tametſi aliunde nulla lege poſitiva, nullo præcepto prohibeatur, non autem eo ſenſu quod ſemper & in omni caſu, vel etiam reſpectu eorum qui laborant ignorantia invincibili, vitio vertatur; quia in moralibus firma & inconcuſſa manere debet hæc regula, qua ſtatuimus id ſolum rationem habere peccati, quod voluntarium eſt.

At, inquies, ejuſmodi ignorantia male dicitur invincibilis; ſiquidem vincibilis eſt in cauſa, nempe in Adamo.

Huic argumento ſatis ſuperque, ut opinor, fecimus ſatis, ubi diximus id ſolum culpæ nobis imputari poſſe, quod veri & proprie dicti peccati rationem habeat (præter peccatum originale) quod voluntarium eſt propria peccandi voluntate.

Utrum juris poſitivi ignorantia invincibilis excuſet a peccato.

HIc ſupponimus aliquam dari ignorantiam invincibilem juris poſitivi, qualis eſt in infidelibus apud quos Chriſtianæ fidei lumen nunquam affulſit, & qui propterea jus divinum invincibiliter ignorant, quod ipſum fuſius longe & uberius oſtendetur in Tractatu noſtro de Fide, ubi nimirum agetur de infidelitate negativa, & examinabimus utrum ab infidelibus ignoretur invincibiliter Chriſti fides.

Nunc obiter & occaſione data, cum diſputationem inſtituerimus de ignorantia invincibili, quærimus an poſito quod detur ejuſmodi ignorantia invincibilis juris poſitivi divini, ea penitus excuſet a peccato.

CONCLUSIO.

Ignorantia juris divini, modo ſit omnino invincibilis, excuſat a peccato.

Id

Id manifeſte liquet ex his Chriſti verbis Joan. 15. *Si non veniſſem*, inquit, *& locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo... ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Illud ſcilicet cujus rei facti ſunt, quod in Chriſtum non crediderunt, ut eleganter obſervat S. Auguſtinus Tract. 89. in Joan. his verbis: *Hoc eſt autem quia non crediderunt in Chriſtum, qui propterea venit ut credatur in eum. Hoc peccatum, ſi non veniſſet, non utique haberent*. Et poſtea: *Reſpondeo habere illos excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus*, quod porro in gratiam Judæorum idipſum pro Gentilibus ibidem docet: *Reſtat inquirere*, inquit, *utrum hi qui priuſquam Chriſtus in Eccleſia veniret ad Gentes, & priuſquam Evangelium ejus audirent, vitæ hujus fine præventi ſunt, ſeu præveniuntur, poſſint habere excuſationem: poſſunt plane, ſed non ideo poſſunt effugere damnationem*. Sic ultro loquitur Epiſtol. 194. *Dicit etiam ipſe Dominus in Evangelio: Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Non utique peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliis magnis multiſque peccatis, ſed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuiſſe, ſi non veniſſet, quo cum audiſſent eum, non crediderunt in eum*. Quæ verba, quoniam manifeſtiſſima ſunt, nulla prorſus indigent explicatione.

His accedit Apoſtolum ad Rom. cap. 10. eos aperte a peccato infidelitatis eximere quibus non fuit annuntiatum Chriſti Evangelium, eo potiſſimum nomine quod penes ipſos non fuit credere: *Quomodo*, inquit, *invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo vero prædicabunt niſi mittantur?* Quibus ſane verbis nihil expreſſius ad hanc rem noſtram deſiderari poteſt, ait enim Apoſtolus infideles, quibus nondum affulſit Evangelii lumen, Chriſtum non poſſe invocare, quia non credunt in eum; credere vero non poſſe, quia de eo quidquam non audiverunt, *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*.

Nec movere debent hæc verba quæ immediate ſequuntur: *Sed dico, numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Quaſi dicat Apoſtolus excuſari quidem poſſe Gentiles qui in Chriſtum non crediderunt ante prædicationem Evangelii, ſed neminem amplius poſſe citra culpam & invincibiliter Chriſti fidem ignorare, adeoque nullam penitus dari ignorantiam invincibilem juris poſitivi. Non ſunt enim hæc Apoſtoli verba ſtricte & litteraliter accipienda, quaſi doceat Evangelii notitiam ad omnes & quaſcunque univerſi orbis gentes perveniſſe; ita ut nemo amplius Chriſti fidem invincibiliter ignorare poſſit; id enim aperte falſum erat quo tempore ſcribebat divus Paulus; ſed eo ſenſu accipi debet quod in varias mundi partes jam annuntiatum fuerat Dei nomen, ut interpretatur S. Auguſtinus lib. de Nat. & Grat. cap. 2. his verbis: *Quomodo enim crederent*, inquit, *quod non audierunt, aut quomodo audirent ſine prædicante? Fides enim ex auditu, ſicut ſcriptum eſt, auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico*, inquit, *numquid non audierunt? In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed antequam hoc inciperet fieri, antequam denique uſque ad fines totius orbis terræ prædicatio ipſa perveniat, quoniam non deſunt adhuc ultimæ gentes, licet, ut perhibetur, pauciſſimæ, quibus hoc nondum fuerit prædicatum*.

Sed

Sed eſto quod Apoſtolus dixiſſet in omnem terram publicatum fuiſſe Chriſti Evangelium, profecto non inde ſequitur in ejus mente ignorantiam invincibilem non excuſare a peccato: ad ſummum colligeretur neminem poſt ſufficientem legis promulgationem laborare poſſe ignorantia plane invincibili.

Quamobrem & hæc noſtra concluſio ipſa nititur experientia, quæ docet, teſtibus divo Paulo & Auguſtino, multos invincibiliter & inculpate ignorare fidem Chriſti, quæ proprie jus divinum poſitivum eſt, nec alio pacto cuicunque innoteſcere poteſt, quam per revelationem ſeu promulgationem externam, humano quodam magiſterio: quo fit ut ii legitimam de ſua infidelitate excuſationem habeant, quibus ejuſmodi jus poſitivum non fuit revelatum.

Quod porro mox diximus de ignorantia juris poſitivi, idem plane ſentiendum eſt de ignorantia facti quæ ſit invincibilis, eam nimirum a peccato ſimiliter excuſare; huc enim pertinent eadem omnino principia quæ ſuperius a nobis adducta ſunt, idque inſuper confirmatur auctoritate S. Auguſtini, qui paſſim docet adverſus Donatiſtas ab omni peccato eximere ignorantiam facti. *Quomodo*, inquit Epiſt. 113. *fideles toto orbe diffuſi crimen traditorum cognoſcere poterant, quod accuſatores etiamſi noverant, tamen eis oſtendere non valebant? hoc ergo ab hoc crimine innocentes eſſe, nempe ipſa ignorantia, facillime oſtendit. Cur ergo innocentes falſis criminibus accuſantur, quia crimina aliena ſeu falſa ſeu vera neſcierunt? quis locus innocentiæ reſervatur ſi crimen alienum? porro ſi tot gentium populos ipſa ignorantia, ſicut dictum eſt, innocentes oſtendit, quam magnum crimen eſt ab iſtorum innocentium communione ſeparari?* Quod idem habet lib. 2. contra Creſconium cap. 26.

Utrum ignorantia ſit peccatum formaliter.

QUæſtio eſt utrum ignorantia practica, ſeu rerum agendarum ſit per ſe & ſecundum ſe aliquod ſpeciale peccatum ab illis diſtinctum quæ ex ejusmodi ignorantia committuntur; ita ut præciſe legem & præcepta ignorare, peccatum deputetur, & rurſus qui ex ignorantia aliud committit peccatum, v. g. homicidium, duplicis peccati reus ſit, nimirum homicidii & ignorantiæ.

Variæ ſunt ſuper ea re Theologorum e Schola ſententiæ. Quidam enim contendunt ignorantiam eſſe veluti ſtatum in quo conſtituitur homo, ſed non eſſe per ſe formaliter peccatum; quemadmodum mors eſt quidem effectus peccati & veluti aliquis ſtatus, ſed ipſa peccatum non eſt. Alii vero ignorantiam docent per ſe & ſecundum ſe peccatum eſſe; omiſſionis quidem, cum voluntas ſola omiſſione adhibendi diligentiam ad cognoſcendum præceptum peccat, commiſſionis vero, cum voluntas actus deliberato legem ignorare vult, quorum ſententiæ lubenter ſubſcribimus.

CONCLUSIO.

Ignorantia eorum quæ quis ſcire debet, ſpeciale quoddam peccatum eſt; ſi nempe ſit voluntaria & invincibilis.

Id primum ſuadetur auctoritate Scripturarum, in quibus non modo affirmatur ignorantiam eſſe cauſam peccati, ut cum legitur Levit. 4. *Si anima peccaverit per ignorantiam, &c.* & Numer. 15. *Quoniam culpa eſt omnis populi per ignorantiam, &c.* Sed & ipſa ignorantia dicitur peccatum; ait enim David Pſal. 24. *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.* Iſaiæ 5. *Propterea captivus ductus eſt populus*

pulus meus, quia non habuit ſcientiam. Id ſpecialiter de Sacerdotibus annuntiat Oſeas cap. 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, obliviſcar filiorum tuorum & ego.* Unde Apoſtolus ſcribit I. ad Corint. cap. 14. *Si quis ignorat ignorabitur*, & ad Hebræos cap. 9. *Semel in anno ſolus Pontifex, non ſine ſanguine quem offert pro ſua & populi ignorantia.* Quæ ſatis aperte ſignificant ignorantiam quandoque eſſe per ſe & ſecundum ſe peccatum. Unde S. Auguſtinus lib. 1. oper. imperf. cap. 105. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut peccet qui neſciendo quid facere debeat, quod non debet facit, de quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur: Delicta juventutis & ignorantias meas ne memineris.*

Quibus accedit auctoritas divi Thomæ rem iſtam declarantis 1. 2. qu. 76. art. 2. ubi cum quæſtionem inſtituiſſet, *utrum ignorantia ſit peccatum*, reſpondet his verbis: *Dicendum quod ignorantia in hoc a neſcientia differt, quod neſcientia dicit ſimplicem ſcientiæ negationem ..... ignorantia vero importat ſcientiæ privationem, dum ſcilicet alicui deeſt ſcientia eorum quæ aptus natus eſt ſcire ...., horum autem quædam aliquis ſcire tenetur, illa ſcilicet ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum recte exercere; unde omnes tenentur ſcire communiter ea quæ ſunt fidei & univerſalia juris præcepta, ſinguli autem ea quæ ad eorum ſtatum vel officium ſpectant. Quædam vero ſunt quæ etſi aliquis natus eſt ſcire, non tamen ea ſcire tenetur, ſicut theoremata geometriæ & contingentia particularia, niſi in caſu. Manifeſtum eſt autem quod quicumque negligit habere, vel facere id quod tenetur facere vel habere, peccat peccato omiſſionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum ..... Ex quo patet quod nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum, ignorantia autem vincibilis, ſi ſit eorum quæ aliquis ſcire tenetur; non autem ſi ſit eorum quæ quis ſcire non tenetur.* Cui ſententiæ cæteri vulgo ſubſcripſerunt Theologi, Alexander 2. p. qu. 112. memb. 1. S. Bonav. in 2. diſt. 22. Rich. q. 2. art. 2. Marſ. in 2. q. 15. art. 2. Almainus Tract. 1. Moral. c. 4. Gerſon Alphab. 31. Lit. D. &c.

Et ratio eſt, quia illud per ſe, ſecundum ſe & formaliter peccatum eſt, quod ſecundum ſe eſt contra præceptum: atqui ignorantia eſt contra præceptum, ſcilicet contra illud præceptum quo quis tenetur adhibere diligentiam ſciendi ea quæ ſcire tenetur; ergo ignorantia per ſe peccatum eſt formaliter.

Deinde ſi quid obſtaret quominus ignorantia per ſe formaliter peccatum eſſet, maxime quia non eſt oppoſita virtuti morali, ſed tantum virtuti intellectuali, nimirum ſcientiæ: atqui hæc ratio prorſus nulla eſt; ſiquidem hæreſis peccatum eſt, quæ tamen opponitur virtuti intellectuali, ſcilicet fidei; ergo.

Cæterum ſubtilius quam par eſt, meo quidem judicio, hic diſſerunt nonnulli Theologi, cum ignorantiam diſtinguunt a negligentia ſciendi, & quærunt utrum ignorantia ſit peccatum non ratione negligentiæ, ſed per ſe & ſecundum ſe, aut ſolum effectus & pœna peccati; ſatis eſt enim ſi ignorantia ſpectetur ut diſtincta a cæteris peccatis quorum ipſa eſt cauſa, quo ſenſu hanc quæſtionem propoſuit diremitque S. Thomas loco mox citato.

Objicit ſibi S. Doctor ibidem hæc Auguſtini verba, quæ habentur lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. *Peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem divinam:* Sed ignorantia non eſt dictum, neque factum, neque concupitum contra legem Dei, quia non importat ullum actum interiorem vel exteriorem; ergo.

Huic

Huic objectioni reſpondet S. Thomas his verbis: *Ad primum dicendum, in hoc quod peccatum dicitur dictum, vel factum, vel concupitum, ſunt intelligendæ etiam negationes oppoſitæ, ſecundum quod omiſſio habet rationem peccati, & ita negligentia ſecundum quam ignorantia eſt peccatum, continetur ſub prædicta definitione peccati; in quantum prætermittitur aliquid quod debuit dici, vel fieri, vel concupiſci ad ſcientiam acquirendam.*

Brevius autem reſponderi poteſt accuratam non eſſe præfatam diſtributionem peccati in ſuas ſpecies; ſiquidem eo loci nec de originali nec de peccato omiſſionis loquitur Auguſtinus.

Objicit ſibi inſuper S. Thomas: Privatio gratiæ non eſt peccatum, ſed magis pœna conſequens peccatum; ergo ignorantia quæ eſt privatio ſcientiæ, non eſt peccatum.

Reſpondet autem his verbis: *Ad ſecundum dicendum quod privatio gratiæ, etſi ſecundum ſe non ſit peccatum, tamen ratione negligentiæ præparandi ſe ad gratiam, poteſt habere rationem peccati, ſicut & ignorantia; & tamen quantum ad hoc eſt diſſimile, quia homo poteſt aliquam ſcientiam acquirere per ſuos actus, gratia vero non acquiritur ex noſtris actibus, ſed ex Dei munere.* Vel aliter dici poteſt in eo verſari diſcrimen, quod privatio gratiæ non opponitur præcepto; neque enim præcipitur homini habere Dei gratiam: at vero privatio ſcientiæ eorum quæ homo ſcire tenetur, ut per ſe patet, opponitur; quo fit ut ejusmodi ignorantia peccatum deputetur, ſi voluntaria ſit.

Objicit tertio: Si ignorantia eſt peccatum, ea debet eſſe voluntaria: ſed ſi ignorantia ſit peccatum in quantum eſt voluntaria, videtur peccatum in ipſo actu voluntatis conſiſtere magis quam in ignorantia; ergo ignorantia per ſe non erit peccatum, ſed magis conſequens ad peccatum.

Reſpondet S. Thomas his verbis: *Ad tertium dicendum quod ſicut in peccato tranſgreſſionis peccatum non conſiſtit in ſolo actu voluntatis: ſed etiam in actu volitio qui eſt imperatus a voluntate; ita in peccato omiſſionis non ſolum actus voluntatis ſed etiam ipſa omiſſio in quantum eſt æqualiter voluntaria, & hoc modo ipſa negligentia ſciendi, vel etiam ipſa inconſideratio eſt peccatum.* Oſtendit hæc reſponſio ignorantiam eatenus dici a S. Thoma peccatum, quatenus conjunctam habet negligentiam ſciendi ea quæ ſcire tenemur, quo ſenſu hanc noſtram theſim propugnamus.

Objicit ſibi quarto loco S. Thomas, omne peccatum per pœnitentiam tollitur, nec aliquod peccatum tranſiens reatu remanet actu, niſi ſolum originale: ignorantia autem non tollitur per pœnitentiam, ſed adhuc remanet actu, omni reatu per pœnitentiam remoto; ergo ignorantia non eſt peccatum.

Cui objectioni in hunc modum reſpondet: *Ad quartum dicendum quod licet tranſeunte reatu per pœnitentiam remaneat ignorantia ſecundum quod eſt privatio ſcientiæ, non tamen remaneat negligentia ſecundum quam ignorantia peccatum dicitur.* Scilicet cum ignorantia peccatum ſit, non quatenus eſt præciſe ſcientiæ privatio, ſed quatenus eſt voluntaria cognitionis eorum quæ ſcire tenemur privatio, facile intelligitur per pœnitentiam illud tolli ignorantiæ genus quæ peccatum eſt.

Objicit demum ſibi S. Doctor, ſi ipſa ignorantia ſit peccatum, ſequitur hominem durante ignorantia continuo peccare: perſæpe autem manet continuo ignorantia; ergo ignorans continuo peccabit, quod patet eſſe falſum.

Sic vero reſpondet: *Ad quintum dicendum quod ſicut in aliis peccatis omiſſionis ſolo illo tempore homo actu peccat pro quo præceptum affirmativum obligat; ita eſt etiam de peccato ignorantiæ: non enim*

enim continuo ignorans actu peccat, ſed ſolum quando eſt tempus acquirendi ſcientiam quam habere tenetur.

Objicies inſuper: Omne peccatum eſt in voluntate: Atqui ignorantia non eſt in voluntate, ſed in intellectu; quemadmodum ejus oppoſitum, nempe ſcientia, eſt in intellectu, non in voluntate; ergo.

Diſt. maj. Omne peccatum eſt in voluntate tanquam in cauſa, C. tanquam in ſubjecto, N. revera omne peccatum eſt in voluntate tanquam in cauſa, quia nullus actus peccatum deputari poteſt, quin libere admittatur; ita ut caveri & vitari poſſit a voluntate quæ omnium & ſingulorum ſuorum actuum eſt domina; ſed omne peccatum non eſt in voluntate tanquam in ſubjecto; cæteræ quippe facultates ſua habent peccata, aliquod enim eſt in appetitu concupiſcibili, & aliquod in iraſcibili & cæteris facultatibus; quapropter ignorantia quæ eſt in intellectu tanquam in ſubjecto, & in voluntate tanquam in cauſa, ut ſupponimus, quia eam ſpectamus ut conjunctam cum negligentia addiſcendi, vere peccatum eſt.

Inſtabis: Nihil volitum quin præcognitum, ignoti, ut ajunt, nulla cupido: Sed ignorantia non fuit præcognita, ipſa enim ignorantia, ut per ſe patet, cognitionem excludit: ergo non eſt volita, non eſt in voluntate tanquam in cauſa.

Nego min. Is enim qui ſua culpa & negligentia legem ignorat & ea quæ ſcire & facere tenetur, cognovit ſuam ignorantiam, quæ proinde voluntaria & volita recte dicitur. Quod autem, ut ajunt, ignorantia cognitionem excludit, id intelligas de cognitione rei quæ ſciri debet, non autem de cognitione ſui ipſius.

Objicies: Omne peccatum opponitur alicui virtuti morali: Atqui ignorantia non opponitur virtuti morali, ſed ſcientiæ quæ non eſt virtus moralis, ſed intellectualis; ergo ignorantia non eſt peccatum: hæc objectio eſt Cajetani.

Nego min. Ignorantia quippe, de qua loquitur, qua quis ignorat ea quæ ſcire tenetur, opponitur virtuti quæ dicitur ſtudioſitas, eſtque virtus moralis qua homo inclinatur ad cognitionem eorum, quæ ſcire tenetur, acquirendam.

Objicies: Quod minuit peccatum, peccatum eſſe non poteſt: Sed ignorantia minuit peccatum, qui enim ex ignorantia peccat, levius peccat quam ſi ex plena & perfecta cognitione peccet, ut fatentur omnes; ergo ignorantia non eſt peccatum.

Nego maj. Nihil enim vetat quominus ignorantia minuat peccatum, & tamen ipſa ſit peccatum; ex eo enim quod opponitur præcepto peccatum eſt; quod autem minuit voluntarium, eatenus minuit peccatum, quæ quidem duo ſimul conjungi poſſunt; ſcilicet ſub uno reſpectu ignorantia minuit peccatum quod ex illa proficiſcitur; & ſub alio ipſa peccatum eſt.

Objicies: Si ignorantia per ſe & ſecundum ſe peccatum eſſet, qui peccaret ex ignorantia, duplex ſpecie diſtinctum peccatum committeret: qui, v. g. ex ignorantia furaretur, peccatum ignorantiæ ſimul & peccatum furti committeret: Abſurdum conſequens, quia & ignorantia legis furtum prohibentis & furtum ipſum ad idem præceptum ordinantur; ſed quoties duo ad idem præceptum ordinantur, tunc duplicem peccati ſpeciem non conſtituunt; idem enim peccatum eſt quod quis velit hominem interficere & actu interficiat; ergo ignorantia per ſe peccatum non eſt formaliter.

Nego min. Tunc enim duplex eſt peccatum, ubi eſt tranſgreſſio duplicis præcepti: Atqui in præfato & ſimili caſu occurrit tranſgreſſio duplicis præcepti:

cepti: nimirum illius præcepti quo quis ſcire tenetur furtum eſſe prohibitum, & alterius quo furtum eſt vetitum; ergo duplex eſt ſpecie peccatum. Ad probationem dico duplex & diſtinctum occurrere peccati genus in duobus actibus, quoties unum per ſe & nullo habito ordine ad aliud præcipi poteſt, tametſi aliunde ad idem præceptum ordinari videantur: Porro cognitio præcepti furtum prohibentis ſine ullo ordine ad ipſum furtum, hoc eſt, ſecluſo quolibet furandi periculo, præcipi poſſet, eo nimirum præcepto, quo unuſquiſque tenetur legis naturalis mandata cognoſcere; unde illius præcepti ignorantia peccatum eſt ſpecie diſtinctum ab ipſo furto.

Quæres utrum ignorantia pœnæ in tranſgreſſores legis latæ hominem eximat ab ejusmodi pœna.

Reſpondeo negative, ſi nempe agatur de iis qui jus naturale vel divinum violant. Et ratio eſt quia pœnæ in tranſgreſſores legis alicujus irrogatæ eo ipſo ſe ſubjicit, quiſquis ſciens & volens legem violat, quantumvis pœnæ gravitatem aliunde ignoret; quamobrem nemo dubitat inter Theologos quin Ethnici æternis plectendis ſint ſuppliciis, tametſi ignoraverint pœnas adeo graves ſibi debitas; neque enim pœnæ jure irrogatæ ab acceptatione ſubditorum pendere debent. Quid vero de pœnarum canonicarum ſeu cenſurarum ignorantia ſit ſentiendum, alibi dicendi locus erit.

De libertate hominis.

HIs fuſe pertractatis quæ ad voluntatem moralem attinent, ſequitur de alio actuum humanorum principio, nimirum de libertate, nunc diſputationem inſtituamus; quod ut fiat majori cum perſpicuitate, libet prius hic adnotare libertatem quæ generatim loquendo, eſt immunitas a ſubjectione, quadruplicem eſſe potiſſimum, ſcilicet libertatem a miſeria, a peccato, a coactione, & a neceſſitate. Libertas a miſeria reddit hominem beatum: Libertas a peccato facit hominem ſanctum: Libertas a coactione efficit ut actio ſit voluntaria: denique libertas a neceſſitate facit agens perfecte liberum, ea nimirum libertate quæ ad meritum deſideratur.

Sic fere libertatem dividit S. Bernardus lib. de Grat. & lib. Arb. c. 3. his verbis: *Triplex nobis propoſita eſt libertas, a peccato, a miſeria, a neceſſitate; hanc ultimo loco poſitam contulit nobis in conditione naturæ; in primum reſtauramur a gratia; media nobis reſervatur in patria; dicatur igitur prima libertas naturæ, ſecunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ.*

Hic porro agitur de poſtrema libertatis ſpecie quæ eſt immunitas, ut oſtendemus, non modo a coactione, ſed & ab omni prorſus neceſſitate, quæ dicitur libertas moralis, quia in moribus eſt veluti radix & principium boni & mali, meriti & demeriti, laudis & vituperii: Dicitur etiam libertas naturæ, ut mox legebatur apud Bernardum, quia eſt facultas per naturam conceſſa omni agenti intellectuali; denique dicitur libertas arbitrii, liberum arbitrium, quia eſt facultas qua poteſt agens pro nutu & arbitratu operari vel non operari.

Duo vero hic potiſſimum & quæ maximi ſunt ponderis, veniunt in controverſiam: primum videlicet utrum in homine, poſt Adæ peccatum ſpectato, ſuperſtes ſit ejusmodi libertas nativa, liberum arbitrium. Secundo & graviſſimam inſtituemus quæſtionem de natura & eſſentia hujus libertatis, an cum neceſſitate agendi ſaltem ſimplici conſociari poſſit; an vero poſita ſit eſſentialiter in indifferentia ad agendum vel non agendum plane immuni,

non

non modo a coactione, ſed & a neceſſitate.

An detur in homine liberum arbitrium.

HI ſunt potiſſimum qui in tota retro antiquitate ad noſtra uſque tempora libertatem hominis penitus everterunt. Stoici primum qui teſte S. Auguſtino lib. 5. de Civit Dei cap. 9. humanis voluntatibus per divinam præſcientiam neceſſitatem imponi contendebant: *In has anguſtias*, inquit de Tullio, *coarctat animum religioſum, ut unum eligat e duobus, aut eſſe aliquid in noſtra voluntate, aut eſſe præſcientiam futurorum; quoniam utrumque arbitratur eſſe non poſſe; ſed ſi alterum confirmabitur, alterum tollit; ſi elegerimus præſcientiam futurorum, tollit voluntatis arbitrium; ſi elegerimus voluntatis arbitrium, tollit præſcientiam futurorum .... Atque ita dum vult facere liberos, fecit ſacrilegos.*

Tum vero & Mathematici ſeu Aſtrologi judiciarii, qui ab aliis dicti ſunt Planetarii, ab aliis Genethliaci, fatalem a ſyderibus neceſſitatem humanæ voluntati imprimi putaverunt, ut teſtantur veteres qui adverſus illa Aſtrologorum deliria ſcripſerunt. Unum ex illis ſic loquentem eleganter inducit Euſebius lib. 6. de Præp. cap. 6. *Fiet illud omnino, ſi fatum meum ita tulerit, quorſum autem fruſtra moleſtus mihi ſim? hunc ſi officii ſui admoneas, referet utique monitori ſuo, quemadmodum nonnullis qui ſuperiori memoria vixere, contigit. Ad quid hæc tua mihi monita, bone vir? nec enim integrum mihi eſt mentem hanc conſiliumque mutare, quando jam fatum occupavit. Quid me porro juvet contendere, ubi ne optandi quidem facultas arbitriumque relinquatur? niſi optare fatum quoque mihi ſit: optabo vero ſi fatum erit, licet nihil præcipias ipſamet fati neceſſitate adductus.*

Idem docuerunt famoſi & capitales humanæ libertatis hoſtes Manichæi, qui cum ſtatuerent duas eſſe in nobis animas, bonam alteram, alteram malam, eas in perpetuo conflictu verſari putabant, ita ut ſi vinceret bona, ad virtutem neceſſario determinaret; ſi mala, etiam pari neceſſitate in vitium præcipitaret; ſcilicet bonam hominis animam divinæ naturæ particulam, malam vero mali principii velut fragmentum delirabant; unde illa ad bonum, iſta ad malum invicte & neceſſario ferebatur: iſta conſtant ex S. Auguſtino paſſim in ſcriptis adverſus Manichæos, & ex lib. 1. Retract. c. 15.

His annumeramus & Priſcillianum, ut aperte colligitur ex Concilio Bracarenſi II. hæc pronuntiante cap. 3. *Si quis animas & corpora fatalibus ſtellis credit aſtringi, ſicut Pagani & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.*

Poſt Wicleffum qui in Concilio Conſtantienſi damnatus eſt, quod liberum homini arbitrium ſuſtuliſſet, eandem plane doctrinam tradidit Lutherus, ut patet ex Concilio Senonenſi, quo nata recens Lutheri hæreſis attrita eſt decreto 15. *Et ſi nulla*, inquit, *pene ſit tam aperta Catholica veritas, nullus tam manifeſtus Scripturæ locus quem non Hæretici ſuis cavillis & tergiverſationibus eludant, nulla tamen in re tam prudenter, tantaque rei Chriſtianæ jactura debacchati ſunt, quam in exterminando profligandoque libero arbitrio.*

His aſtipulatus eſt Calvinus, qui lib. 2. Inſtit. cap. 2. reprehendit illam ſententiam Philoſophorum, qui dicunt virtutes & vitia eſſe in noſtra poteſtate, itemque agere & non agere eſſe noſtræ electionis; aitque peccatores ex una parte in vitia neceſſario abripi, & juſtos pari neceſſitate per divinam gratiam virtutes amplecti, qua ex cauſa in illum anathema pronuntiarunt Tridentini Patres Seſſ. 6. Can. 5. his verbis: *Si quis liberum hominis arbi-*

trium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, anathema ſit.

An vero Janſenius Iprenſis hujuſce Calviniani erroris a Concil. Trident. profligati ſuſpicionem procul a ſe merito removeat; cum multum diſtare ſe a Calvino profitetur, qui *fronte retecta*, inquit, *docet non eſſe in homine liberum arbitrium, ipſumque nomen inane & exterminandum eſſe*. Tametſi paſſim affirmet ipſe Janſenius nomine libertatis intelligi tantum debere facultatem ab interna coactione ſolutam, eamque neceſſitatem qua voluntas ad unum aſtringitur; nihil omnino libertatem lædere, ex infra dicendis ſequenti diſputatione judicaveris.

CONCLUSIO.

Eſt in homine etiam poſt Adæ peccatum libertas arbitrii, libertas naturæ, liberum arbitrium.

Id primum probatur ex Scripturis quæ libertatem arbitrii, ſeu liberam ad bonum & malum poteſtatem paſſim commendant, Geneſ. 4. Cainum ſic alloquitur Deus: *Quare iratus es, & cur concidit facies? Nonne ſi bene egeris, recipies; ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*. Ubi duo potiſſimum notare eſt quæ liberum arbitrium homini afferunt; primum quidem bonis Caini operibus alligari mercedem, *ſi bene egeris, recipies*, mercedem ſcilicet; malis vero conſequentem pœnam, *ſin autem male, &c.* Quod ſane ſupponit liberam ad utrumlibet poteſtatem; libertas enim eſt principium boni & mali, meriti & demeriti, laudis & vituperii. Secundo & illa verba, *ſub te erit appetitus ejus, &c.* manifeſte libertatem aſtruunt, quaſi nimirum dixiſſet Deus, appetitus ad peccatum provocans erit ſubditus, penes te erit illum moderari vel etiam coercere, *& tu dominaberis illius*, nempe peccati, *quia*, inquit Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis; *non te invitum ſubjacere poterit illius cupiditas*. Unde ſequitur falſo contendere adverſarios per peccatum primi parentis hominibus inductam eſſe agendi neceſſitatem.

Idem vero vel expreſſius docet Moſes Deuteron. 3. ubi populo mandata Dei proponens, ait poſſe unumquemque eligere vitam aut mortem, ea ſervare poſſe vel non ſervare: *Conſidera*, inquit, *quod hodie poſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum ...... Teſtes invoco hodie cœlum & terram quod propoſuerim nobis vitam & bonum, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas & ſemen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus & illi adhæreas*. Siccine vero loqueretur Moſes, ſi per peccatum Adæ ita labefactata fuiſſet hominis libertas, ut rebellante concupiſcentia ad malum neceſſario determinaretur, & ad bonum per victricem gratiam ſimiliter ex neceſſitate traheretur, eſſetne in poteſtate hominis eligere bonum aut malum, vitam aut mortem? quandoquidem cum determinatione ad unum ſtare nequit electio, ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 13. art. 2. *Cum electio*, inquit, *ſit præacceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt quod electio ſit reſpectu plurium quæ eligi poſſunt. Et ideo in his quæ ſunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet*.

Inſignis eſt præ cæteris locus e capite 15. Eccleſiaſtici, ubi ſic legitur: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui, adjecit mandata & præcepta ſua, ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*. Ecce apertiſſime videmus expreſſum liberum

rum humanæ voluntatis arbitrium, inquit S. Auguſt. lib. de Grat. & lib. Arb. c. 2. eſt enim homo maxime liber inter agendum ſuarumque actionum dominus, ſi relictus ſit in manu conſilii ſui; id eſt, pro nutu & arbitrio propria ſequi poſſit conſilia, propria deſideria; ſi prout voluerit, Dei mandata ſervare poſſit vel non ſervare; denique ſi poſſit, ad quod voluerit, ſeu malum ſeu bonum, manum porrigere; hi ſunt enim veri & genuini libertatis arbitrii caracteres, hæc vera & genuina libertatis notio, ut omnes agnoſcunt Philoſophi. Neque eſt quod dicant adverſarii, id nonniſi de primo homine in ſtatu naturæ innocentis conſiderato dictum fuiſſe, ut indicare videntur priora hujus loci verba; ſiquidem ita hominem teſtatur auctor ſacer præditum fuiſſe libero arbitrio, cum primum adeo conditus eſt, ut & in poſteris Adæ veram remanſiſſe libertatem aperte ſignificet his verbis quæ immediate ſequuntur: *Si volueris mandata ſervare, &c. Appoſuit tibi aquam, &c.*

Huc pertinent quæ ibidem leguntur cap. 31. ubi de homine juſto ſic habetur: *Qui potuit transgredi & non eſt transgreſſus, & facere mala & non fecit; ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.* Hic iterum in homine poſt Adæ lapſum ſupponitur eſſe libertas arbitrii, ea nimirum quæ eſt radix & principium meriti.

Eandem doctrinam non uno in loco tradit Apoſtolus, I. ad Corint. cap. 7. ſic habet: *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo ſervare virginem ſuam, bene facit.* Quibus verbis aperte ſignificatur libertas quæ nihil eſt aliud quam poteſtas voluntatis ſine neceſſitate, hoc eſt, par in utramque partem arbitrii poteſtas. Idem docet in ſecunda Epiſtola cap. 9. ubi ſimiliter ſupponit hominem non agere ex neceſſitate: *Unuſquiſque*, inquit, *prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia aut ex neceſſitate.* Et ad Philemonem verſ. 14. *Sine conſilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.* Quibus Scripturæ verbis nihil eſt expreſſius.

Quid quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri & fieri jubet Deus, quomodo jubet ſi non eſt liberum arbitrium? quid beatus ille de quo Pſalmus dicit quod (in lege Domini fuit voluntas ejus) nonne ſatis indicat voluntate ſua hominem in lege Dei conſiſtere? Deinde tam multa mandata quæ ipſam quodam modo nominatim conveniunt voluntatem, ſicut eſt, (Noli vinci a malo.) Et alia ſimilia, ſicut ſunt, (Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.) Et (Noli repellere conſilia matris tuæ,) & (noli eſſe ſapiens apud te ipſum.) & (noli deficere a diſciplina Domini;) & (noli negligere legem) & (Noli abſtinere bene facere egenti.) Et (Noli intendere fallaci mulieri.) Et (Noluit intelligere ut bene ageret.) Et (Noluerunt accipere diſciplinam), & innumerabilia talia in veteribus libris divinorum eloquiorum, quid oſtendunt niſi liberum arbitrium voluntatis humanæ? In libris etiam novis Evangelicis & Apoſtolicis quid aliud oſtenditur, ubi dicitur, Nolite vobis condere theſauros in terra. Et (Nolite timere eos qui occidunt corpus) nempe ubi dicitur, Noli hoc, & Noli illud, & ubi aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium; ita divus Auguſtinus libro de Grat. & lib. arbit. cap. 2.

Conſentiunt autem in id omnes Græci Latinique Patres. Juſtinus martyr in Apologia ad Antonium. *Niſi libero arbitrio*, inquit, *genus humanum & res turpes fugere poteſt & pulchras ac bonas ſe-*

ſequi, extra cauſam culpamque eſt eorum quæ quoquo modo aguntur, ſed ipſum libero arbitrio liberaque voluntate & recte facere & peccare docemus... Neque ille remuneratione aut laude dignus eſſet, ſi per ſe ipſum bonum non eligeret.

Item ſanctus Irenæus lib. 4. cap. 71. *Aliud autem*, inquit, *quod ait, Quoties volui congregare filios tuos & noluiſti, veterem legem libertatis hominis manifeſtavit, quia liberum eum Deus fecit ab initio habentem ſuam poteſtatem, ſicut & ſuam animam ad utendum ſententia Dei voluntarie & non coactum a Deo. Vis enim a Deo non fit, ſed bona ſententia adeſt illi ſemper. Et propter hoc conſilium quidem bonum dat omnibus. Poſuit autem in homine poteſtatem electionis*, quam eligendi poteſtatem, in qua ſitam eſſe arbitrii libertatem Adamo primitus, etiamnum in hominibus ſuperſtitem eſſe putat Irenæus, ſic enim de eadem libertate verba faciens orationem proſequitur. *Dedit ergo Deus bonum, & qui operantur quidem illud, & gloriam & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum, cum poſſint non operari illud. Hi autem qui illud non operantur judicium juſtum recipient Dei, quoniam non ſunt operati bonum, cum poſſint operari illud.*

Tertullianus non minus perſpicue loquitur lib. 2. adverſ. Marc. cap. 5. *Liberum*, inquit, *& ſui arbitrii & ſuæ poteſtatis invenio hominem a Deo inſtitutum... hunc ſtatum ejus confirmavit etiam ipſa lex tunc a Deo poſita; non enim poneretur lex ei qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate; nec rurſus comminatio mortis tranſgreſſioni aſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic & in poſteris legibus Creatoris invenias proponentis ante hominem bonum & malum, vitam & mortem; ſed nec alias totum ordinem diſciplinæ per præcepta diſpoſitum, avocante Deo & minante & exhortante, niſi & ad obſequium & ad contemptum libero & voluntario homine.* Ubi non modo hominem creatum fuiſſe liberum docet Tertullianus, ſed & poſt peccatum in eo remanſiſſe libertatem.

Idem ſcribit Clemens Alexand. lib. 2. Stromat. p. 363. his verbis: *Nos autem qui libera & abſoluta poteſtate eligere & vitare a Domino datum eſſe hominibus, a Scripturis accepimus, judicio quod tranſmoveri & excidere non poteſt, fidei acquieſcamus, alacrem oſtendendo ſpiritum, quoniam vitam elegimus.*

Tum Origenes ejus diſcipulus, Homilia 4. in Cantica: *Per arbitrii libertatem*, inquit, *poſſibile eſt unumquemque ex parte alterius tranſire, vel ad partem Dei, ſi melius ipſo juvante Deo elegerit, vel ſi nequius, ad dæmonum portionem.* Et Homil. 20. in Num. expreſſiſſima ſunt ejus verba; ait enim *ſui arbitrii eſſe animam, & in quam voluerit partem ei eſſe liberum declinare.*

Deinde S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum num. 52. ait: *Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam in Deuteronomio; (Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum, elige vitam tibi ut vivas.) Item apud Eſaiam, (Et ſi volueritis & audieritis me, bona terræ edetis. Si autem nolueritis & non audieritis me, gladius vos conſumet: os enim Domini locutum eſt ita.) Item in Evangelio* κατα *Lucam, (Regnum Dei intra vos eſt.)*

Lactantius lib. 4. Inſt. cap. 24. *Qui dat*, inquit, *præcepta vivendi amputare debet omnium excuſationum vias, ut imponat hominibus parendi neceſſitatem, non vi aliqua, ſed pudore, & tamen libertatem relinquat, ut & præmium ſit conſtitutum parentibus, quia poterant non parere, ſi vellent, & non parentibus pœna, quia poterant parere ſi vellent.*

S. Hilarius in Pſal. 118. ſic loquitur: *Aliis gloriam ſæculi eligentibus, aliis venerationem elementorum ac dæmonum capeſſentibus, aliis terrenas opes expetentibus;*

bus ; Sanctus iſte mandata Dei elegit . Elegit autem non naturali neceſſitate, ſed voluntate pietatis, quia unicuique ad id quod vult, via eſt propoſita, vivendi & appetendi atque agendi permiſſa libertas: & ob id uniuſcujuſque aut pœna aut præmiis afficietur electio.

Tum S. Athanaſius Oratione contra Idola prope initium; ubi explicans quo pacto voluptatibus irretita ſit hominum mens, id potiſſimum tribuit libertati qua pollet. *Nam quum nobilis*, inquit, *agiliſque naturæ ſit, etſi ſeſe a bono averterit, a motu tamen non conquieſcit; movetur igitur, ſed jam non ſecundum veritatem neque Deum ſpectat, ſed res nihili, eaſque veras ac ſolidas arbitrata eſſentias vires ſuas occupat, iiſque ad eas quas commenta eſt voluptates abutitur, ideo quod libera ſit & ſui arbitrii; poteſt enim ut ad bona ſe inclinare, ita bona quoque averſari.*

Idipſum plane docent SS. Baſilius, Gregorius Nyſſenus, Nazianzenus & Chryſoſtomus. Baſilius quidem Homil. *Quod Deus non eſt auctor mali*, ſic habet pag. 362. *Principium namque ac radix peccati ea eſt quæ nobis poteſtas eſt, & arbitrii libertas.* Et pag. 368. loquens de anima hominis, *Unde autem*, inquit, *omnino mali capax eſt? quoniam libero facta eſt arbitrio, quod creaturæ rationis participi maxime conveniebat. Soluta enim hæc omni neceſſitate & vitam in ſua poteſtate conſtitutam ex Deo accipiens, propterea quod ad imaginem ejus creata eſt, bonum quidem intelligit, & jucunditatem illius novit, poteſtatemque habet ac facultatem in boni contemplatione & ſpiritualium fruitione manendi, ac vitam ſibi connaturalem conſervandi, habet autem & a bono deflectendi quandoque facultatem.*

Gregorius vero Nyſſenus Orat. Catecheſ. cap. 31. *Sed neque ad hæc*, inquit, *litigioſa egent contradictione. Dicunt enim Deum poſſe, ſi velit, eos etiam qui reſiſtunt, neceſſario compellendo attrahere ad ſuſcipiendam prædicationem. Ubi eſt ergo in his liberum arbitrium? Ubi autem eſt virtus? Ubi eſt laus eorum qui ſe recte gerunt? Eſt enim ſolum inanimatorum aut eorum quæ ſunt expertia rationis aliena voluntate ad id quod videtur adduci. Rationis autem particeps & intelligens natura ſi liberum depoſuerit arbitrium, ſimul etiam perdit gratiam intelligentiæ: ad quid enim ſua utetur mente ac cogitatione, ſi poteſtas ejus eligendi quod ſuo arbitratu conſtituit, ſita eſt in alio? Si manet autem inefficax & nullius uſus liberum animi inſtitutum & electio, neceſſario etiam abolita eſt virtus impedita immobilitate liberi arbitrii.*

Tum Nazianzenus Orat. 31. pag. 508. *Alii*, inquit, *naturæ indole ad virtutem tendunt, naturam porro cum dico liberam voluntatem haud quaquam ſperno, ſed utrumque ſtatuo, nimirum & naturæ ad bonum facilitatem atque aptitudinem, & animi voluntatem naturalem aptitudinem ad bonum ducentem.* Et paulo poſt: *Non docuit te mater quid officii eſſet, non docuit te pater, non Presbyter, non Epiſcopus non alius quiſpiam ex iis quibus docendi cura commiſſa eſt? At tu rationem tibi inſitam movens, ac virtutis igniculum per arbitrii libertatem exſuſcitans, teipſum exercuiſti, radicem excidiſti, vitii inſtrumenta depuliſti, &c.*

Et Chryſoſtomus Homil. 22. in Geneſim. *Nonne manifeſtum eſt*, inquit, *ſua quemque voluntate vel virtutem vel malitiam eligere? Nec niſi ita eſſet, & naturæ noſtræ poteſtas* eligendi *inſita eſſet, neque illos puniri, neque iſtos virtutum retributiones accipere oportebat. Verum quia in noſtra voluntate totum poſt gratiam Dei relictum eſt, ideo peccantibus ſupplicia propoſita ſunt, & bene operantibus retributiones.* Quod idem docet Sermone in illud Iſaiæ: *Si volueritis & audieritis me*, &c. *ſi velle aut nolle noſtrum non eſſet, hoc eſt, ſi vivendi recte, an ſecus libertas adempta nobis fuiſſet, nec bonus unquam cœleſte munus di-*

gne perciperet, nec malus ſupplicium competens inveniret.

Simillimum eſt quod ſub idem tempus ſcripſerunt clariſſimi Eccleſiæ Latinæ Doctores, Ambroſius, Hieronymus & Auguſtinus.

Ambroſius quidem lib. 1. de Jacob & vita beata cap. 1. *Non enim*, inquit, *ſervili ad obediendum conſtringimur neceſſitate, ſed voluntate arbitra, ſive ad virtutem propendemus, ſive ad culpam inclinamur. Et ideo nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas revocat rationem ſecuta.* Et lib. 4. de interpellatione David cap. 2. *Deus*, inquit, *volentes curat, non aſtringit invitos.* Lib. 6. Hexaemeron cap. 8. *Non ergo caro*, inquit, *poteſt eſſe ad imaginem Dei, ſed anima noſtra quæ libera eſt & diffuſis cogitationibus atque conſiliis huc atque illuc vagatur, quæ conſiderando ſpectat omnia.*

Et S. Hieronymus Dialogo 3. contra Pelagianos. *Hoc eſt*, inquit Orthodoxus, *quod tibi in principio dixeram in noſtra eſſe poſitum poteſtate vel peccare vel non peccare, & vel ad bonum vel ad malum extendere manum, ut liberum ſervetur arbitrium.* Lib. 2. adverſ. Jovinianum cap. 2. *Liberi arbitrii*, inquit, *nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin ubi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt.* Et Epiſt. 146. aperte docet homines a Deo accepiſſe veram arbitrii libertatem: *Dedit eis*, inquit, *liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & ut viveret unuſquiſque non ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo, id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate; ut virtus haberet locum, ut a cæteris animantibus diſtaremus, dum ad exemplum Dei permiſſum eſt nobis facere quod velimus.*

Ac demum S. Auguſtinus infinitis propemodum in locis, id potiſſimum habet in tribus libris *de libero arbitrio* inſcriptis, ubi fuſe adverſus Manichæos probat ineſſe homini libertatem ad bonum & ad malum, ſic v. g. loquitur lib. 2. c. 1. *Si homo aliquod bonum eſt, & non poſſet niſi cum vellet recte facere, debuit habere liberam voluntatem ſine qua recte facere non poſſet... Nunc vero Deus cum peccantem punit, quid videtur tibi aliud dicere niſi, Cur non ad eam rem uſus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi, hoc eſt, ad recte faciendum? Deinde illud bonum quo commendatur ipſa juſtitia in damnandis peccatis recteque factis honorandis quomodo eſſet, ſi homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum eſſet, aut recte factum quod non fieret voluntate. Ac per hoc & pœna injuſta eſſet & præmium, ſi homo voluntatem non haberet liberam.* Et lib. 3. c. 18. *Reminiſcere ſuperiorum quæ a nobis tam multa de peccato & voluntate libera dicta ſunt. Sed ſi laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breviſſimum tene. Quæcunque iſta eſt cauſa voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur: Si autem poteſt, non ei cedatur & non peccabitur, an forte fallit incautum? ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt, quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt?* Idem docet lib. 2. contra Fauſtum cap. 5. *Et nos*, inquit, *ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur propter juſtum judicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* Hic ea aſtruitur libertas quæ eſt ab omni neceſſitate immunis.

Neque ab illis fundatiſſimis principiis vel latum unguem diſceſſit unquam Auguſtinus, cum in decurſu temporis Pelagianos impugnavit; nam lib. de Natura & Grat. cap. 65. his relatis divi Hieronymi verbis quæ ſupra citavimus ex lib. 2. contra Jovin. *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur, alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt.* Statim ſubjungit,

git, *Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat, quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam? ſed in recte faciendo ideo nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia libertas eſt charitatis.*

Libro de ſpiritu & littera cap. 34. conatur Auguſtinus explicare quo pacto conciliari poſſit libertas cum gratia victrici; ſed ſupponit ſemper intactum remanere ejuſmodi liberum arbitrium quod cum crearemur accepimus, & cujus natura in eo ſita ſit quod voluntas humana gratiæ conſentire vel diſſentire poſſit; nuſpiam vero affirmat hominem per peccatum Adæ hanc ſuam amiſiſſe libertatem, qua reſponſione difficultatis propoſitæ nodum facile reſecuiſſet. *Si autem*, inquit, *reſpondetur cavendum eſſe ne quiſquam Deo tribuendum putet peccatum quod admittitur per liberum arbitrium, ſi in eo quod dicitur, Quid habes quod non accepiſti? Propterea etiam voluntas qua credimus dono Dei tribuitur, quia de libero exiſtit arbitrio quod cum crearemur accepimus. Attendat & videat, non tantum iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt quod nobis naturaliter concreatum eſt; verum etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus & ut credamus, ſive extrinſecus per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt; ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat; ſive intrinſecus, ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.* In qua profecto ancipiti ad conſentiendum vel diſſentiendum poteſtate ſita eſt libertas humana. Quocirca librum de Grat. & lib. Arbitr. dedita opera exaravit S. Doctor adverſus nonnullos, qui ſic gratiam Dei defendebant, ut liberum arbitrium negarent; quemadmodum ipſe monet initio libri his verbis: *Quoniam ſunt quidam qui ſic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari exiſtiment liberum arbitrium, hinc aliquid ſcribere ad veſtram charitatem curavi.*

Quibus accedunt quæ paſſim ſcribit accuſatus a Pelagianis, quod admiſſa gratia negare videretur liberum arbitrium; ſic enim fidem ſuam ſuper ea vindicat, ut aperte declaret hoc ſuo gratiæ ſyſtemate nequaquam labefactari libertatem, lib. 2. de nuptiis & concup. c. 3. ubi cum hæc Juliani verba ſibi propoſuiſſet: *Nam ſi quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit, Cæleſtianus & Pelagianus vocatur.* Sic reſpondet: *Liberum*, inquit, *in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium conditorem utrique dicimus, non hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani; liberum autem quemquam ad agendum bonum ſine adjutorio Dei, &c.*

Eodem plane modo loquitur lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 2. *Quis noſtrum dicat*, inquit, *quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino (Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis,) utique liberi ad bene juſteque vivendum. Nam liberum arbitrium uſque adeo in peccatore non periit, ut per illud non peccent, maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet quod eos libet.* Ubi cum diſtinxiſſet Aug. duplex libertatis genus, nimirum libertatis a peccato & quadam ſervitute peccati, & libertatis arbitrii quæ poteſtas ſit ad agendum libera, hoc ſecundum libertatis genus per peccatum non periiſſe totis viribus demonſtrat.

Atque hæc quidem fuit plane eadem aliorum Patrum doctrina.

S. Cyrillus Alex. lib. 2. in Joan. c. 54.

54. *Liberum hominis arbitrium ad ulterutrum ſecundum animi ſui judicium poteſt proficiſci*.

Auctor libri de vocat. Gent. lib. 1. c. 8. *Neque putandum eſt*, inquit, *hominem quando Spiritu Dei agitur, liberum arbitrium non habere, quod nec tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate ſe dedit*.

S. Fulgentius lib. de Incarn. & Grat. cap. 19. *Ex quo*, inquit, *primus homo naturam ſuam voluntarie vitiavit, atque oppreſſit infirmitas, niſi divinæ gratiæ medicamento præventum in unoquoque homine ſanetur atque adjuvetur liberum indeſinenter arbitrium, eſt quidem liberum, non tamen bonum; eſt liberum non tamen juſtum*.

S. Damaſcenus lib. 2. de fide c. 26. *Hæc igitur*, inquit, *arbitraria ac nobis libera ſunt quæ peræque in utramque partem contingere poſſunt, ut moveri & non moveri, impetum facere vel non facere; appetere quæ minime neceſſaria ſunt & non appetere, mentiri & non mentiri, erogare & non erogare, gaudere in quibus par eſt, aut in quibus minime decet, vel non gaudere, & quæcunque ſunt hujusmodi, in quibus virtutis & vitii munus verſatur: Horum enim libera penes nos eſt poteſtas*.

S. Anſelmus lib. de concordia libertatis cum prædeſt. cap. 1. *Sola voluntas*, inquit, *determinat ibi quod teneat, nec aliquid facit vis neceſſitatis, ubi operatur ſola electio voluntatis;* & in cap. 6. Matth. *In Paulo tamen*, inquit, *videtur cogens voluntas Dei, ſed non eſt, quia licet ſit percuſſus, tamen voluntas erat libera ut reſiſteret ſi vellet*.

Ac denique S. Bernardus qui lib. de lib. Arbit. circa initium ait, *rationem datam eſſe voluntati ut inſtruat illam, non deſtruat. Deſtrueret autem ſi neceſſitatem ei ullam imponeret, quominus libere pro arbitrio ſeſe volveret, ſive in malum conſentiens appetitui aut nequam ſpiritui, ſive ad bonum gratiam ſequens*.

Plura vero ex ſanctis Patribus ad aſſerendum homini liberum arbitrium hic congerere nihil neceſſe eſt, tum quia in re adeo clara, & omnibus & ſingulis obvia inutilis deberet eſſe auctoritas; tum quia ita ſenſiſſe omnes Patres Eccleſiæ Græcæ & Latinæ ultro fatentur ipſi Novatores, quos potiſſimum oppugnamus hac in controverſia; ſic enim de utriſque loquitur Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 2. num. 4. *Nam*, inquit, *quaſi adhuc integer ſtaret homo, ſemper apud Latinos liberi arbitrii nomen extitit. Græcos vero non puduit multo arrogantius uſurpare vocabulum; ſiquidem αὐτεξούσιον dixerunt, ac ſi poteſtas ſui ipſius penes hominem fuiſſet. Quoniam ergo ad vulgus etiam ipſum omnes hoc principio imbuti ſunt, præditum eſſe libero arbitrio hominem, nonnulli autem eorum qui eximii volunt videri, quouſque id extendatur, neſciunt*. Et cap. 3. num. 10. *Ac voluntatem movet Deus, non qualiter multis ſæculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis motioni obtemperare aut refragari*. Ubi vel ipſum libertatis vocabulum refugit Calvinus, tametſi ab omnibus Scriptoribus Eccleſiaſticis uſurpatum fuiſſe agnoſcat.

His porro SS. Patribus conſentaneum eſt quod uno ore tradunt omnes ac ſinguli e Schola Theologi, quorum teſtimonia ſi vel breviter referre animus ſit, infinitum eſſe me oporteat; ſatis erit nonnulla antiquorum placita commemorare, quod diſputatione proxime ſequenti præſtabimus, ubi nempe oſtendemus neminem eorum extitiſſe qui libertatem arbitrii in indifferentia ad agendum & non agendum non collocaverit.

Omitto etiam hic referre nonnullas ſummorum Pontificum & Conciliorum Sanctiones, quibus abunde evincitur exiſtentia liberi arbitrii, quandoquidem, ut mox dicturi ſumus, ſatis habens virium ad demonſtrandum ineſſe homini etiam poſt peccatum Adæ non qualemcunque libertatem, ſed eam cujus natura

tura ſita ſit in indifferentia, & quæ non ſola coactione; ſed vel ſimplici neceſſitate violetur; ubi etiam objectiones quæ in ipſam libertatis exiſtentiam proponi ſolent, abunde, ut ſpero, diluemus.

De Natura & eſſentia libertatis humanæ.

MIſſis quibuſdam de eſſentia libertatis opinionibus, quæſtio eſt duntaxat an libertas arbitrii, quæ nempe ad meritum morale deſideratur, in ſola immunitate a coactione poſita ſit, ita ut liberum idem plane ſit ac voluntarium cui non obſtat ſimplex, ut aiunt, neceſſitas & determinatio, vel utrum ad ejuſmodi libertatem requiratur indifferentia activa ſeu facultas agendi & non agendi, cui noxia cenſeatur quæcunque agendi neceſſitas, quæcunque determinatio ad unum.

Libertas itaque duplex diſtinguitur, alia ſcilicet quæ eſt a coactione, alia vero quæ inſuper eſt ab omni neceſſitate. Libertas a coactione eſt immunitas ab omni violentia, quo ſenſu liber eſt quicunque non eſt coactioni & violentiæ obnoxius, tametſi agat neceſſario; quomodo Pater in divinis liber eſt ad Filium generandum; ejuſmodi liberum idem eſt ac voluntarium. Libertas a neceſſitate eſt immunitas non ſolum a coactione, ſed & ab omni prorſus neceſſitate & determinatione, quo ſenſu liber eſt quicunque nullam inter agendum patitur neceſſitatem, ſeu ad unum determinationem, quomodo quilibet noſtrum ſe in agendo liberum eſſe experitur, quatenus poteſt agere vel non agere, loqui vel non loqui, quæ quidem libertas idem plane eſt in agente libero ac indifferentia ſeu vis activa ſeſe determinandi ad hoc aut illud poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis.

Hujus duplicis neceſſitatis diſtinctione adducta & late probata ex multis Auguſtini locis docet Janſenius lib. 6. de Grat. Salvat. Cap. 6. ſolam neceſſitatem coactionis quæ, inquit, operatur effectum ſuum, etſi nolis, ſeu quantumcunque renitaris, adimere libertatem; eam vero neceſſitatem ſimplicem ſeu voluntariam, qua ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri ſine reniſu voluntatis, nihil quicquam officere libertati: *Doctrina Auguſtini eſt*, inquit, *neceſſitatem illam primam, prout etiam naturam ſic explicatam complectitur (nec aliud eſt reſpectu voluntatis quam quædam vis aut violentia aut coactio, qua operatur id quod poteſt etiam nolente voluntate) capitaliter repugnare libertati, eamque funditus perimere; non autem illam neceſſitatem quæ eſt ſimul voluntaria, qua ſcilicet ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri non repugnante, ſed immutabiliter volente voluntate*. Dixerat cap. 5. voluntarium idem eſſe ac liberum: *Voluntas*, inquit, *ſeu volitio & libera voluntas idem ſunt, ſicut velle & libere velle, & impoſſibile ſit ut velle non ſit liberum*. Quo fit ut idem Janſenius ex una parte profiteatur hominem per peccatum Adæ non amiſiſſe liberum arbitrium, ubique tamen ex altera confidenter pronuntiet hominis voluntatem in hoc præſenti ſtatu naturæ lapſæ neceſſitari ad agendum; nullum actum moraliter bonum fieri niſi neceſſitante gratia, nullum malum niſi neceſſitante concupiſcentia, per peccatum Adæ periiſſe indifferentiam ad faciendum bonum, & inductam male agendi neceſſitatem, cujuſmodi propoſitiones in ejus ſcriptis paſſim reperias, lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 18. *Meminiſſe lectorem velim*, inquit, *nos doctrinam Auguſtini velut certam indubitatamque protuliſſe, qua docebat naturam humanam peccato primi hominis ita violatam eſſe, & arbitrium voluntatis ſub terrenarum rerum cupiditate depreſſum, ut libertas ad faciendum bonum & ad abſtinendum a malo interierit, & loco libertatis peccandi neceſſitas conſecuta ſit*.

Et tom. 3. lib. 7. c. 10. cum dixiſſet conditum primitus fuiſſe hominem cum arbitrio in utramque partem libero & flexibili, ſic de ſtatu naturæ lapſæ dixiſſet: *Ex hac ſpontanea creaturæ rationalis in utramque partem liberrimæ diſcretione, illa æquabilis libertatis indifferentia velut bilancis æquilibrium periit*. Conſuli poſſunt quæ ſcribit tom. 2. lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ, ubi totis viribus probare contendit libertatem indifferentiæ ad faciendum bonum, & ad abſtinendum a peccato periiſſe per peccatum Adæ, & loco illius libertatis inductam eſſe peccandi neceſſitatem.

Addit Janſenius non uno in loco hanc doctrinam, quæ in indifferentia libertatem arbitrii conſtituit, non eſſe Chriſtianam & Auguſtinianam, ſed mere Philoſophicam &, ut ait, Ariſtoteleam; quin potius Pelagianam & hæreſeos Pelagianæ fundamentum. Porro licet iſta quæſtio ad Philoſophos potius quam ad Theologos pertinere videatur, quandoquidem agitur de aſſerenda notione & natura alicujus facultatis nativæ, cujus rei ſibi quiſque conſcius eſſe poteſt, nos tamen veſtigiis ipſius Janſenii inhærentes Theologicam hac de re inſtituemus diſſertationem, & quantum poſcit patiturque materia, oſtendemus ex Scripturis ſacris, ſanctis Patribus, Conciliis & cunctis Doctoribus Scholaſticis eam libertatem, quæ ad meritum morale deſideratur, & quæ in unoquoque hominum eſt principium boni vel mali operis, in indifferentia activa agendi vel non agendi poſitam eſſe; ita ut ad ejuſmodi libertatem meriti non ſufficiat voluntarii: quocirca ſit.

CONCLUSIO.

Libertas quæ ad meritum deſideratur, conſiſtit in indifferentia activa cujuslibet neceſſitatis & ad unum determinationis experte.

Probatur primo ex Scripturis quæ profecto locis ſuperius adductis ad aſſerendam libertatis exiſtentiam, ſic illam commendant, ut ejus naturam in indifferentia ad agendum vel non agendum poſitam eſſe perſpicue ſignificent; ibi enim verbis expreſſiſſimis teſtantur auctores ſacri hominem poſſe bene vel male agere, & ſibi ſubditum habere ſuum appetitum, Geneſ. 4. cap. unumquemque eligere poſſe bonum & malum, vitam & mortem, ut habetur Deuteron. 30. poſſe ad quod voluerint, manum porrigere, & pro nutu & arbitrio Dei mandata ſervare vel tranſgredi, Eccleſiaſtici c. 30. & 31. tum vero hominem ſuæ voluntatis habere poteſtatem, non habere neceſſitatem, ut ait Apoſtolus I. ad Corint. 7. & 2. cap. 9. Quibus & adjunximus innumera earumdem Scripturarum loca, in quibus mandata ſua cuſtodiri jubet Deus quæ hanc noſtram ineſſe homini ancipitem & indifferenter ad utrumlibet arbitrii poteſtatem manifeſte ſupponunt.

Neque minus id colligitur ex adductis Sanctorum Patrum teſtimoniis, qui libertatem ubique prædicant velut liberam & indifferentem agendi & non agendi poteſtatem, quam vel minima & ſimplex neceſſitas evertit. *Ex Juſtino Martyre*, conſtat in libera voluntate homini poſitum eſſe, recte facere & peccare. *Ex S. Irenæo*, homini datam fuiſſe poteſtatem electionis. *Ex Tertulliano*, Deum propoſuiſſe homini bonum & malum, vitam & mortem. *Ex Clemente Alexandrino*, poteſtas eligendi & vitandi a Domino data eſt hominibus. *Ex Origene*, anima hominis eſt ſui arbitrii, & in quam voluerit partem ei eſt liberum declinare. *Ex S. Cypriano*, in arbitrio noſtro poſita eſt libertas credendi vel non credendi, eligendi vitam vel mortem. *Ex Lactantio*, ea ineſt hominibus libertas reſpectu præceptorum Dei, ut iis parere poſſint vel non parere. *Ex S. Hilario*, unicuique ad id quod vult via eſt propoſita vivendi & appetendi

tendi, atque agendi permiſſa libertas. *Ex S. Anaſtaſio*, hoc pacto libera eſt voluntas & ſui arbitrii, quod ut poteſt ad bona ſe inclinare, ita bona quoque adverſari. *Ex S. Baſilio*, habet homo facultatem in boni contemplatione manendi, vel ſi velit, a bono deflectendi. *Ex S. Gregorio Nyſſeno*, eſt in homine liberum arbitrium, hoc eſt, electio ſeu poteſtas eligendi. *Ex S. Chryſoſtomo*, naturæ noſtræ inſita eſt poteſtas eligendi, virtutem vel malitiam quiſque poteſt eligere, *Ex S. Ambroſio*, donamur nos voluntate arbitra, ſive ad virtutem propendemus, ſive ad culpam inclinamur. *Ex S. Hieronymo*, poſitum eſt in noſtra poteſtate vel peccare vel non peccare, vel ad bonum vel ad malum extendere manum. *Ex S. Auguſtino*, ea eſt hominum voluntas quæ reſiſtere poſſit vel cedere; aliter non peccaret, quia nemo peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt; ait inſuper neminem revera habere in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſſe. *Ex Cyrillo Alexandrino*, liberum hominis arbitrium ad alterutrum ſecundum animi ſui judicium poteſt proficiſci. *Ex Damaſceno*, libera penes nos eſt poteſtas, quatenus omnia peræque in utramque partem contingere poſſunt ut mentiri & non mentiri, erogare & non erogare, gaudere & non gaudere. *Ex S. Anſelmo*, libera fuit in Paulo voluntas, quia reſiſtere poterat ſi voluiſſet. Denique *ex S. Bernardo*, ea eſt libertas in homine qua poſſit pro arbitrio vel ſpiritui nequam conſentire, vel divinæ gratiæ motus ſequi. Ex quibus manifeſte colligitur nullum extare inter SS. Patres qui diſerte & expreſſe naturam liberi arbitrii non collocet in virtute electiva boni vel mali, aut ſaltem in facultate ad utrumvis indifferente.

Quibus aperte conſentiunt omnes ac ſinguli Doctores Scholaſtici, quorum proinde verbis & auctoritate ſuam hanc opinionem falſo munivit Iprenſis: vix enim, ut puto, ulla eſt ſententia quæ apud Catholicos majori Theologorum omnium ſuffragio roborata ſit, quam quæ libertatem in indifferentia ad agendum aut non agendum poſitam eſſe decernit.

Agmen ducet Hugo a S. Victore; is lib. 1. de Sacram. part. 5. cap. 21. liberum arbitrium ſic definit: *Sed & ipſa poteſtas & habilitas voluntatis eſt libertas quæ movetur ad utrumque & liberum arbitrium dicitur voluntatis. Voluntarie autem moveri & ferri ſpontaneo appetitu, hoc eſt, libere eligere & libertate judicare, in quo conſtat liberum arbitrium. Et propter hoc facti ſunt* Angeli *liberi arbitrii, ut voluntario appetitu moverentur, ſed ſecundum electionem voluntatis & inclinationem deſiderii, ſed ſine coactione*. Ubi ſtatuit Hugo Victorinus conſiſtere liberum arbitrium in electione ſeu ad utrumlibet poteſtate. Idem docet in Summa ſent. tract. 3. Cap. 8. ubi & cap. 9. ſic habet: *Sciendum eſt quod liberum arbitrium ſolummodo ad futura ſe habet, quia quod in præſenti eſt, non eſt in poteſtate noſtra ut tunc vel ſit vel non ſit; Sed utrum in futuro ita ſe habeat vel non, in poteſtate liberi arbitrii eſt; nec ad omnia futura ſe habet, ſed ad ea tantum quæ poſſunt fieri & non fieri*.

Quibus verbis ad hanc rem noſtram illuſtrius afferri poteſt nihil.

Sequitur Ricardus a S. Victore, qui tractat. 1. de ſtatu interioris hominis cap. 13. non obſcure docet in indifferentia ad agendum aut non agendum poſitam eſſe libertatem. *Arbitrium hominis*, inquit, *non idcirco liberum dicimus, quia promptum habeat bonum vel malum facere, ſed quia liberum habet bono vel malo non conſentire ... Poteſt enim conſentire vel non conſentire aſpirationi divinæ, ſimiliter & ſuggeſtioni diabolicæ. Utrumque quidem ex libertate, neutrum autem oportet ex neceſſitate liber-*

libertatis eſſe, quod ad aliquid volendum cogi non poteſt.

Tum vero Magiſter Sentent. lib. 2. diſt. 25. c. 1. ait liberum arbitrium eſſe *poteſtatem & habilitatem voluntatis & rationis quæ libera eſt ad utrumlibet; quia libere poteſt moveri ad hoc vel ad illud*. Cap. 2. idem ſcribit ac Hugo ſupra citatus, liberum ſcilicet arbitrium ad ſola futura contingentia pertinere; quia id ſolummodo liberum cenſeri debet quod poteſt fieri vel non fieri. Et paulo poſt explicans quo pacto per peccatum homo amiſit liberum arbitr. & adducto hoc S. Auguſtini teſtimonio, *libero arbitrio male utens homo & ſe perdidit & ipſum*, ſic habet: *Ecce liberum arbitrium dicit hominem amiſiſſe, non quia poſt peccatum non habuerit liberum arbitrium, ſed quia libertatem arbitrii perdidit, non quidem omnem, ſed libertatem a miſeria & a peccato. Eſt namque libertas triplex, ſcilicet a neceſſitate, a peccato, a miſeria; a neceſſitate & ante peccatum & poſt æque liberum eſt arbitrium.*

Et Alexander Halenſis 2. p. q. 72. memb. 3. art. 4. *Sicut homini*, inquit, *in primo ſtatu fuit flexibilitas vel vertibilitas ſecundum electionem; ita & in ſtatu culpæ & in ſtatu gratiæ. Sed in quo eſt vertibilitas ſecundum electionem communis, eſt in eo liberum arbitrium commune*. Ubi liberi arbitrii naturam per eligendi poteſtatem explicat; idem docet 1. p. q. 26. memb. 4. art. 3. & 2. p. q. 29. memb. 1. art. 2.

Guillelmus quoque Pariſienſis lib. de Pœnit. cap. 2. *Si vel naturæ intentio*, inquit, *vel vis invincibilis libertatem voluntatis hominum abſtuliſſet, vana eſſet omnium legum inſtitutio, nihil imputandum eſſet homini; cum vel neceſſitate naturæ prohiberetur quominus faceret, aut in vinculum ratione invitus ad faciendum traheretur. Quare nec male nec bene quicquam fieri poſſet ab homine. Supervacui etiam eſſent Magiſtratus & Magiſteria morum*. Ex quibus argumentis ſi quid ſane virium in iis ſit, recte colligitur Guillelmum Pariſ. eam admiſiſſe libertatem, quæ eſt non modo a coactione, ſed & ab omni neceſſitate; nihil enim quicquam imputari poteſt hominibus, ſi neceſſitate ad unum aſtringantur. Unde ſe hac in parte cum omnibus Philoſophis conſentire ibidem affirmat. *Hoc*, inquit, *ex Ethnicorum & mundanorum Philoſophorum, qui de moribus ſcribere attentaverunt teſtimoniis eluceſcere*, qui ſane non aliam liberi arbitrii notionem prædicant quam quæ ſita ſit in indifferentia cujuſcunque neceſſitatis experte, quam idcirco Philoſophicam & Ariſtoteleam vocat Janſenius.

Favet & alter Guilielmus qui Altiſſiodorenſis fuit, nam lib. 2. Summæ Tract. 11. q. 1. docet hominem poſſe pro libero arbitrio bene vel male agere, indeque hanc mereri laudem Eccleſiaſtici; *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit: ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*; & quæſtione ſecunda definit lib. arbitr. *Potentiam eligendi ſeu conſentiendi in alterum deliberatorum vel conſiliatorum*. Hoc eſt, in eam partem de qua præceſſit conſultatio & deliberatio, quæ profecto locum non habent in iis quæ neceſſario eveniunt.

Omnium vero diſertiſſime S. Thomas, qui paſſim docet propriam libertatis notionem, eſſe facultatem ad plura indifferentem, qua voluntas eligere poſſit unum præ alio, agere vel non agere, velle vel non velle. 1. p. q. 19. art. 10. affirmat *liberum arbitrium haberi reſpectu eorum quæ non neceſſario volumus vel naturali inſtinctu*. Unde infert Deum eſſe tantummodo liberum reſpectu eorum quæ non ex neceſſitate vult. Qu. 83. art. 3. in corp. *Proprium*, inquit, *liberi arbitrii eſt electio: ex hoc enim liberi arbitrii eſſe dicimur, quod poſſumus unum recipere alio recuſato, quod eſt eligere; & ideo naturam liberi arbitrii*

ex

ex electione conſiderare oportet. Quibus ſubjungi poſſunt quæ de electione diſſerit 1. 2. q. art. 2. in corp. *Cum electio*, inquit, *ſit præacceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt quod electio ſit reſpectu plurium quæ eligi poſſunt; & ideo in his quæ ſunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet*. Qu. 2. de Potentia art. 3. *Voluntas*, inquit, *in quantum voluntas cum ſit libera, ad utrumlibet ſe habet. Poteſt enim voluntas agere vel non agere, ſic vel ſic facere, velle & non velle*. In 2. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 2. *Ad libertatem arbitrii pertinet ut actionem aliquam facere vel non facere poſſit, & hoc Deo convenit; bona enim quæ facit poteſt non facere*. Sic vero in electione & indifferentia certo poſitum eſſe liberum arbitrium cenſuit S. Doctor, ut contrariam ſententiam diſerte pronuntiet hæreticam, quæſt. 6. de Malo, ubi propoſita quæſtione, *utrum homo habeat liberam electionem ſuorum actuum, aut ex neceſſitate eligat*, reſpondet in corpore art. quoſdam exiſtimaſſe *voluntatem hominis ex neceſſitate moveri ad aliquid eligendum, ita tamen ut non cogatur*, quæ mera eſt adverſariorum doctrina: *Hæc autem opinio*, inquit S. Thomas, *eſt hæretica, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe demeritorium vel meritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, ut vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolum contrariatur fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralis. Si enim non ſit aliquid liberum in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, & laus & vituperium*. Quæ cum ita ſint, quo tandem pacto D. Thomæ auctoritatem in ſuæ cauſæ ſubſidium adſciſcere poſſint adverſarii, plane non video.

Videri poteſt & ſubtilis Scotus, qui in 1. diſt. 39. q. unica affirmat voluntatem libere operantem; *conſideratam in illo inſtanti in quo eſt prior naturaliter actu ſecundo, ita ponere illum actum in eſſe tanquam effectum ſuum contingenter, quod ut prior naturaliter, poſſet æque ponere aliud oppoſitum in eſſe*. Et in 2. diſt. 25. q. unica fuſe probat hominis voluntatem de ſe indifferentem eſſe ad oppoſita; ita ut cum ſe determinat ad unum, poſſit ſemper ſe determinare ad aliud, quod idem ſcribit diſt. 37. q. 2. & in 3. diſt. 18. q. unica.

Tum S. Bonaventura qui in 1. diſt. 38. art. 2. q. 1. liberum arbitrium cum neceſſitate ſtare non poſſe ſignificat his verbis: *Quidam dixerunt quod præſcientia neceſſario cum ſit infallibilis, imponit neceſſitatem, & ideo abſtulerunt liberum arbitrium*. Et in 2. diſt. 41. art. 2. q. 1. affirmat neminem vel venialiter peccare, niſi cenſeatur poſſe peccare vel non peccare: *Nemo*, inquit, *etiam venialiter peccat in eo quod nullo modo poteſt prohibere, nec etiam potuit præcavere*. Et ad 4. *Ex hoc patet quod ſi venialia rationem culpæ habent; hoc eſt, quia a voluntate in particulari & diviſim vitari & præcaveri poſſunt*.

Quibus profecto cæteri facile conſentiunt antiquiores Theologi, quorum loca indicare ſat erit, ne in immenſum creſcat hæc diſſertatio; conſuli poſſunt præter citatos, *Paludanus* in 3. diſt. 18. art. 3. *Durandus* in 2. diſt. 24. p. 1. q. 2. *Ochamus* in 1. diſt. 38. q. unica. *Gregorius Ariminenſis* in 1. diſt. 10. q. unica art. 2. *Ricardus de Media-Villa* diſt. 38. lib. 2. Sent. art. 2. q. 1. in corp. & ad 2. *Thomas de Argentina* diſt. 25. art. 1. in ſolutione quarti argumenti & art. 2. *Dionyſius Carthuſianus* in 2. diſt. 25. q. 2. & in Summa lib. 2. art. 4. *Marſilius* in 2. q. 16. art. 2. 3. 4. & 6. *Gabriel* in 2. diſt. 25. q. unica, art. 1. & in 1. diſt. 10. q. 2. art. 3. *Joannes Gerſon* p. 3. lib. 2. de Conſol. Philoſ. *Major* in 2. diſt. 25. *Almainus* Tract. 1. moral. c. 1. *Petrus de Alliaco* in 1.

q. 11.

q. 11. art. 1. *Adrianus* Papa quodlib. 7. q. 1. & quodl. 3. q. 1. *Capreolus* in 1. diſt. 1. q. 3. art. 1. *Abulenſis* in cap. 22. Matth. q. 229. & *Cajetanus* 1. p. q. 41. art. 2. & q. 22. art. 4.

His adjungimus nonnullos recentiores qui idipſum in Luthero ejuſque ſectariis reprehenderunt, quod liberum hominis negarent arbitrium; quatenus nimirum eſt poteſtas eligendi ab omni neceſſitate & ad unum determinatione immunis; certum eſt enim, ut mox dicemus, Lutheranos & Calviniſtas ultro faſſos fuiſſe hominem poſt Adæ culpam ab omni coactione liberum; id videre eſt apud Ruardum Tapperum, art. 2. contra Lutherum: Roffenſem art. 36. contra eundem Luther. Driedonem lib. de redempt. Tract. 5. cap. 3. Pighium lib. 7. & 8. de lib. arbitr. Didacum Stunicam Salmanticenſem Theologum lib. 2. de vera Religione cap. 4. Thomam Stapletonem Duacenum lib. 4. de grat. & lib. arb. cap. 3. Cochleum duobus libris de lib. arbitr. contra Melanchthonem: Latomum adverſus Eraſmum de merito p. 1. 175. Eckmium in Enchiridio locorum communium loco 31. & alios ejuſmodi, qui cum ſcriberent de libero arbitrio detecta tunc temporis æquivocatione *coactionis* & *neceſſitatis* juxta communem & receptiſſimam notionem, liberum arbitrium pro indifferentia agendi & non agendi acceptum defendebant.

Atque quod huic noſtræ ſententiæ majorem longe conciliat auctoritatem, eadem plane fuit doctrina Theologorum qui tum præſentes interfuere Synodo Tridentinæ, cum de libero arbitrio edita ſunt decreta; ex illorum operibus nonnulla idcirco exſcribemus teſtimonia.

Primo quidem erit Dominicus Soto e Dominicanorum familia nobilis Theologus, qui lib. 1. de nat. & grat. c. 15. de libero arbitrio ſic differit: *Neminem coactum Deus aut neceſſitate ad ſe trahit, ſed in noſtra eſt poteſtate gratiam ejus reſpuere, uti S. Trid. Syn. Seſſ. 6. cap. 5. & Can. 4. determinavit.* Hujus rei argumentum ducit ex natura & conditione humana. *Eſt enim*, inquit, *homo ſuapte natura rationale animal: hoc nimirum brutis animantibus præſtans, quod habeat intellectum ratiocinativum in utramque partem, & eadem ratione voluntatem quæ in neutram partem ſit determinata, ſed in alterutram libera.* Et paulo poſt definitionem libertatis affert in hunc modum: *Illa cauſa libera eſt quæ poſitis omnibus ad agendum poteſt agere & non agere, quæ contraria ratio eſt cauſæ naturalis.* Et ſubinde quæſtione ſibi propoſita: *Nunquid Deus potens eſt voluntatem hominis ſeu cogere, ſeu ex neceſſitate movere?* Sic reſpondet: *Facilis eſt reſponſio*, inquit, *cogere enim voluntatem, repugnantiam involvit, &c. neceſſitari tamen voluntatem a Deo, qui auctor eſt naturæ, nihil vetat. Sed tunc auferret illi libertatem in tali actione movendo illam ſeu brutam pecudem, quod tamen nunquam facit lege communi.*

Sequitur Andreas Vega qui Tridentino pariter Concilio interfuit; is l. 2. de Juſtificatione c. 13. illud homini liberum arbitrium aſſerit, *quo utrumvis ex duobus eligimus*, cap. 15. libertatem voluntatis inde colligit, quod facere poſſimus vel non facere: *Enimvero*, inquit, *unicuique potentiæ cognoſcitivæ ſuum Deus accommodavit ejuſdem generis & naturæ appetitum. Cum igitur intellectus noſter natura ſua ratiocinativus ſit in utramque partem, ut ipſi in nobis experimur, erit & qui ſibi reſpondet rationalis appetitus noſter, hoc eſt, voluntas, liber ad utrumlibet, & natura ſua in utramque partem contradictionis indeterminatus.*

Tertio loco recenſemus Ambroſium Catharinum, qui lib. 1. de Prædeſt. cap. ultimo ſic habet; *Scimus ergo*, inquit, *quod liberum arbitrium in hac*

na-

natura corrupta ſibi dimiſſum non poteſt niſi in malum ferri ; id quod ſæpe numero B. Auguſtinus docet . Et ſcimus quod etiam ſtante gratia communi quæ non negatur ulli, niſi quis eam recuſet, poteſt etiam in malum flecti, & ſæpe flectitur. Et in ſecundo libro : *Quare ſecundum hanc Dei providentiam*, inquit, *pendet ſalus eorum a poteſtate lib. arbitr. quæ in non prædeſtinatis poteſt deficere ; quoniam etſi Deus velit omnes ſalvos fieri, non tamen ita vult ut hoc omnino futurum ſit, niſi etiam ipſi velint*. Ubi, cum dicat Catharinus in poteſtate hominis eſſe gratiam Dei pro nutu admittere vel recuſare, docet profecto in ancipiti ad utrumlibet arbitrii poteſtate, quæ ſit ab omni neceſſitate immunis, poſitam eſſe libertatem.

Hanc porro ſententiam plane eandem tradunt & alii viri clariſſimi qui Tridentinæ Synodo interfuerunt : Staniſlaus quidem Hoſius Cardinalis in eodem Concilio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus, libro de ſectis & hæreſibus ſui temporis id tribuit & redarguit in Melancthone, *quod hominibus omnia de neceſſitate abſoluta evenire dixerit*. Tum vero Didacus Covarruvias Epiſcopus Civitatenſis inter Concilii Patres annumeratus, in caput *Alma mater* de ſentent. excom. ait poſitum eſſe in noſtra poteſtate Dei gratiam admittere vel reſpuere, cujus doctrinæ teſtes citat quamplurimos Catholicos auctores, ipſiuſque Tridentinæ Synodi definitionem in Seſſ. 6. c. 5 contentam. Franciſcus Horantius ex Ordine Minorum clariſſimus, qui in Indice Concilii Tridentini inter Procuratores Epiſcoporum abſentium adfuiſſe reperitur pro Epiſcopo Palentino; ſcripſit ille libros de locis Catholicis ſeptem contra Calvinum, ubi liberi arbitrii naturam expreſſe nec ſemel collocat in pari ad utrumlibet poteſtate, quæ non modo coactionem, ſed & omnem agendi neceſſitatem removet. Idem non uno in loco ſcribit Alphonſus Salmeron eximius in Concilio Trident. Theologus, & alii nonnulli quorum ſententia de natura liberi arbitrii meram Patrum Tridentinorum doctrinam exhibet.

Tertio hæc noſtra probatur concluſio auctoritate Conciliorum, quæ cum hæreticos humanæ libertatis everſores proſcripſerunt, non qualemcunque libertatem a ſola coactione & violentia immunem, ſed indifferentem agendi poteſtatem ſuis decretis aſtruxerunt. Id apparet ex Canone nono Concil. Braccarenſis I. adverſus Priſcillianiſtas & judiciarios Aſtrologos qui fato regi omnia delirabant.

Præterea Concil. Conſtantienſe Seſſ. 8. hunc Wiclefi vigeſimum ſeptimum proſcripſit articulum, *omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt*, quo quidem decreto definivit Synodus ineſſe homini libertatem non modo a coactione, ſed & a neceſſitate, ſeu indifferentem arbitrii poteſtatem ; ubi enim non eſt neceſſitas & ad unum determinatio, ibi eſt indifferentia proprie dicta.

Idipſum & longe expreſſius adverſus Lutherum definivit Concilium Senonenſe an. 1528. poſtquam enim dixit in Præfatione Lutherum eo nomine venire in ſuſpicionem Manichæiſmi, quod aperte negat liberum arbitrium, in decretis fidei can. 15. ſic pronuntiat : *Cum reliquerit Deus hominem in manu conſilii ſui, appoſueritque coram eo ignem & aquam, bonum & malum, ut ad quodcunque voluerit porrigat manum ſuam ; nec abs re beatus ille judicetur, qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit, quod ſub eo ſit appetitus ejus & dominetur illius : ac denique percurrenti Scripturam ſacram, paſſim obvium ſit quod liberum utramvis in partem hominis arbitrium aſſeveret : ſatis eſſe viſum eſt ſacro Provinciali Concilio libertatis ejuſmodi vires & metas exponere*. Quid vero tandem eſt liberum in utramvis partem arbitrium, quam indiffe-

rentia, ſeu vis electiva cujuslibet neceſſitatis expers?

Anno 1536. celebrata eſt contra eundem Lutherum Synodus Colonienſis, cujus hæc ſunt verba in Enchiridio doctrinæ chriſtianæ: *Oculus ſolem videre non poteſt, niſi ſolis lumen oculum præveniat, ut videat, tamen ſole lucente, qui ſuper omnes oritur, libera eſt intuitio, hominique liberum eſt oculos claudere ne ſolis lumen admittat, aut aperire ut recipiat. Haud ſecus impio liberum eſt præveniente ſe divinæ illuſtrationis gratia a peccato reſurgendi eam accipere vel non accipere: Deo prævenienti & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitanti dare vel negare conſenſum, velle vel nolle pœnitere.* Quibus verbis eatenus contendunt illi Patres per gratiam Dei non everti liberum hominis arbitrium, quatenus voluntas poteſt illam accipere vel non accipere, eique excitanti conſentire vel non conſentire, quod manifeſte indicat indifferentiam ad agendum aut non agendum.

Porro in eundem ſenſum intelligi debent Canones Conc. Trident. adverſus eoſdem Hæreticos editi, Seſſ. 6. Can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit &c. anathema ſit.* Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum, amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, &c. anathema ſit.* Can. 6. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, &c. anathema ſit.*

Atque in ejuſmodi locis tum SS. Patrum, tum Conciliorum mox adductis nomine liberi arbitrii, quod adverſus hæreticos aſſertum volunt intelligi debere immunitatem a neceſſitate, ſeu indifferentiam, non vero immunitatem ſolum a coactione, inde certo & invicte oſtenditur, quod illi omnes & Philoſophi & Hæretici non eripiebant homini libertatem a coactione, ſed ſolum a neceſſitate; quo fit ut eatenus ab Eccleſia damnati fuerint, quod hanc noſtram indifferentem agendi poteſtatem negarent.

Ac primo quidem citantur inter veteres & infideles & hæretici, qui docuerunt per divinam futurorum præſcientiam everti liberum hominis arbitrium, ut videre eſt apud Tertull. l. 2. contra Marc. apud Euſebium, lib. 6. Præpar. & S. Auguſtinum lib. 5. de Civit. Dei c. 9. Sed illi dubio procul non exiſtimabant ita per præſcientiam divinam tolli liberum arbitrium, ut induceretur coactio & violentia, ſed ſolum agendi neceſſitas: Neque enim putabant homines agere invitos & renitentes, id unum volebant infallibiliter & neceſſario fieri quæcunque a Deo ſemel præſcita ſunt; ſic v. g. loquitur Evodius apud S. Auguſtinum, lib. 3. de lib. Arbitr. c. 2. *Ineffabiliter me movet quomodo fieri poſſit ut & Deus præſcius ſit omnium futurorum, & nos nulla neceſſitate peccemus. Quiſquis enim dixerit aliter evenire poſſe aliquid, quam Deus ante præſcivit, præſcientiam Dei deſtruere inſaniſſima impietate molitur ... Sed hoc dico, neceſſe erat id fieri quod futurum eſſe præſciebat Deus. Quomodo igitur & voluntas libera, ubi tam inevitabilis apparet neceſſitas?* Ubi nulla coactionis & violentiæ, ſed tantum neceſſitatis mentio habetur, ut per ſe patet. Nec mirum cuiquam videri debet; non enim ita deſipiebant illi Philoſophi Gentiles, ut exiſtimarent induci præſcientia divina vim & coactionem voluntati hominum, quaſi agant inviti ac renitentes, ducti a principio externo contra propriam inclinationem: cum enim id unum vellent in hoc ſuo ſyſtemate ſalvare infallibilitatem præſcientiæ divinæ; ſatis erat ſi hominibus impone-

neretur agendi neceſſitas, tametſi per vim non cogerentur id facere quod a Deo præſcitum eſt; id enim infallibiliter præſcit Deus quod neceſſario quamvis non coacte futurum eſt.

Eodem plane modo locuti ſunt quamplurimi Aſtrologi judiciarii qui per ſyderum influxum, fatalem quandam neceſſitatem hominibus imponi credebant, nec illi profecto eo uſque venerunt inſaniæ, ut coactionem & violentiam a ſyderibus illatam dicerent, quaſi homines omnino inviti & reluctantes agant, eaque nolint quæ volunt. Sic enim eorum mentem unus inter cæteros exhibet Euſebius lib. 6. de Præparat. c. 9. *Non ſolum*, inquit, *Gentiles ſtellarum & conjunctione & aſpectu, quæ in terris fiunt, neceſſario accidere credunt, quam vim fatum appellant: verum etiam multi ex fidelibus conturbantur, impoſſibile aliter fieri credentes quam ſtellarum curſus effecerit. Unde ſequitur nullam in nobis eſſe libertatem, nullam operationem noſtram laudari aut vituperari poſſe.* Scilicet affirmabant natos v. g. ſub Jove eſſe ſuperbos, ſub Marte bellicoſos, ſub Venere libidinibus addictos, &c. non quod inviti & nolentes in ejuſmodi vitia prorumperent, ſed quod ingenita propenſione ad ea neceſſario inclinarentur.

Præterea in Manichæos quoque velut everſores liberi arbitrii acriter inſurrexerunt ſcriptores Catholici; tametſi dubio procul illi hæretici non coactionem & violentiam ab extrinſeco humanæ voluntati inductam dicerent, ſed quandam ſolummodo neceſſitatem & ad unum determinationem. Scilicet duas in quovis homine admittebant animas, unam bonam quæ neceſſario in bonum, alteram malam quæ neceſſario in malum ferebantur; ita tamen ut neutra moveretur ab extrinſeco & ad agendum cogeretur; id aperte colligitur ex S. Auguſtino, qui in ejuſmodi hæreticos ſic diſputat lib. de duabus animabus c. 12. *Dicere animas & eſſe malas & nihil peccare plenum eſt dementiæ: dicere autem peccare ſine voluntate, magnum deliramentum eſt, & peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quicquid faciunt, ſi natura, non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero & ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent; ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccatum earum tenere non poſſumus.*

Denique quando Patres Tridentini locis ſuperius adductis, eo damnarunt Lutherum & Calvinum, quod libertatem hominibus adimerent, ignorare non potuerunt Novatores illos negare ſolum libertatem a neceſſitate, ſeu indifferentiam, non autem libertatem a coactione, ut manifeſte liquet ex illorum verbis: ſic enim loquitur Lutherus in lib. de ſervo arbitrio: *Sequitur nos neceſſario operari. Neceſſario vero dico non coacte; neceſſitate immutabilitatis, non coactionis. Hoc eſt, homo cum vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus obtorto collo nolens facit malum, ſed ſponte & libenti voluntate facit. Hoc vocamus modo neceſſitatem immutabilitatis, quod voluntas ſeſe mutare & vertere alio non poſſit.* Quibus poſtea omnes ac ſinguli conſenſerunt Lutherani.

Par vero eademque eſt hac in parte doctrina Calvini lib. 2. cap. 2. num. 7. *Liberi arbitrii*, inquit, *hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem, ſed quia male voluntate agit, non coactione*. Unde tamen Synodus Dordrectana apud Calviniſtas generalis id pronuntiavit p. 706. *Libertas non pugnat cum omni neceſſitate & determinatione, ſed cum determinatione violentiæ & coactionis.*

Ex quibus manifeſte perſpicuum eſt eam ſemper ab Eccleſia rejectam fuiſſe doctrinam, qua negatur ineſſe homini

S 2

mini libertatem arbitrii ſumptam pro indifferentia, ſeu vi electiva quæ ſit non modo a coactione, ſed & ab omni neceſſitate immunis.

Id vero rurſus confirmatur auctoritate ſummorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. qui ſua olim cenſura has Michaelis Baii propoſitiones damnarunt ut hæreticas, erroneas & temerarias; trigeſima nona hæc eſt: *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit. 66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit.* Quam cenſuram eludere quidem conatur Janſenius, cum reſpondet a ſummis Pontificibus idcirco damnatas fuiſſe ejuſmodi propoſitiones, quia his docuiſſe videtur Baius primos & indeliberatos concupiſcentiæ motus qui rationem antevertunt eſſe liberos, quod falſum & erroneum eſſe confitetur. Verum hanc vanam & futilem eſſe Janſenii reſponſionem vel ex eo maxime conſtat, quod eadem cenſura aliæ ſeparatim notatæ & confixæ ſunt Baii propoſitiones, quæ profecto hunc errorem de indeliberatis concupiſcentiæ motibus continent, qualis eſt 50. his concepta terminis, *Prava deſideria quibus vere non conſentit, & quæ homo invitus patitur ſunt prohibita præcepto, Non concupiſces.* Duo autem errores diviſim in diverſis articulis ſeparati pro uno & eodem haberi non poſſunt. Cum inſuper præfatæ illæ propoſitiones damnentur in ſenſu generali quem præ ſe ferunt, absque ulla reſtrictione ad hujuſmodi motus indeliberatos, ſed quatenus univerſim enuntiant ſolam violentiam, non autem neceſſitatem libertati hominis repugnare.

Paulo ante, nimirum anno 1560. hanc eandem adverſariorum doctrinam condemnaverant Majores noſtri in Collegio Sorbonæ congregati; nam inter octodecim ſibi delatas propoſitiones hæc occurrit prima: *Liberum arbitrium hominis non habet potentiam ad oppoſita, nec ei convenit ea poteſtas ex ipſius intrinſeca & naturali ratione.* Quam quidem propoſitionem hac cenſura confixit ſacra Facultas: *Prima pars hujus propoſitionis eſt hæretica, ſecunda falſa & morali Philoſophiæ adverſa.* Secunda vero. *Libertas & neceſſitas eidem conveniunt reſpectu ejuſdem, & ſola violentia repugnat libertati naturali hominis.* Cujus propoſitionis priorem partem declarat hæreticam, poſteriorem vero falſam. Octava propoſitio hæc eſt: *Liberum arbitrium libere vult, quicquid ſponte ſua voluntarie vult; ita ut quod neceſſario vult, idem libere velit.* Cenſura vero, *hujus propoſitionis ſecunda pars implicat contradictionem, & eſt hæretica.*

Quibus adde, nota hæreſeos tandem inuſtam fuiſſe a ſummis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VIII. hanc Janſenii propoſitionem, *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* In illis ſcilicet celeberrimis Conſtitutionibus quas emiſerunt adverſus quinque famoſas propoſitiones Janſenii ex *Auguſtino* excerptas.

Probatur demum ratione, libertatem ſcilicet quæ ad meritum morale deſideratur, poſitam eſſe in indifferentia activa, vi cujus poſitis omnibus ad agendum requiſitis voluntas poſſit agere vel non agere; ad meritum quippe requiritur ea libertas, ſine qua meritum & meriti appendices nec eſſe nec concipi poſſunt: Atqui ſine indifferentia activa meritum & meriti appendices nec eſſe nec concipi poſſunt; nam meritum eſt jus ad præmium & debitum pœnæ, meriti vero appendices ſunt laus & vituperium, merces & ſupplicium: Atqui ſine indifferentia activa non poteſt concipi jus ad præmium & debitum pœnæ; tum vero laus & vituperium, merces & ſupplicium: nemo enim cen-

ſetur

ſetur dignum ſe reddere aliqua mercede aut pœna, niſi quatenus hoc facit quod poteſt non facere, vel non facit quod poteſt facere, hac ſcilicet indifferentia activa, ſeu potentia ad agendum aut non agendum indifferente: quia, ut ait S. Hieron. lib. 2. c. Jovin. c. 2. *Ubi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt*; Ergo eſſentia libertatis moralis conſiſtit in indifferentia activa.

Præterea ſi ad libertatem meriti non requireretur indifferentia activa, & ſufficeret voluntarium perfectum, ubi eſſet voluntarium perfectum ibi eſſet libertas ad meritum ſufficiens: Atqui non eſt libertas ad meritum ſufficiens, ubicunque eſt voluntarium perfectum: ſiquidem generatio Verbi & productio Spiritus ſancti in divinis ſunt operationes voluntariæ, nec tamen ſunt liberæ ea libertate quæ ſit ad meritum ſufficiens: & ſimiliter amor beatificus quo Deum diligunt beati, eſt maxime voluntarius, nec tamen liber ea libertate quæ ad meritum deſideratur; hoc enim ſuo amore non merentur, ut fatentur omnes Theologi; ergo ad libertatem meriti non ſufficit voluntarium perfectum.

Quibus addas velim, ſi per peccatum Adæ periit illa indifferens ad agendum aut non agendum poteſtas, vanas eſſe omnino atque inutiles præceptiones & ad bonum exhortationes: quid enim juvat hominem exhortari ab bene operandum, qui dura neceſſitate compellitur ad malum? certe niſi bene vel male agere poſitum eſſet in noſtra poteſtate, homo nec laudandus foret nec culpandus, *Neque omnino monendus eſſet*, inquit S. Auguſt. lib. 3. de lib. Arbitr. cap. 1. *ut iſtis neglectis vellet æterna adipiſci; neque ut male nollet vivere, vellet autem bene*. Quis vero ſapienter aliquid præceperit non habenti poteſtatem faciendi id quod præcipitur? *Quis non clamet*, inquit idem S. Doctor lib. de fide contra Manich. c. 10. *ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere? & iniquum eſſe damnare eum, cui non fuit poteſtas juſſa complere?* Ergo ſi per peccatum Adæ ea periit in homine indifferentia, qua poſſit agere vel non agere, vanæ ſunt omnino exhortationes, omnia præcepta plane inutilia,

Hæc porro & ſimiles aliæ rationes ubique paſſim reſperſæ ſunt non modo apud SS. Patres, ut videre eſt in locis ſuperius adductis, ſed & maxime familiares ſunt omnibus profanis Auctoribus; nec ullus pene extitit Philoſophus moralis qui non agnoverit eatenus hominem eſſe liberum, adeoque laude vel vituperio, mercede vel ſupplicio dignum, quatenus ſine neceſſitate operatur, idque facit a quo abſtinere poteſt, ut egregie ſcribit S. Auguſtinus lib. de duabus animabus c. 11. his verbis: *Etiamne hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant unde diſcerem, neminem vituperatione ſuppliciove dignum, qui ut id velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non poteſt? Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis & Antiſtites in ſacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum?*

Objicies cum Janſenio: Ex præfatis Scripturæ, SS. Patrum & Conciliorum teſtimoniis colligi non poteſt in indifferentia activa poſitam eſſe libertatem; ſiquidem in iis homo dicitur tantum hypothetice non abſolute poſſe agere vel non agere, conſentire vel diſſentire, ſi nempe velit; quo fit ut inde non ſequatur hominem vere & abſolute loquendo indifferentem eſſe ad agendum aut non agendum, quaſi poſſet, v. g. gratiæ excitanti ad bonum abſolute diſſentire; ſed quia cum velle diſſentire gratiæ, & diſſentire ſunt idem, diſſentire, ſi vellet diſſentire; ideoque recte dicitur poſſe diſſentire, ſi velit, id eſt, ſi diſſentiat.

Id porrò nec aliud quicquam contineri

neri in momentis ſuperius adductis manifeſte liquet ex inſigni loco Eccleſiaſtici, ad cujus ſenſum loquuntur SS. Patres, qui hujus potiſſimum auctoritate nituntur, & ex Canone citato Conc. Tridentini. Ac primo quidem ex cap. 15. Eccleſiaſtici: hæc enim ibi leguntur, *Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te*: quibus verbis, inquit Lutherus lib. de ſervo arbit. liberum arbitrium probari non poteſt propter illam particulam conditionalem quæ efficit ut illud abſolute non affirmetur in propoſitione, quemadmodum in iſta non affirmatur diabolum merito adorari, *ſi diabolus eſt, Deus merito adoratur*. Deinde vero ex Concilio Tridentino, quod quando definit Seſſ. 6. Can. 4. hominem motum & excitatum a Deo poſſe diſſentire, hanc exprimit conditionem, *ſi velit*.

Reſpondeo ab adverſariis perperam adduci hoc effugium, ut eludatur & Scripturæ & Concilii Tridentini auctoritas. Primo quia Scripturæ & Conciliorum verba intelligi debent in ſenſu obvio & maxime uſitato: Atqui ſenſus obvius & uſitatus tum Eccleſiaſtici, tum Concilii Tridentini eſt abſolute loquendo hominem eſſe liberum quatenus eſt indifferens ad agendum aut non agendum, quatenus poteſt conſentire vel diſſentire; per ejusmodi enim propoſitiones conditionatas, *ſi volueris* & *ſi velis* id unum ſignificatur in voluntate hominis poſitum eſſe ſervare mandata vel non ſervare, conſentire gratiæ vel non conſentire, ut eleganter ſcribit Eraſmus in Diatriba de lib. arbir. his verbis: *Eccleſiaſticus dicendo, ſi volueris ſervare, ſignificat eſſe voluntatem homini ad ſervandum & non ſervandum; alioquin quid ſonat dicere ad eum qui libertatem non habet, Si volueris? Nonne ridiculum eſt ſi quis ad cæcum dicat, ſi volueris videre, invenies theſaurum? aut ad ſurdum ſi volueris audire, narrabo tibi bonam hiſtoriam?*

Secundo, quia ſenſus, quem præfatis Scripturæ & Concilii Tridentini teſtimoniis affingunt adverſarii, eſt plane ineptus & frivolus; quid enim opus erat Scripturam nobis revelare, & poſtea Concilium definire, hominem poſſe mandata ſervare, ſi ſervet ea; poſſe diſſentire, ſi diſſentiat? Certe eadem plane ratione dici poſſet lapides videre poſſe, ſi nempe viderent; infantes loqui poſſe, ſi loquerentur; Deum peccare poſſe, ſi peccaret, ſeu ſi vellet; peccaret enim ſi vellet peccare; quas profecto propoſitiones omnino ridiculas eſſe nemo non videt. Scilicet quando propoſitio includit conditionem impoſſibilem, illud abſolute impoſſibile cenſetur quod dicitur eſſe poſſibile ſub tali conditione; unde contra illud abſolute poſſibile cenſetur quod dicitur poſſibile ſub conditione poſſibili; adeoque cum velle diſſentire ſit conditio homini poſſibilis, cum Scriptura & Concilium dicunt hominem poſſe diſſentire gratiæ excitanti *ſi velit*, & ſervare mandata *ſi volueris*, cenſentur abſolute tribuere homini poteſtatem volendi & non volendi, conſentiendi & diſſentiendi. Unde S. Thomas quæſt. 16. de malo art. 5. reſpondens huic argumento, *iſta conſequentia valet, Poſſum currere ſi volo; ergo poſſum currere: ſed diabolus poteſt converti ad bonum, ſi vult; ergo diabolus poteſt converti ad bonum*. Dicit non valere ejuſmodi conſequentiam, niſi quando antecedens eſt poſſibile. Eſt autem impoſſibile diabolum velle converti ad bonum; ideoque dici non debet, poteſt converti.

Quibus adde Scripturam in aliis locis abſolute & ſine ulla conditione appoſita declarare, ab homine ſervari poſſe Dei mandata, Deuteron. cap. 30. ſupra citato, Matth. 11. & I. Joan. 5. tum vero Concilium Trid. ſimiliter pronuntiare abſolute & ſine ulla hypotheſi hominem conſentientem gratiæ excitanti poſſe illam abjicere, non addita nimirum

rum hac conditione *ſi velit*, Seſſ. 6. cap. 5.

Neque profecto audiendus eſt Janſenius, cum ait Concilium Tridentinum his verbis, *poſſe diſſentire & poſſe inſpirationem abjicere*, nequaquam voluiſſe libertatem arbitrii explicare per indifferentiam activam, a qua nimirum voce prudenter abſtinuerit Synodus, cum ſciret controverti apud Philoſophos, utrum indifferentia pertineat ad notionem libertatis; nec alia de cauſa dixiſſe liberum arbitrium poſſe diſſentire, niſi ut refellèret Lutheranos & Calviniſtas affirmantes voluntatem hominis nihil omnino agere, ſed velut inanime quoddam mere paſſive ſe habere, quæ reponſio merum eſt Janſenii effugium; cum enim, ut ſupra a nobis oſtenſum eſt, eo tantum ſenſu voluerint Lutherani & Calviniſtæ hominem ſua deſtitutum eſſe libertate, quod neceſſitetur ad agendum, ſine ulla tamen violentia & coactione. Hinc manifeſte ſequitur Patrum Tridentinorum mentem fuiſſe, ſuam homini aſſerere libertatem, quatenus eſt non modo a coactione, ſed & ab omni neceſſitate vel ſimplici immunis.

Objicit Janſenius in hanc noſtram ſententiam innumera prope S. Auguſtini teſtimonia, ex quibus colligi poſſe putat ſublatam per peccatum Adæ indifferentiam ad bonum & malum.

Et primo quidem opponit lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ c. 3. ea loca in quibus docet S. Doctor arbitrium voluntatis poſt peccatum ex libero factum eſſe peccati ſervum atque captivum; id, inquit, ſexcentis ſuorum ſcriptorum locis Auguſtinus docet lib. 2. de nupt. cap. 3. *Hunc vos*, inquit, *invidetis liberatorem quibus captivis vanam tribuitis libertatem; a quo quis enim devictus eſt, huic ſervus addictus eſt*. Lib. 3. ad Bonif. c. 8. *Liberum arbitrium captivatum nonniſi ad peccatum valet; ad juſtitiam vero niſi divinitus liberatum adjutumque non valet*. Lib. de ſpiritu & littera c. 30. *Ut quid ergo*, inquit, *miſeri homines aut de libero arbitrio audent ſuperbire; antequam liberentur; aut de ſuis viribus, ſi jam liberati ſunt? Nec attendant in ipſo nomine liberi arbitrii utique libertatem ſonare, ibi autem Spiritus Domini, ibi libertas*. Quibus ſimilia leguntur in Enchir. cap. 3. & lib. 1. operis imperf. &c.

Reſpondeo in his & ſimilibus locis loqui S. Auguſtinum de libertate a peccato, non autem de libertate a neceſſitate. Scilicet duplex diſtinguitur libertas, ut initio hujus diſputationis a nobis obſervatum eſt, alia quæ eſt a peccato, alia quæ eſt a neceſſitate; Libertas a peccato opponitur ſubjectioni & captivitati quæ contrahitur per peccatum, de qua loquitur Chriſtus Dominus Joan. 8. *ſi filius vos liberaverit, vere liberi eritis*. Libertas a neceſſitate opponitur neceſſitati & determinationi ad unum. Porro etiamſi homo poſt Adæ peccatum non ſit liber a peccato: ſed immo teneatur captivus ſub peccato & concupiſcentia, cujus motus ſine Dei gratia cohibere nequit; liber eſt tamen ea libertate quæ ſit immunitas a neceſſitate agendi, indifferentia ad malum vitandum, ſi velit; quia ex una parte licet ejuſmodi concupiſcentia hominem veluti captivum undique premat & ſollicitet; ejus tamen moribus beneficio gratiæ Dei reſiſtere poteſt, neque ex altera hujus gratiæ donum libertatis indifferentiæ quicquam præjudicat; quia ut fuſius in Tractatu noſtro de Gratia explicuimus, gratia Dei efficax voluntatem humanam movet quidem inſuperabiliter, ſed illæſa libertate.

Jam vero nonniſi de libertate a peccato verba facere S. Auguſtinum, cum toties repetit arbitrium voluntatis poſt peccatum ex libero factum eſſe ſervum & captivum, ex iiſdem locis manifeſte liquet; loquitur enim de peccato, cum ait l. 2. de nuptiis mox citato, *A quo quis devi-*

devictus eſt, *huic ſervus addictus eſt*. Id aperte ſignificant hæc verba liberum arbitrium *captivatum*, per gratiam Dei *liberatum*, & quæ paſſim leguntur in locis objectis a Janſenio. De illa libertate a peccato loquitur Aug. Epiſt. 157. his verbis: *Hæc voluntas libera tanto erit liberior quanto ſanior: tanto autem ſanior, quanto divinæ miſericordiæ gratiæque ſubjectior*. Epiſt. 217. cap. 3. *Si vere volumus*; inquit, *defendere liberum arbitrium*, *non oppugnemus unde fit liberum*. *Num qui oppugnat gratiam qua noſtrum ad declinandum a malo & faciendum bonum*, *liberatur arbitrium*, *ipſe arbitrium ſuum adhuc vult eſſe captivum*. Unde Sanctos in altera vita fore perfectiſſime liberos ibidem ait: *Quid ergo operatur hæc poteſtas* diaboli, *in filiis diffidentiæ*, *niſi opera ſua mala & in primis maximeque ipſam diffidentiam & infidelitatem qua ſunt inimici fidei*, *per quam ſcit eos poſſe mandari*, *poſſe ſanari*, *poſſe perfectiſſime liberos*, *quod eis vehementer invidet*, *in æternitate regnare*. Quod ſane intelligi non poteſt niſi de libertate a peccato quæ perfectiſſima erit in Beatis. Quibus adjungi debent ea S. Auguſtini teſtimonia in quibus aliud ubique aſtruit genus libertatis quæ eſt a neceſſitate, & ipſum eſt naturale arbitrium in indifferentia agendi & non agendi poſitum, ut videre eſt in probationibus.

Neque alio ſenſu intelligi debent alia loca S. Auguſtini quæ opponit Janſenius cap. 4. ejuſdem libri, in quibus nimirum legitur ita hominem ſubjectum eſſe dominatui concupiſcentiæ; ita poſt peccatum Adæ ſub poteſtate & tyrannide diaboli poſitum; ut nihil omnino ſuæ libertatis retineat, ſic Epiſt. 157. *Quomodo enim*, voluntas, *libera eſt*, *cui dominatur iniquitas? Ut ei autem non dominetur*, *vide ab illa quis invocetur*. Lib. 6. c. Jul. cap. 23. *Non mihi videbatur Apoſtolus & de ſe ipſo dicere potuiſſe: Ego autem carnalis ſum*, *cum eſſet ſpiritalis*, *& quod captivus duceretur ſub lege peccati quæ in membris erat ejus*. *Ego enim putabam dici iſta non poſſe*, *niſi de iis quos ita haberet carnis concupiſcentia ſubjugatos*, *ut facerent quicquid illa compelleret*. Epiſt. 217. *Reſponde*, inquit, *quomodo ad declinandum a malo & faciendum bonum*, *liberum habebamus arbitrium*, *quando erat ſub poteſtate tenebrarum? Unde nos ſi*, *quemadmodum dicit Apoſtolus*, *Deus eruit*, *ipſe utique liberum fecit*. Quibus ſimilia tradit Serm. 12. de verbis Apoſt. Enchir. c. 106. lib. 2. operis imperf. lib. 3. de lib. arbit. c. 10. in Pſal. 26. & 34. lib. 8. de Civit. Dei cap. 22. &c. Siquidem in illis locis eatenus homo dicitur ſubjectus & captivus, quatenus carnis & diaboli tentationibus turpiter cedit, atque eo magis dicitur liber aut potius liberatus, quod uberiori Dei gratia juvatur ad bene agendum: quod profecto libertatem arbitrii, de qua nunc quæſtio eſt, minime ſonat; hoc enim libertatis genere non eſt homo eo liberior quo plus accipit gratiæ; quandoquidem vix illam cum gratia victrici conciliari poſſe non uno in loco confeſſus eſt ipſe S. Auguſtinus.

Objicit Janſenius cap. 5. quam plurima loca S. Auguſtini, in quibus expreſſe docere videtur arbitrium non eſſe amplius liberum, ut velit aut faciat bonum, ſed libertatem ejus ex ruina periiſſe. Lib. de perfectione juſtitiæ cap. 4. *Victa vitio*, inquit, *in quod cecidit voluntate*, *caruit libertate natura*. Enchiridio cap. 3. *Libero arbitrio male utens homo & ſe perdidit & ipſum*. Lib. de correp. & grat. cap. 12. *Nunc vero*, inquit, *poſtea quam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas*, *etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas*. Epiſt. 217. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Lib. 14. de Civit. Dei, cap. 11. *Arbitrium voluntatis*, inquit, *tunc eſt vere liberum*, *cum vitiis peccatiſque non*

non ſervit. Tale datum eſt a Deo, quod amiſſum proprio vitio, niſi a quo dari potuit, dari non poteſt. Lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Nec mirandum eſt quod vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum, quod recte facit, vel reſiſtente carnali conſuetudine, videat quid recte faciendum ſit, & velit, nec poſſit implere*. Et lib. 2. c. Jul. c. 8. *Hic vultis hominem perfici, atque utinam Dei dono & non libero vel potius ſervo propriæ voluntatis arbitrio*. Ubi vides, inquit Janſenius, nomen *ſervi arbitrii & ſervæ voluntatis* ab Auguſtino libentiſſime uſurpatum ad illam arbitrii ſtragem exprimendam, qua non eſt amplius liberum ut bene vivat.

Reſpondeo in his & aliis ſimilibus locis, quæ innumera prope reperias apud S. Auguſtinum, eo tantum ſenſu per Adæ culpam amiſſum dici liberum hominis arbitrium, quod in ſtatu præſenti naturæ lapſæ non ita plenum, non ita perfectum, non ita expeditum ab impedimentis quæ illam indifferentiam qua prius gaudebat, non parum imminuunt atque labefactant. Scilicet cum in ſtatu naturæ innocentis nulla fuerit concupiſcentia; nulla carnis libido, nulla pugna, ſed pleniſſima pax; fuit homo liberrimus non modo quoad ſubſtantiam, ut aiunt, in quantum erat indifferens ad agendum vel non agendum; ſed etiam quoad accidentalia libertatis privilegia, quatenus nempe facillime poterat quodlibet operari bonum nullis retardatus impedimentis; tum & ab omni malo abſtinere nullo pondere ad vitium impulſus. Unde cum in præſenti ſtatu naturæ lapſæ ab illa libertatis integritate & perfectione deſciverit, in quantum vulnerata eſt per peccatum natura, vires amiſſæ, aucta difficultas; mirum non eſt ſi toties repetat S. Auguſtinus periiſſe liberum hominis arbitrium; ſiquidem revera periit quoad illam integritatem & perfectionem, non vero quoad rem & ſubſtantiam.

Atque hanc ipſam eſſe S. Auguſtini doctrinam, non uno in loco apertiſſime declarat. Sic lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 2. ubi cum accuſaretur a Pelagianis, quaſi dixiſſet per peccatum Adæ periiſſe liberum hominis arbitrium ſic mentem ſuam exponit: *Quis autem noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum; ſed illa quæ in Paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino: ſi vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis, Utique liberi ad bene juſteque vivendum. Nam liberum arbitrium uſque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maxime omnes qui cum delectatione peccant & amore peccati, hoc eis placet quod eos libet*. Unde & Apoſtolus: *Cum eſſetis*, inquit, *ſervi peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Ecce oſtenduntur etiam peccato minime potuiſſe, niſi alia libertate, ſervire. Liberi ergo a juſtitia non ſunt, niſi arbitrio voluntatis: Liberi autem a peccato non fiunt niſi gratia Salvatoris*. Quibus verbis ad profligandum Janſenii ſyſtema nihil expreſſius deſiderari poteſt. 1. enim aperte docet Auguſtinus eam ſolum periiſſe libertatem quæ in Paradiſo fuit, hoc eſt, quæ erat plena, integra, perfecta, & nullis difficultatibus impedita. 2. Libertatem arbitrii expreſſe diſtinguit a libertate a peccato, atque ſolam per peccatum Adæ periiſſe libertatem a peccato; eam vero remanſiſſe in homine qua peccare poſſit vel etiam cum amore & delectatione; at in principiis S. Auguſtini, *nemo peccat in eo quod caveri non poteſt*. Unde ſequitur hominem etiamnum ea inſtructum eſſe libertate, qua peccare poſſit vel non peccare; & ideo quæ poſita ſit in indifferentia ad agendum aut non agendum, *Hoc eis placet*, inquit, *quod eos libet*.

Similia docet lib. de nat. & grat. cap. 43.

cap. 43. *Quis enim*, inquit, *eum neſcit ſanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad juſte vivendum poteſtate libera conſtitutum? Sed nunc de illo agitur quem ſemivivum latrones in via reliquerunt, qui gravibus ſaucius confoſſuſque vulneribus, non ita poteſt ad juſtitiæ culmen aſcendere ſicut potuit inde deſcendere*. Ubi ſtatum naturæ innocentis cum ſtatu naturæ lapſæ conferens, ait in iſto hominem non *ita* poſſe bene agere, quaſi dixiſſet eum non ita facile atque expedite, utpote ſaucium confoſſumque vulneribus, poſſe juſtitiam ſibi comparare.

Tum vero lib. de corrept. & grat. cap. 13. ubi loquens de hominibus in hoc præſenti ſtatu ſpectatis, ſic habet: *Per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt, arbitrium, inquam, liberum, ſed non liberatum; liberum juſtitiæ, peccati autem ſervum, quo volvuntur per diverſas noxias cupiditates, alii magis, alii minus, ſed omnes mali, & pro ipſa diverſitate diverſis ſuppliciis judicandi. Aut gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, nec perſeverant, deſerunt & deſeruntur. Dimiſſi enim ſunt libero arbitrio non accepto perſeverantiæ dono*. Ubi liberum & liberatum diſtinguens, ait arbitrium nunc eſſe liberum, tametſi non ſit liberatum; ita ut homines per illud liberum arbitrium magis aut minus mali ſint pro illa nempe indifferenti poteſtate, a quo unum vel aliud facere poſſunt.

Objicit inſuper Janſenius cap. 6 ejuſdem libri in doctrina S. Auguſtini quadruplicem eſſe humani generis ſtatum, ante legem, ſub lege, ſub gratia & in pace; & in duobus primis non eſſe libertatem ad reſiſtendum concupiſcentiæ & bonum faciendum, ſic lib. 83. quæſt. 66. *Prima eſt actio ante legem, ſecunda ſub lege, tertia ſub gratia, quarta in pace. Ante legem actio eſt, cum peccatum ignoramus & ſequimur carnales concupiſcentias. Sub lege eſt actio, cum jam prohibemur a peccato, & tamen conſuetudine ejus victi peccamus, quoniam nos nondum adjuvat fides. Tertia actio eſt, quando jam pleniſſime credimus liberatori noſtro, nec meritis noſtris aliquid tribuimus, ſed ejus miſericordiam diligendo, jam non vincimur delectatione conſuetudinis malæ, &c.* Quod idem in fine quæſtionis brevius colligit his verbis: *In prima ergo actione quæ eſt ante legem, nulla pugna eſt cum voluptatibus hujus ſæculi; in ſecunda quæ ſub lege eſt, pugnamus, ſed vincimur; in tertia pugnamus & vincimus; in quarta non pugnamus, ſed perfecta & æterna pace requieſcimus*. Similia tradit in Enchiridio cap. 118. in expoſitione quarumdam propoſitionum ex Epiſt. ad Romanos. Lib. 6. c. Jul. cap. 23. lib. 1. ad Bonif. c. 8. & lib. 1. ad Simpl. q. 1. in quibus locis aperte docet ante legem & ſub lege, quo ſcilicet tempore nondum eſt homo per gratiam a concupiſcentiarum ſuarum dominatione liberatus, nullo modo voluntatem eſſe liberam, ut operetur bonum, ſed ſub concupiſcentiæ lege eſſe captivam.

Reſpondeo in hujuſmodi locis id unum docere Auguſtinum ante legem & ſub lege, hoc eſt, ante incarnationem Verbi ſub concupiſcentiæ ſervitute magis captivum fuiſſe hominem, quam in hoc gratiæ ſtatu quatenus minor tunc temporis affluebat divinorum auxiliorum copia; unde minus reſiſtebatur concupiſcentiæ; quæ proinde voluntates hominum fortius ad malum propellebat; ſed iſta demum eo ſenſu intelligi non debent, quod omnino hæc perierit libertas qua potuerint homines bene vel male agere; is quippe docet paſſim, ut diximus, neminem peccare in eo quod vitare non poteſt: *Quis enim*, inquit lib. 3. de lib. arbit. c. 18. *peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt?... Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras: ſed quod negligis quærere quod ignoras. Neque illud quod vulnerata membra non colligis,*

ſed

ſed quod volentem ſanare contemnis. Noverat autem S. Doctor peccaſſe plerumque homines & peccata ipſis imputata fuiſſe ante legem Evangelicam.

Neque plus virium habet quod in eundem finem capite ſequenti proponit Janſenius, argumentum eruens ex natura gratiæ liberatricis, ipſaque definitione liberi: Scilicet, inquit, juxta doctrinam Apoſtoli Rom. 8. hæc dicentis: *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati & mortis*. Creberrime occurrit apud Auguſtinum, gratiam liberantem eſſe hoc ipſum, quod confert arbitrio libertatem ad bonum, & conſequenter fieri nullo modo poteſt, ut arbitrium in bono liberum ſit, antequam per gratiam liberetur, ſic lib. 1. ad Bonif. cap. 3. *Nec liberum in bono erit quod liberator non liberaverit*. Lib. 4. cap. 3. *Non poteſt captiva voluntas niſi Dei gratia reſpirare in ſalubrem libertatem*. In Enchir. cap. 106. *Ipſum liberum arbitrium liberandum eſt a ſervitute, cui dominatur cum morte peccatum, nec omnino per ſe ipſum, ſed per ſolam Dei gratiam quæ in fide Chriſti poſita eſt, liberatur*. Lib. de ſpiritu & littera cap. 30. *Ut quid ergo miſeri homines aut de libero arbitrio audent ſuperbire, antequam liberentur, aut de ſuis viribus ſi jam liberati ſunt? nec attendunt in ipſo nomine liberi arbitrii utique libertatem ſonare, Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas*. Siquidem huic objectioni facile reſpondetur, id unum his locis docuiſſe S. Auguſtinum ſe ſolo libero arbitrio non poſſe quicquam boni agere propter inordinatos concupiſcentiæ motus quæ ipſum ad malum fortiter impellit; quo fit ut gratiæ liberatricis dono indigeat; quanquam aliunde eam libertatem arbitrii, de qua nunc ſermo eſt, etiamnum retineat, qua nempe poſita ejuſmodi concupiſcentia quæ ad peccandum propellit & data Dei gratia quæ ad bonum voluntatem flectit, poſſit agere vel non agere: in quem certe ſenſum accipi debere Auguſtinum abunde intelligitur ex ipſis locis quæ objiciuntur a Janſenio.

Inſtabis: Liberum arbitrium non eſſe in indifferentia agendi & non agendi poſitum, abunde oſtendit conflictus Juliani cum Auguſtino de hac ipſa difficultate; ille enim cum cæteris Pelagianis docuit in hoc ſitam eſſe arbitrii libertatem, ut in utramque partem contrarietatis bonum videlicet ac malum, ſe poſſet arbitrium indifferenter flectere, quod certe mordicus negat S. Auguſtinus; ergo.

Nego ant. In eo enim poſitus non fuit conflictus Juliani cum Auguſtino, quod Julianus admitteret libertatem in indifferentia poſitam, id vero negaret Auguſtinus; ſed in eo quod ille doceret per ſe ſine gratiæ adjutorio ſufficere liberum arbitrium, contra vero S. Doctor, ut manifeſtum eſt ex innumeris ejuſdem locis, ſic enim v. g. ſtatum quæſtionis aperit libro de gratia Chriſti cap. 47. *Si conſenſerit Pelagius*, inquit, *etiam ipſam voluntatem & actionem divinitus adjuvari & ſic adjuvari, ut ſine ullo adjutorio nihil bene velimus & agamus, &c. nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controverſiæ relinquetur*. Et cap. 29. relatis Pelagii verbis, quibus ajebat ſolum neceſſariam eſſe gratiam ad facilius operandum, excipit Auguſtinus, *Tolle facilius, & non ſolum plenus, verum etiam ſanus eſt ſenſus*.

Id inſuper evincitur ex eo quod non uno in loco affirmat S. Auguſtinus ſe cum Pelagianis conſentire in aſſerendo hominis libero abitrio, id, v. g. profitetur lib. de Nupt. cap. 3. his verbis: *Liberum in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe omnium conditorem utrique dicimus. Non hinc eſtis Celeſtiani & Pelagiani*. Ubi certe loquitur Auguſtinus de Arbitrio non ſolum prout libero a coactione, ſed & ab omni ne-

ceſſitate abſoluta ; aliter falſo diceret ſe hac in parte cum Pelagianis conſentire.

Objicit poſtea Janſenius ea S. Auguſtini teſtimonia, in quibus docet non ſolum periiſſe libertatem quæ eſt ad faciendum bonum, ſed etiam quæ eſt ad abſtinendum a malo. Scilicet, inquit Janſenius c. 9. cum antea hanc peccati definitionem tradidiſſet: *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*. Lib. nempe de duabus animabus cap. 11. quam definitionem ut Pelagianorum principiis congruentiſſimam laudibus cumulabat Julianus, inferens inde homines non peccare ſine poteſtate abſtinendi a malo, illam definitionem reſtrinxit Auguſtinus ad ſolum Adami peccatum, quia cætera cum quadam peccandi neceſſitate committuntur, lib. 1. operis imperf. cap. 47. ſic habet: *Ipſe eſt Adam quem noſtra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur; cum dicerem, Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, unde & liberum eſt abſtinere. Adam quippe omnino, quando peccavit, nihil in ſe habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum & propter quod diceret, Non quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum hoc ago; ac per hoc id egit peccando, quod juſtitia vetabat, & unde liberum illi fuerat abſtinere*. Et cap. 104. *Iſta definitio peccati ejus eſt quod peccatum tantummodo eſt, non quod etiam pœna peccati, quia periit libertas non peccandi .... multum erras qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt*. Idem docet lib. 1. Retr. cap. 15. ex quibus ſic argumentor: S. Auguſtinus hanc peccati definitionem, *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*, reſtrinxit ad ſolum Adami peccatum; ergo exiſtimabat hominibus in ſtatu naturæ lapſæ non eſſe liberum abſtinendi a peccato.

Diſt. conſ. non eſſe liberum ea libertate quæ ſit perfecte expedita ab omni mala propenſione, C. non eſſe liberum, quaſi inducta ſit abſoluta ad peccandum neceſſitas, N. hanc eſſe S. Auguſtini mentem conſtat, quia his in locis non loquitur de ſtatu naturæ corruptæ, niſi comparate ad ſtatum primi hominis ante peccatum; ut nempe exiſtentiam peccati originalis demonſtret adverſus Julianum, ait in iſto ſtatu naturæ lapſæ & ſuperſtitem eſſe concupiſcentiam quæ efficit, ut a peccato abſtinere liberum non ſit, hoc eſt, non tam ſit liberum quam Adamo fuit liberum: *Multa quippe ſunt*, inquit ibidem lib. 1. op. imp. cap. 47. *quæ agunt homines mala, a quibus eis liberum eſt abſtinere, ſed nulli tam liberum eſt quam illi fuit, qui Deo ſuo, a quo erat conditus rectus, nullo prorſus vitio depravatus adſtabat*. Hæc comparatio mentem S. Auguſtini aperte declarat, id unum ſcilicet eum docuiſſe, non tam liberum eſſe nunc hominibus abſtinere a peccato propter concupiſcentiam a peccato originali profectam, quam liberum fuit Adamo nondum per peccatum depravato; unde facile colligitur qua ex cauſa definitionem peccati antea a ſe traditam, ad ſolum primi parentis peccatum reſtrinxerit.

Quanquam reſponderi poteſt Auguſtinum ſuam illam definitionem reſtrinxiſſe propter peccatum originale, quia Pelagiani ex illa inferebant parvulos, cum propria voluntate non peccaverint, non poſſe dici peccato originali infectos, ut conſtat ex verbis Juliani ibid. *Oſtende ergo*, inquit ad Auguſtinum, *hæc duo in parvulis poſſe conſtare, ſi nullum eſt ſine voluntate peccatum, ſi nulla voluntas, ubi non eſt plena libertas, &c.* Unde ex illis Auguſtini verbis, quibus definitionem peccati

cati ad ſolum Adæ peccatum reſtringit; id unum infert peccatum originale in infantibus fuiſſe verum peccatum, tametſi ipſis liberum non fuerit ab eo abſtinere, per actum ſcilicet proprium ſuæ voluntatis: *Proinde*, inquit cap. 47. *originale peccatum nec ad illud quod primo loco poſuimus, ubi eſt voluntas malum operandi; unde liberum eſt abſtinere, alioquin non eſſet in parvulis qui nondum voluntatis utuntur arbitrio*, quod ſane nihil quicquam noſtræ libertati præjudicat.

Objicit iterum Janſenius multa Sancti Auguſtini loca in quibus affirmat invectam eſſe peccato primi parentis peccandi neceſſitatem, quæ certe indifferentiam ad agendum aut non agendum capitaliter pugnat, operis imperf. cap. 105. jam citato: *Multum erras*, inquit, *qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt*. Et cap. 106. *Neceſſe eſt ut peccet a quo ignoratur juſtitia; nunquid ideo cum juſtitiam cognoverit, non ſunt ei remittenda peccata quæ ignorantiæ neceſſitate commiſit .... Non eſt igitur impunitatis ſecuritas in neceſſitate peccandi, ſed ut non obſit iſta neceſſitas, donat ille cui dicitur, De neceſſitatibus meis erue me*, Lib. de natura & grat. cap. 66. *Quod autem*, inquit, *ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ ſit quædam peccandi neceſſitas, audiat homo, atque ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo dicere, De neceſſitatibus meis educ me*. Cap. 67. *Sunt etiam*, inquit, *neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere & non poteſt. Nam unde ſunt illæ voces, Non enim quod volo facio bonum, ſed quod odi malum, hoc ago?* Lib. 1. Retr. cap. 1. *Naturæ noſtræ dura neceſſitas merito præcedentis iniquitatis exorta eſt*. Quibus ſimilia prope infinita e ſcriptis Auguſtini exſcribi poſſunt; unde ſequitur illum negaſſe ſuperſtitem in homine poſt peccatum indifferentem agendi aut non agendi poteſtatem.

Diſt. ant. Affirmat plerumque Auguſtinus per peccatum inductam eſſe peccandi neceſſitatem moralem, C. neceſſitatem phyſicam & abſolutam, N. in his igitur & ſimilibus locis loqnitur Auguſtinus de morali neceſſitate, ſumpta nempe pro quadam difficultate abſtinendi a peccato, orta ex violentis atque importunis concupiſcentiæ motibus qui tam vehementer ad peccatum inducunt ut diu nemo poſſit ab omni peccato abſtinere, unde neceſſario committuntur peccata; quo ſenſu dicitur neceſſarium eſſe, ut eveniat id quod frequenter evenit: Sed non loquitur, de neceſſitate phyſica & abſoluta quæ ſit ineluctabilis & inſuperabilis, adeoque indifferentiam ſeu potentiam ad oppoſitum evertat. Porro non aliam eſſe Auguſtini mentem duo evincunt momenta luculentiſſima.

Primo, quia exiſtimavit S. Doctor hominem cum illa neceſſitate de qua loquitur, quæcunque tandem illa ſit, culpabiliter agere, ut conſtat ex locis mox citatis in objectione: Sed docuit ex alia parte ea quæ fiunt ex neceſſitate phyſica, quæ nempe ſuperari non poteſt, tanquam peccata deputari non poſſe, ut manifeſtum eſt ex lib. 3. de lib. arb. c. 18. ubi legimus nobis non imputari ad culpam quod inviti ignoramus aut facere non poſſumus; ſed quod negligimus quærere id quod ignoramus; ergo, &c.

Secundo, quia S. Auguſtinus parem videtur inducere neceſſitatem agendi ortam ex peccato originali, quam admittebat Julianus ortam ex affectibus & mala conſuetudine; ſic enim argumentum Juliani in eum retorquet l. 1. oper. imp. cap. 105. *Si enim*, inquit, *neceſſitas nulla peccandi eſt, quid patiebatur, quæſo, qui ſecundum veſtrum ſenſum tanta mole malæ conſuetudinis premebatur, ut diceret, Non quod volo facio*

ſiuo bonum , ſed quod nolo malum hoc ago ? Et paulo poſt . *Tu quoque ipſe in libro noviſſimo tuo , eorum quos contra unum meum quatuor edidiſti , ex affectionibus atque paſſionibus animi dicis (evenire hominibus affectionalem qualitatem , atque ita inhæreſcere , ut aut magnis molitionibus , aut nullis ſeparetur omnino .) Quisquis ergo ea timiditate peccaverit quæ ab illo non poteſt ſeparari , quid aliud quam neceſſitate peccabit ? ... Ac per hoc etiam ſecundum vos peccandi neceſſitas , unde abſtinere liberum non eſt , illius peccati pœna eſt , a quo abſtinere liberum fuit , quando nullum pondus neceſſitatis urgebat .*

Porro certum eſt Julianum non admiſiſſe neceſſitatem peccandi phyſicam abſolutam, ſed tantum moralem, ſumptam ſcilicet pro quadam propenſione ad malum, quæ tamen relinquebat potentiam indifferentem ad oppoſitum ; ergo ſimiliter non aliam neceſſitatem quam moralem homini lapſo tribuebat Auguſtinus; aliter ad hoc argumentum male omnino retortum reſpondiſſet Julianus dicens neceſſitatem peccandi ortam ex timiditate & mala conſuetudine eſſe tantummodo moralem ; cum contra neceſſitas per peccatum originale inducta phyſica ſit & ineluctabilis.

Inſtabis : S. Auguſtinus illam peccandi neceſſitatem probat ineſſe hominibus, quam negabat Julianus : atqui Julianus minime negabat hominibus ineſſe neceſſitatem moralem ; ergo S. Auguſtinus aliam probat neceſſitatem quam moralem .

Diſt. min. Quæ orta eſſet ex mala conſuetudine, C. ex peccato originali, N. ſolutio abunde patet ex dictis.

Inſtabis : De ea peccandi neceſſitate loquitur Auguſtinus , qua contrahitur ab infantibus peccatum originale ; in exemplum enim affert peccatum originale , ut oſtendat nobis ineſſe peccandi neceſſitatem , oſtendens peccatum originale veram peccati rationem habere , tametſi neceſſario contrahatur : Atqui peccatum originale neceſſario contrahitur neceſſitate phyſica & abſoluta ; ergo loquitur S. Auguſtinus de neceſſitate phyſica & abſoluta.

Nego maj. ſiquidem par omnino & ſimile non eſt argumentum quod petit Auguſtinus a peccato originali, ut probet in nobis eſſe peccandi neceſſitatem, quaſi ſic ratiocinetur : Peccatum originale neceſſitate phyſica contrahitur ; ergo & peccatum actuale . Sed utitur argumento , quod eſt a majori, ut ajunt, ad minus in hunc modum ; peccatum originale vere peccatum imputatur, quamvis neceſſario contrahatur : ergo etſi peccemus actualiter ſecundum neceſſitatem , tamen ejusmodi peccata vere nobis imputantur ; ex quo ratiocinio , ut videre eſt, non ſequitur parem eſſe neceſſitatem quæ nos ad peccandum actualiter impellit , cum ea qua contrahitur peccatum originale ; ſed ſatis eſt, ut iſtud argumentum vim ſuam obtineat , ſi modo peccemus ex quadam neceſſitate ; qualiſcunque tandem illa ſit , & tametſi ſit moralis tantum neceſſitas.

Inſtabis : Niſi mens Auguſtini fuiſſet peccata actualia committi ab hominibus neceſſitate æque phyſica , ac ea qua contrahitur ab infantibus peccatum originale , nullum prorſus fuiſſet ejus argumentum adverſus Pelagianos ; reſpondiſſet enim Julianus peccata actualia fieri quidem cum neceſſitate morali quæ abſolute non impellit ad peccandum; cum aliunde peccatum originale contrahi dicatur neceſſitate phyſica , adeoque non eſſe verum peccatum ; ergo in ſyſtemate S. Auguſtini peccata actualia fiunt cum neceſſitate phyſica & abſoluta .

Nego ant. quia nempe mens Auguſtini non eſt probare peccatum originale veram peccati rationem habere , tametſi neceſſario contrahatur ; unde neutiquam comparat eo loci neceſſita-

tem,

tem, quâ contrahitur peccatum originale, cum ea neceſſitate qua homines in hoc ſtatu impelluntur ad peccandum actualiter verum id unum conatur oſtendere Juliano congenitam quandam peccandi neceſſitatem ineſſe hominibus quæ ſit a peccato originali profecta; quin immo videtur contra S. Auguſtinus argumentum ex peccato originali petitum de induſtria prætermittere, eo profecto quod peccatum originale negabat Julianus, ut aperte colligitur ex eodem cap. 105. *Si enim nulla neceſſitas peccandi eſt (ut omittam vim mali ejus quod originaliter trahitur, hoc enim nullum eſſe vos vultis.) Quid patiebatur, quæſo, qui ſecundum veſtrum ſenſum tanta mole malæ conſuetudinis premebatur?*

Inſtabis: De ea neceſſitate loquitur S. Auguſtinus qua exiſtunt in nobis illi motus de quibus ait Apoſtolus: *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum hoc facio;* hunc enim locum Apoſtoli non ſemel urget adverſus Julianum: Atqui illi motus, de quibus loquitur Apoſtolus, ſunt neceſſarii neceſſitate abſoluta & phyſica: ſunt enim motus indeliberati qui quidem in nobis vel invitis excitantur; ergo.

Nego min. Hi enim motus, de quibus ſermonem habet S. Paulus, ſunt concupiſcentiæ quæ neceſſitatem ſolum moralem inferunt; adeoque liberum arbitrium non evertunt; id enim, ut puto, non eſt intelligendum de motibus indeliberatis; aut ſaltem ita non accipitur ab Auguſtino qui in hunc finem duntaxat hoc utitur loco, ut nobis congenitæ & continuo rebellantis concupiſcentiæ exiſtentiam demonſtret.

Objicies iterum cum eodem Janſenio: S. Auguſtinus lib. de Civit. Dei cap. 10. duplicem diſtinguit neceſſitate, unam quæ non eſt in noſtra poteſtate: *Si neceſſitas noſtra*, inquit, *illa dicenda eſt quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiamſi nolimus, efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis; manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus recte vel perperam vivitur, ſub tali neceſſitate non eſſe; multa enim facimus, quæ ſi nollemus non utique faceremus. Quo primitus pertinet ipſum velle, nam ſi volumus, eſt; ſi nolumus, non eſt: non enim vellemus, ſi nollemus. Si autem illa definitur eſſe neceſſitas, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, ut ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei & præſcientiam Dei ſub neceſſitate ponimus, ſi dicamus neceſſe eſſe Deum ſemper vivere & cuncta præſcire, ſicut nec poteſtas ejus minuitur, cum dicitur mori falli que non poſſe .... ſic etiam cum dicimus neceſſe eſſe, ut cum volumus, libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipſum liberum arbitrium neceſſitati ſubjicimus, quæ adimit libertatem.* Ergo exiſtimavit ſimplicem neceſſitatem, qua neceſſarium eſt aliquid eſſe aut fieri, non repugnare libertati, ſed tantum neceſſitatem quæ importat violentiam & coactionem, cujuſmodi eſt neceſſitas mortis.

Diſt. conſ. S. Auguſtinus exiſtimavit ſimplicem neceſſitatem non repugnare libertati, ſi ejuſmodi neceſſitas ſit conſequens, C. ſi ſit antecedens, N. Eſt igitur in mente Auguſtini aliqua neceſſitas, *ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, ut ita ſit aliquid, vel ita fiat*, quæ neutiquam libertati officit, ſed ejuſmodi neceſſitas eſt conſequens, quæ ſcilicet ſequitur liberum voluntatis conſenſum, in quantum neceſſarium eſt, ut quando libere volumus, libero velimus arbitrio; quod ſane non impedit quominus natura libertatis poſita ſit in indifferentia ad agendum & non agendum; ſiquidem voluntas antecedenter ad determinationem ſuam liberam eſt indifferens ad utrumvis oppoſitum, & poſita ſemel determinatione vult neceſſario id quod vult, quæ neceſſitas ut-

pote

pote conſequens nequaquam ex conſenſu omnium lædit libertatem. De hac autem neceſſitate conſequente loqui S. Auguſt. conſtat.

Primo, quia cum duplicem illam diſtinguit neceſſitatem, priorem dicit non eſſe in noſtra poteſtate, id eſt, in noſtra libertate, in libera noſtra voluntate, ut ejus verba aperte innuunt; proindeque altera neceſſitas quæ eſt in noſtra poteſtate recte cenſetur conſequens liberum voluntatis conſenſum, qua quidem neceſſe eſt ut aliquid ita ſit vel ita fiat, ſed conſequenter ad liberum voluntatis exercitium.

Secundo, quia id unum conatur oſtendere ſanctus Auguſtinus non omnem neceſſitatem qua neceſſe eſt aliquid ita eſſe, vel ita fieri, pugnare ſemper cum libertate; vix enim intelligere poterat Tullius adverſus quem diſputat, quomodo libertas conſiſtere poterat cum Dei præſcientia, quæ cum ſit infallibilis, ita rebus inferre videtur neceſſitatem, ut quæ ſimul a Deo præſcita ſunt, neceſſario evenire debeant; huic porro Ciceronis difficultati abunde ſatisfacit Auguſtinus, aliquam docens neceſſitatem conjungi poſſe cum libertate; eſt autem ejusmodi ea neceſſitas quæ dicitur conſequens, quia conſequenter ad liberam determinationem voluntatis ſequitur id quod fuit determinatum, eſſe neceſſario ſimul & libere futurum, adeoque præſciri certo a Deo illæſa libertate.

Objicit inſuper Janſenius quam plurima aliorum Patrum teſtimonia, quos non dubitat ſuæ ſententiæ patronos aſciſcere, eo quod nonnunquam libertati arbitrii opponunt vim, violentiam, compulſionem & coactionem; unde ſequitur, ait, illos exiſtimaſſe neceſſitatem ſimplicem conjungi poſſe cum libertate, quæ proinde non conſiſtit in indifferentia ad agendum aut non agendum. In hunc finem producit auctorem lib. de Cæleſti Hierarc. qui c. 9. ait *vitam hominum non eſſe illis datam vi vel neceſſitate coactam*, Clementem Romanum vel quemvis alium auctorem qui Epiſt. 3. ſic habet, *jam vis erat quædam naturæ per quam liberum non eſſet ad aliam migrare ſententiam. Aut ſi rurſus ex audientibus nullus reciperet: & hoc naturæ vis erat qua unum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum*. S. Irenæum lib. 4. c. 71. ſic loquentem: *Liberum Deus fecit ab initio habentem ſuam poteſtatem, ſicut & ſuam animam ad utendum ſententia Dei voluntarie & non coactum a Deo*. Tertullianum qui paſſim docet in eo poſitam eſſe libertatem arbitrii quod homo, *ſponte*, *voluntarie*, *voluntate*, *neceſſitate agat*, ut lib. 2. contra Marc. S. Hilarium in Pſal. 2. ubi ſic ait, *Quid autem honoris ac præmii bonitatis neceſſitas mereretur, cum malos nos eſſe vis quædam nobis conſerta non ſineret*. Origenem in proœmio librorum Periar. hæc ſcribentem, *unde & conſequens eſt nos non neceſſitati eſſe ſubjectos, ut omni modo, etſi nolimus; vel bona vel mala agere cogamur*. S. Epiphanium hæreſ. 5. *Sane quidem*, inquit, *juſtius ab ſtellis quæ neceſſitatem pariunt pœnæ repetantur, quam ab eo qui quod agit, omnino coactus aggreditur*. Macarium qui Homil. 15. ait hominis naturam boni & mali eſſe capacem, ſed *non cogibilem*. Baſilium Seleuciæ Epiſcopum qui orat. 3. ſic habet: *Arbitrii libertate refulgens conſilii vim habet quæ nulla teneatur ſervitute, intentionemque habeat ſui dominam & inviolabili gloriatur agendorum electione*. Tum vero Euſebium lib. 6. Præp. Evang. & lib. contra Hieroclem perpetuo libertati opponit violentiam & coactionem, *Si voluntates noſtræ*, inquit cap. 5. *ſtellis cogerentur, jaceret omnis philoſophia, jaceret omnis philoſophia, jaceret pietas &c.* & S. Chryſ. iisdem verbis utentem Homil. 62. ad pop. Antich. Homil. 11. in Joan. aliiſque locis, quin & S. Cyrillum Alex.

qui

qui lib. 8. contra Julianum ſic habet: *Itaque ut & nos quoque ad quodvis bonum ſponte incederemus conſilio, non coacte vivere ſuper terram hominem permiſit Deus.*

Item docent, inquit Janſenius, alii Patres Auguſtino poſteriores. S. Proſper lib. c. collat. cap. 19. hæc ſcribit, *Liberum arbitrium eſt rei ſibi placitæ ſpontaneus appetitus*. S. Fulgentius lib. de Incarn. & Grat. c. 12. *Primus homo creatus de terra terrenus, accepit quidem gratiam qua poſſet non peccare ſi peccare nollet .... Ut ſcilicet a bono juſtoque Domino poſt eſſet illud munere largiendum, ſi voluntarie fuiſſet hoc a ſervo prius in opere cuſtoditum*. Beda lib. variarum quæſt. q. 13. ait arbitrium fuiſſe liberum, quandiu non potuit cogi: *Ita ut*, inquit, *nulla vi cogente nec Dei nec diaboli quod vellet bonum vel malum faceret*. Damaſcenus lib. 3. de fide ſic habet: *Quippe patres liberum arbitrium voluntatem eſſe definierunt*. & paulo poſt, *enim vero cum voluntatem dicimus non eam coactam ac neceſſitate conſtrictam, ſed liberam dicimus*. Accedit Anſelmus qui lib. 2. cur Deus homo. cap. 10. ſic loquitur, *Improprie dicitur neceſſitas, ubi nec coactio ulla eſt nec prohibitio:* id eſt, inquit Iprenſis, vis cogens nolentem, & prohibens ſeu impediens volentem. Denique S. Bernardus, qui lib. de lib. arbit. circa initium docet neceſſitatem illam, a qua liberum dicitur eſſe arbitrium, efficere ut non ſit voluntarium: *Si horum*, inquit, *quodlibet prohibente ratione voluntas non poſſet, voluntas jam non eſſet. Ubi quippe neceſſitas, jam non voluntas*.

His omnibus ſanctorum Patrum teſtimoniis quæ nonniſi ſummatim & ſimul collecta refero, quia, cum ſint ejuſdem generis ſimili quoque modo & quidem facile explicari poſſunt; his, inquam, reſpondeo totam Janſenii difficultatem ſtatim in fumum evaneſcere ſi ſupponatur, quod veriſſimum eſt & cuilibet hæc Patrum loca attente conſideranti patebit, vim, violentiam, *coactionem*, aut alia ſimilia vocabula ſumi a ſanctis Patribus late & univerſim pro quacunque neceſſitate antecedente, ſive ab extrinſeco, ſive ab intrinſeco impoſita, quæ dici poteſt coactio moralis, qualis eſt quælibet vehemens inductio ſeu impulſio ad agendum, vel etiam naturalis propenſio ad unum determinata; unde non parum hallucinatur Janſenius, quando hoc nomen *coactionis* in ſcriptis SS. Patrum exponit de coactione phyſica quam ſolam putat pugnare cum libertate arbitrii.

Atque revera nomen coactionis plerumque apud SS. Patres ſumi generaliter pro qualibet neceſſitate, ex eo manifeſte colligitur, quod perſæpe *coactioni* quam opponunt libertati adjungunt & neceſſitatem; quaſi coactionem promiſcue & neceſſitatem confundant, quibus adde nullum eſſe ex præfatis Scriptoribus qui libertatem pro indifferentia ad agendum aut non agendum accepta aperte non defendat, ut conſtat ex probationibus adductis.

Urgent vero imprimis auctoritatem S. Bernardi, qui diſertius quam quivis alius e ſanctis Patribus docere videtur libertati arbitrii non aliam repugnare neceſſitatem, quam quæ ſit violentia, vis & coactio; idemque plane eſſe liberum quod voluntarium, lib. de Grat. & lib. Arb. cap. 1. cum dixiſſet conſenſum voluntarium homines diſcernere a beſtiis, hunc conſenſum voluntarium ſignificat eſſe ipſam libertatem: *Hunc ergo*, inquit, *communem habentes* naturalem appetitum *cum beſtiis conſenſus voluntarius nos diſcernit. Eſt enim habitus animi liber ſui, ſiquidem non cogitur, non extorquetur, eſt quippe voluntatis, non neceſſitatis, nec negat, nec præbet cuiquam niſi ex voluntate. Alioquin compelli valet invitus, violentus eſt, non voluntarius. Ubi autem voluntas non eſt, nec conſenſus. Non enim eſt conſenſus niſi*

voluntarius. Ubi ergo conſenſus, ibi voluntas. Porro ubi voluntas, ibi libertas. Et hoc eſt quod dici puto liberum arbitrium. & cap. 2. *Si horum quodlibet prohibente ratione voluntas non poſſet, voluntas jam non eſſet. Ubi quippe neceſſitas, jam non voluntas.* Cap. 3. a libertate a peccato, & a libertate a miſeria ſecernens liberum arbitrium ſic iſtud deſignat. *Eſt vero, quam magis ei congruere arbitror libertatem quam dicere poſſumus a neceſſitate, eo quod neceſſarium voluntario contrarium eſſe videatur; ſiquidem quod ex neceſſitate fit, jam non eſt ex voluntate, & e converſo ſimiliter.* Cap. 4. *Quomodo*, inquit, *ad bonum per gratiam converſus humanæ voluntatis conſenſus eo libere bonum & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur; non invitus pertrahitur: Sic ſponte devolutus in malum, in malo nihilominus tam liberum quam ſpontaneum conſtituit, ſua utique voluntate ductum, non aliunde coactum, ut malus ſit.*

Reſpondeo ex duobus illis capitibus, quæ objiciuntur ex præfatis locis S. Bernardi, neutiquam colligi poſſe hunc S. Doctorem exiſtimaſſe, libertatem arbitrii cum ſimplici neceſſitate conjungi poſſe: Idcirco enim libertati perſæpe opponit coactionem & violentiam, quia coactionem accipit late & univerſim pro neceſſitate: Quod autem præterea liberum paſſim dicat idem eſſe ac voluntarium, ex eo certe oritur, quod voluntatem non ſumat late pro facultate volendi quomodocunque; ſed ſtrictius pro facultate volendi cum electione & indifferentia; quod utrumque manifeſte liquet ex ipſo S. Bernardi contextu.

Ac primo quidem in iiſdem locis coactionem ſumi late pro qualibet neceſſitate, hæc aperte demonſtrant teſtimonia in quibus promiſcue & indifferenter utitur S. Bernardus nomine *neceſſitatis* & nomine *coactionis*, cap. 1. loquens de conſenſu voluntario ſic habet: *Eſt enim habitus animi liber ſui. Siquidem non cogitur, non extorquetur. Eſt quippe voluntatis, non neceſſitatis.* Cap. 2. *Eſt vero ratio data voluntati ut inſtruat illam, non deſtruat. Deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ei ullam imponeret, quominus libere pro arbitrio ſe ſe volveret.* Ubi libertas deſtrui dicitur, ſi qua imponatur humanæ voluntati neceſſitas, adeoque ſi non modo adhibeatur coactio & violentia, ſed & quævis alia neceſſitas quæ impediat quominus gratiæ conſentire poſſit vel non conſentire, ut ipſe addit Sanctus Doctor; quod idem plane ipſum pergit ſcribere verbis paulo poſt ſequentibus. *Porro*, inquit, *ubi neceſſitas eſt, libertas non eſt: ubi libertas non eſt, nec meritum, ac per hoc nec judicium.* & cap. 3. *Sola ergo voluntas quoniam pro ſui ingenita libertate aut diſſentire ſibi, aut præter ſe in aliquo conſentire nulla vi, nulla cogitur neceſſitate.* In quibus locis modo libertatem opponit coactioni, & modo neceſſitati, hæc duo promiſcue uſurpans; quia nimirum coactionem ſumebat univerſim & late pro qualibet neceſſitate antecedente conſenſum voluntatis.

Quin potius nomine coactionis plerumque apud Oratores, qui non ita accurate & minus ſcholaſtice loquuntur, non ſolum intelligitur vis externa, ſed & omnis impulſio, omnis determinatio quæ fit ab alio quocunque tandem modo fiat, vel etiam libere & ſine ulla neceſſitate: quo ſenſu dicitur aliquis cogi precibus, minis, metu & facundia; unde a fortiori potuit Divus Bernardus coactionem accipere pro neceſſitate.

Ad cujus veritatis confirmationem addi poteſt & plerumque nomen *coactionis*, ab eo uſurpatum pro omni determinatione etiam quæ oritur a propria voluntate agentis liberi, ſic c. 12. ait voluntatem quandoque ſeipſa cogi: *Quid ergo*, inquit, *forte diſſoluta eſt tota ſuperior aſſertio de libertate voluntatis; quia nimirum inventa eſt cogi potuiſſe voluntas? Eſt plane, ſed ſi cogi ab alio*

potuit

potuit quam a ſe ipſa. Quod ſi ſe ipſa coegit compulſa & compellens, ubi amittere ibi & recipere viſa eſt libertatem. Vim quippe quam ipſa ſibi intulit, a ſe pertulit. Porro quod a ſe voluntas pertulit, ex voluntate fuit. Quod ex voluntate fuit, jam non ex neceſſitate, ſed voluntarium fuit.

Secundo & ibidem S. Bernardus liberum confundit cum voluntario, ſumens voluntatem ſtrictius pro voluntate ad utrnmlibet indifferente, non autem prout eſt voluntas præciſe; quod enim dixerat cap. 2. *Ubi neceſſitas, jam non voluntas*. Idem paulo poſt exprimit eodem capite his verbis: *Ubi neceſſitas eſt, libertas non eſt*. Cum autem affirmat eo loci, *non eſſe voluntatem ubi eſt neceſſitas*, id ſe intelligere de voluntate ut libera eſt per indifferentiam, ſatis ſuperque indicat his verbis: *Eſt vero ratio data voluntati ubi inſtruat illam, non deſtruat; deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ei ullam imponeret, quominus libere pro arbitrio ſeſe volveret, ſive in malum conſentiens appetitui aut nequam ſpiritui, ut ſit animalis non percipiens, vel certe & perſequens ea quæ ſunt Spiritus Dei, ſive ad bonum gratiam ſequens fiat ſpiritualis*. Ubi certe homini tribuit Bernardus voluntatem qua potens eſt ad bonum vel malum ſe convertere pro arbitrio; conſentire gratiæ, vel nequam ſpiritui: Atqui voluntas ejuſmodi non eſt voluntas præciſe ut natura eſt rationalis, qualis eſſet in eo qui ageret cum neceſſitate, ſed voluntas ut libera per indifferentiam & quidem contrarietatis quæ eſt potentia ad bonum & malum; Igitur S. Bernardus voluntatem ibi ſumit ſtrictius pro voluntate ut indifferente.

Quapropter cum dicit cap. 2. ubi neceſſitas eſt jam non eſſe voluntatem, intellige non eſſe voluntatem prout liberam, prout vim electivam; nam initio capitis tertii liberum & voluntarium tanquam duo ſynonima uſurpat, *quapropter*, inquit, *hujuſmodi voluntarium liberumque conſenſum, ex quo & omne ſui conſtat pendere judicium*.

Et ratio eſt quia vult ibi oſtendere S. Bernardus, non vita, non ſenſu, non appetitu, ſed voluntate hominem a belluis differre, quia hæc alia nempe vita, ſenſus & appetitus naturalis communia ſunt hominibus & belluis; cum autem per voluntatem prout judicio & ratione præditam, ab cæteris animantibus ſecernatur homo; inde fit, ut S. Bernardus de voluntate ut electiva & libera potius loquatur, quam de voluntate præciſe ut natura.

Quibus accedit eundem S. Doctorem aperte tradere c. 7. ejuſdem libri eandem in nobis eſſe libertatem arbitrii cum ea qua præditus fuit Adamus ante peccatum: *Nunc locus eſt pervidendi*, inquit, *utrum ſcilicet totas tres illas, quas diximus, libertates, id eſt arbitrii, conſilii, complaciti, vel aliis nominibus a neceſſitate, a peccato, a miſeria primi homines in Paradiſo habuerint, an tantum duas, an unam ſolummodo. Et de prima quidem jam nulla quæſtio eſt, ſi meminerimus quam aperte & juſtis eam & peccatoribus ineſſe æqualiter ratio ſuperior edocuerit. De duabus reliquis quæritur non immerito, an unquam eas Adam habuerit, aut ambas, aut vel unam. Nam ſi nullam habuit, quid amiſit? arbitrii utique libertatem tam poſt peccatum quam ante ſemper tenuit inconcuſſam*. Atqui certe exiſtimavit S. Bernardus datam primitus fuiſſe Adamo libertatem quæ fuerit immunita ab omni neceſſitate; igitur & idem ſenſit de homine poſt peccatum conſiderato.

Inſtabis: Ex iſtis quæ ſcribit cap. 10. num. 35. *Nemo proinde*, inquit, *putet ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum poteſtate aut facilitate verſetur, cum cadere quidem per ſe potuerit, non autem reſurgere niſi per Domini Spiritum. Alioquin nec Deus nec Angeli ſancti, cum ita ſint boni, ut non*

Poſſint eſſe mali, nec prævaricatores item Angeli cum ita ſint mali, ut jam non valeant eſſe boni, liberi arbitrii eſſe dicentur. Sed & nos illud poſt reſurrectionem amiſſuri ſumus, quando utique inſeparabiliter alii bonis, alii malis admixti fuerimus. Cæterum nec Deus caret libero arbitrio, quoniam quod ille eſſe non poteſt malus, non infirma facit neceſſitas, ſed firma in bono voluntas & voluntaria firmitas; quodque is non valet in bonum reſpirare non aliena facit violenta oppreſſio, ſed ſua ipſius in malo obſtinata voluntas, ac voluntaria obſtinatio. Nunc igitur ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod ſive in bono ſive in malo æque liberam faciat voluntatem; nec bonus quiſpiam, nec item malus dici debeat, aut eſſe valeat ni volens. Tali jam ratione non incongrue dicetur ad bonum ſe & ad malum habere æqualiter, quod utrobique videlicet par ſit ei non quidem in electione facilitas, ſed in voluntate libertas. Ex quibus hoc eruitur argumentum: docet S. Bernardus libertatem arbitrii poſitam non eſſe in facilitate electionis, ſed in voluntate, id eſt, poſitam non eſſe in poteſtate indifferenti ad oppoſita, ad bonum & ad malum; unde infert Deum & Angelos ſanctos libero arbitrio præditos eſſe, tametſi neceſſario operentur bonum; tum vero & liberum eſſe Diabolum, quantumvis ejus ſit in malo obſtinata voluntas; ergo exiſtimavit libertatem arbitrii conjungi poſſe cum neceſſitate ſimplici, atque idem plane eſſe cum voluntario quod per vim externam coactum non eſt.

Diſt. ant. Docet S. Bernardus libertatem arbitrii poſitam non eſſe in facilitate electionis, ſed in voluntate, hoc eſt, ut paulo ſupra ſcribit, non in æqua inter bonum & malum poteſtate & facilitate quoad executionem, C. hoc eſt, non eſſe poſitam in facultate electiva & ad bonum vel malum verſatili, N. id unum ſcilicet eo loci probat S. Bernardus nunc liberum hominis arbitrium in æqua ad bonum & malum poteſtate, aut potius facilitate quoad executionem non verſari; quia nempe, tametſi ſit in homine libertas potentiæ ſeu facultas electiva ad bonum & malum verſatilis, boni tamen exercitium & executio ita pendet ex gratia, ut eatenus dici non poſſit æquam eſſe ad bonum & malum poteſtatem: *Nemo putet*, inquit, *ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum poteſtate aut facilitate verſetur, cum cadere per ſe quidem potuerit, non autem reſurgere, niſi per Domini ſpiritum.* Sed non ideo putat S. Bernardus cum neceſſitate conjungi poſſe libertatem, contrarium enim ibidem aperte docet his verbis: *Nunc igitur ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod ſive in bono ſive in malo æque liberam faciat voluntatem; cum nec bonus quiſpiam, nec item malus dici debeat aut eſſe valeat, niſi volens.*

Quod autem in exemplum adducit Deum, Angelos ſanctos, & Diabolum, qui libero arbitrio præditi cenſentur, tametſi ad unum ſint determinati, Deus quidem & ſancti Angeli ad bonum, Diabolus vero ad malum, profecto nil moror; ex illis enim exemplis id unum colligit libertatem non eſſe poſitam in æqua ad bonum & malum poteſtate: unde putat aliter ratiocinandum eſſe de libertate Dei, Angelorum & Diaboli, ac de libertate hominis, in quo admittit voluntatem ad bonum & malum verſatilem.

Quibus adde ad ſummum colligi poſſe ex verbis S. Bernardi, libertatem arbitrii poſitam non eſſe in indifferentia, ut ajunt, contrarietatis quæ ſit ad bonum & malum, quod nec nos ipſi volumus, ſufficit enim indifferentia contradictionis qua liberum eſt agens ad agendum vel non agendum.

Objicit poſtea Janſenius infinita propa teſtimonia Scholaſticorum, qui ad inſtar

ſtar SS.Patrum libero arbitrio plerumque opponunt coactionem, ſic, v.g. Magiſter Sent. in 2. diſt. 25. cap. 5. *Si diligenter reſpiciatur liberum videbitur dici arbitrium, quia ſine coactione & neceſſitate valet appetere vel eligere quod ex ratione decreverit*. Sic Alexander Alenſis 2. p. q. 72. Memb. 2. art. 2. *Reſpondeo quod liberum arbitrium tripliciter conſideratur, non modo ſecundum quod non cogitur, & hoc modo dicitur liberum, &c.* Sic Altiſſiodorenſis lib. 2. Summæ tract. 11. qu. 3. *Dicimus quod hæc facilitas, ſive habilitas potentiæ libertas prædicta eſt, quæ eſt ſine coactione in omni habente liberum arbitrium*. Sic S. Thomas in 2. diſt. 21. art. 4. *Dicendum*, inquit, *quod liberum arbitrium dicitur ex eo quod cogi non poteſt*. Quæſt. 24. de verit. art. 10. ad 7. *Liberum arbitrium, ſecundum quod dicitur liberum a coactione, non ſuſcipit magis & minus*. Et 1. p. q. 83. art. 2. ad 3. ait, *hominem peccando liberum arbitrium perdidiſſe, non quantum ad libertatem naturalem quæ eſt a coactione, ſed quantum ad libertatem quæ eſt a culpa & a miſeria*. In quem plane modum loquuntur & cæteri Theologi, quorum loca ſingula hic exſcribere videtur omnino inutile. Conſuli poſſunt Scotus quodlibeto 16. S. Bonavent. in 2. diſt. 25. Henricus a Gandavo quodlib. 3. q. 17. Ricardus de Mediavilla in 2. diſt. 25. art. 2. q. 1. Thomas de Argentina in 2. diſt. 25. art. 1. Dionyſius Carthuſianus in 2. diſt. 25. art. 4. Marſilius in 2. q. 16. art. 2. Gabriel in 3. diſt. 18. q. unica, art. 3. & cæteri recentiores.

Verum in illis Theologorum placitis explicandis nihil eſt quod diutius immoremur, eſt enim luce meridiana clarius, nomen *coactionis* apud illos ſcriptores ſumi generaliter & promiſcue pro neceſſitate quavis antecedente, non autem ſtricte, ut contendit Janſenius, pro violentia proprie dicta. Idque colligitur: Primo, quia revera perſæpe in iiſdem locis nomina *coactionis* & *neceſſitatis* tanquam ſynonyma & in eundem ſenſum uſurpant; ita Magiſter Sent. loco mox citato, *quia*, inquit, *ſine coactione & neceſſitate valet appetere vel eligere*; ita Ricardus de S. Victore tract. 1. de ſtatu interioris hominis c. 13. *Poteſt*, inquit, *conſentire vel non conſentire aſpirationi divinæ, ſimiliter ſuggeſtioni diabolicæ: Utrumque quidem ex libertate, neutrum oportet ex neceſſitate. Libertatis eſt quod ad aliquid volendum cogi non poteſt*. Secundo, quia nullus eſt ex illis Theologis, ut aperte indicant eorum teſtimonia ſuperius adducta, qui libertatem in indifferentia poſitam eſſe non doceat, quin immo contrariam ſententiam haberi vult Thomas ut hæreticam: *Hæc opinio*, inquit, quæſt. 6. de malo, *eſt hæretica; tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus*, qui tamen ad inſtar cæterorum, vel quovis alio expreſſius libertatem opponit coactioni.

Objicies cum Janſenio, Deus eſt libere bonus, quamvis malus eſſe non poſſit, ut ait S. Auguſtinus l. 1. operis imperf. contra Julian. Item Deus libere juſtus eſt, licet non poſſit velle peccare, ut idem S. Doctor affirmat lib. de natura & grat. c. 46. atqui hoc poſito libertas non conſiſtit in indifferentia, ſed optime conjungitur cum neceſſitate; ergo.

Diſt. min. Libertas non conſiſtit in indifferentia contrarietatis, C. contradictionis, N. id unum itaque ſequitur ex argumento propoſito libertatem non conſiſtere in indifferentia contrarietatis; unde S. Auguſtinus merito refutabat Julianum qui libertatem definiebat per poteſtatem faciendi bonum vel malum: *Si liberum non eſt*, inquit, *niſi quod duo poteſt velle, id eſt, bonum & malum, liber ergo Deus non eſt qui malum non poteſt velle*. Sed inde colligi non poteſt libertatem poſitam non eſſe in indifferentia contradictionis; quo ſenſu

Deus

Deus eſt libere bonus & libere juſtus, poteſt enim ab illis omnibus virtutum operibus abſtinere, quæ circa homines aliaſque creaturas exercet: *Cum Deus*, inquit S. Thomas 1. p. q. 19. art. 10. *ex neceſſitate ſuam bonitatem velit, alia vero non ex neceſſitate; reſpectu illorum quæ non neceſſitate vult, liberum arbitrium habet*.

Objicies: Beati homines & Angeli liberi ſunt, quamvis non poſſint peccare, ut expreſſe docet S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. ultimo; item Deum vident amantque libere, tametſi neceſſario & incommutabiliter; ergo libertas cum ſimplici neceſſitate conjungi poteſt.

Reſpondeo ad primum, Beatos, licet peccare non poſſint, in quibuſdam tamen eſſe liberos; puta in iis quæ poſſunt facere vel non facere, poſſunt, v.g. pro aliquo Deum orare vel non orare, aut alia ejuſmodi. Cum autem ait S. Auguſtinus eo liberius multo eſſe eorum arbitrium, quod nunquam a bono deficere poſſunt, vel illud intelligit de libertate a peccato, non de libertate arbitrii; vel ſic loquitur, quia peccandi potentia proprie loquendo impotentia magis quam vera potentia dici debet.

Ad ſecundum dico actus beatificos cognitionis & amoris Dei in Beatis non eſſe liberos, a quibus nempe pro nutu & arbitrio abſtinere non poſſunt, quos in ſua poteſtate non habent, quorum non ſunt Domini, eo præciſe quod Deo clare viſo immobiliter & neceſſario adhæreat eorum voluntas.

Quod porro argumentum repeti ſolet ab adverſariis ex libertate Chriſti, dilutum habes in Tractatu noſtro de Incarnatione Verbi divini.

Objicies: Pater divinus libere generat Filium, Pater & Filius libere producunt Spiritum Sanctum: atqui tamen uterque procedit neceſſario; ergo ſola coactio, non autem neceſſitas pugnat cum libertate.

Neg. maj. Inde enim ſequeretur Filium divinum eſſe ſub dominio Patris, & Spiritum Sanctum ſub dominio Patris & Filii, titulo nempe liberæ productionis; quod enim quis producit libere, idipſum in ſua poteſtate habet ſuoque ſub dominio conſtitutum: ſed impium eſſet affirmare Filium eſſe in poteſtate & ſub dominio Patris, & Spiritum Sanctum in poteſtate & ſub dominio Patris & Filii, id enim maxime ſonat dependentiam quæ ſoli creaturæ competere poteſt, in quantum hoc poſito & Filius & Spiritus Sanctus potuiſſent non produci; nequit igitur dici Filium libere produci a Patre, & Spiritum Sanctum a Patre & Filio. Quamobrem ſedulo & diligenter cautum eſt a ſanctis Patribus qui ſcripſerunt adverſus Arianos, ne Filius diceretur generari a Patre voluntate, quem dicebant genitum natura, ut videre eſt apud S. Auguſtin. l. 15. de Trin. c. 20. S. Epiph. hæreſ. 69. S. Athanaſ. or. 4. contra Arianos, quia nempe gignere voluntate, eſt gignere ex libero arbitrio, cum poteſtate & dominio in genitum.

Objicies iterum: Deus fuit liber in creatione mundi, Pſalmo enim 114. *Omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra*, & ad Epheſ. c. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Atqui tamen Deus nunquam fuit indifferens ad hunc mundum producendum, ſed ab æterno fuit ad id determinatus ac veluti neceſſitatus ratione immutabilitatis ſuorum conſiliorum; igitur libertas non eſt poſita in indifferentia ad agendum aut non agendum.

Nego min. Is enim recte dicitur indifferens ad hunc mundum creandum qui potuit illum creare vel non creare, vel etiam velle aut non velle illum creare: ſed Deus qui mundum creavit, potuit illum non creare, immo potuit

ſe

ſe determinare ad illum non creandum; ergo vere fuit indifferens ad hunc mundum creandum vel non creandum; ad id quidem ab æterno fuit determinatus, ſed vi poteſtatis ad utrumlibet indifferentis; unde ſequitur libertatem Dei eſſe pariter poſitam in indifferentia ad agendum aut non agendum.

Objicies denique: Si libertas noſtra poſita eſſet in indifferentia ad agendum aut non agendum, non differret ab ea qua præditus erat Adamus in ſtatu naturæ innocentis: atqui falſum conſequens in principiis fidei noſtræ, & ut expreſſe docet S. Auguſtinus paſſim adverſus Pelagianos; igitur libertas arbitrii, ſi qua homini ſuperſit poſt peccatum originale, non conſiſtit in indifferentia.

Diſt. maj. Non differret eſſentialiter, C. accidentario, N. noſtra igitur libertas differt quidem accidentario ab ea libertate, qua præditus erat Adamus in ſtatu naturæ innocentis, quia jam non eſt in nobis perfectum æquilibrium circa bonum & malum quale fuit in Adamo innocente, quandoquidem remanſit in voluntate noſtra per peccatum originale vulnerata, continua ad malum propenſio; ſed iſta tamen noſtra libertas non differt eſſentialiter a libertate Adami; quatenus utraque conſiſtit in indifferentia activa ad agendum aut non agendum; ſi enim potuit tunc temporis Adamus ad bonum vel ad malum extendere manum ſuam; eligere vitam aut mortem; ſervare Dei mandata vel ea tranſgredi; Dei gratiæ conſentire vel diſſentire &c. hæc omnia & nos poſſumus in præſenti ſtatu naturæ lapſæ, ut ſatis ſuperque oſtendimus.

Quæres autem quænam indifferentia pertineat ad eſſentiam libertatis arbitrii.

Reſpondeo 1. duplicem eſſe, ut jam diximus, indifferentiam, aliam contradictionis, quæ ſcilicet eſt ad agendum vel non agendum, eo quod agere & non agere ſunt duo contradictoria; aliam contrarietatis, quæ eſt ad hoc vel illud, ad bene vel male agendum; eo quod bonum & malum ſunt duo contraria.

Reſpondeo 2. indifferentiam contradictionis eſſe de eſſentia libertatis. Siquidem illud pertinet ad eſſentiam libertatis arbitrii, ſine quo nec eſſe nec concipi poteſt liberum arbitrium: atqui ſine indifferentia contradictionis nec eſſe nec concipi poteſt liberum arbitrium; is enim liber eſt qui dominus eſt ſuorum actuum, qui poteſtatem habet in ſuos actus; ſed nemo concipitur dominus ſuorum actuum, poteſtatem habere in ſuos actus, quin concipiatur in eo indifferentia contradictionis, qua nempe actus ſuos elicere poſſit vel non elicere, ut per ſe patet; ergo ad eſſentiam libertatis pertinet maxime indifferentia contradictionis.

Reſpondeo 3. indifferentiam contrarietatis non requiri ad eſſentiam libertatis. Siquidem illud non requiritur ad eſſentiam libertatis, ſine quo eſſe poteſt & concipi liberum arbitrium: atqui ſine indifferentia contrarietatis eſſe & concipi poteſt liberum arbitrium; quia & in Deo & in Chriſto eſt liberum arbitrium, tametſi non reperiatur indifferentia contrarietatis ad bene aut male agendum; ergo ad eſſentiam libertatis arbitrii non pertinet indifferentia contrarietatis. Quapropter S. Auguſtinus, ut jam a nobis obſervatum eſt, lib. 1. operis imperf. cap. 105. acriter inſurgit in Julianum quod libertatis naturam explicaret per poteſtatem indifferentem ad bonum & malum: *Liberum non eſt*, inquit, *niſi quod duo poteſt velle, id eſt, bonum & malum. Liber ergo Deus non eſt qui malum non poteſt velle, de quo etiam ipſe dixiſti, Deus niſi juſtus eſſe non poteſt. Siccine Deum laudas ut ei auferas libertatem?*

Extat tamen in nobis viatoribus ejuſmodi indifferentia contrarietatis, ad bene vel male agendum, ſeu, quod idem eſt, potentia peccandi, quæ licet non ſit

ſit pars eſſentialis pertinens ad rationem libertatis, ut libertas eſt, ad eam tamen pertinet, quatenus eſt in voluntate creata quæ ex natura ſua defectibilis eſt, ut eleganter obſervat S. Hieronymus Epiſt. 146. his verbis: *Solus Deus eſt in quem peccatum non cadit, cætera cum ſint liberi arbitrii in utramque partem ſuam poſſunt flectere voluntatem*.

De proprietatibus Actuum humanorum.

POſtquam fuſe ſatis a nobis dictum eſt de principiis actum humanorum, nimirum de intellectu, de voluntate & de libertate, ſupereſt impræſentiarum ut eorumdem proprietates & affectiones diſcutiamus, eæ ſunt bonitas & malitia, de quibus hæc pertractanda nobis veniunt.

Primo. An omnis actus humanus ſit bonus vel malus moraliter, num vero detur aliquis indifferens.

Secundo. Poſito quod nullus detur actus indifferens, ſed omnis actus ſit bonus vel malus, a quo repeti debeat ejusmodi bonitas aut malitia.

Tertio. Præſuppoſito quod bonitas & malitia actuum humanorum repetatur ab objecto, fine & circumſtantiis; iterum quæritur utrum advertentia ad legem & malitiam operis ſit neceſſaria ad peccatum; ita ut ea ſublata peccatum ſit duntaxat Philoſophicum.

An dentur actus indifferentes.

AGitur in propoſita controverſia de actibus humanis, hoc eſt, ex ratione & judicio ab homine profectis; certum eſt enim multas noſtras actiones, ſi ſint, ut ajunt, indeliberatæ, in genere moris eſſe plane indifferentes ob defectum libertatis quæ ad bonitatem vel malitiam operis neceſſario requiritur.

Actus porro humanus dupliciter conſiderari poteſt, ſcilicet in ſpecie, vel in individuo. Actus humanus in ſpecie conſideratus, eſt actus humanus in genere ſpectatus & comparate ad objectum duntaxat, præſcindendo a fine & cæteris circumſtantiis, ut colere parentes, furtum facere, deambulare: ſi enim hæc ſumantur generatim & ſeorſim a fine quo fiunt & circumſtantiis quæ ejuſcemodi actiones comitantur, ſunt actus humani *in ſpecie conſiderati*. Ratio eſt quia actus humanus ſpeciem ſuam deſumit ab objecto, ut mox dicturi ſumus; ita ut *in ſpecie* dicatur bonus, ſi objectum ſit rectæ rationi conſentiens, ut actus quo parentes coluntur, quia ejus objectum ſunt parentes ut colendi; *in ſpecie* dicatur malus, ſi objectum rectæ rationi adverſetur, ut furtum facere; ac denique *in ſpecie* appelletur indifferens, ſi objectum per ſe nihil includat regulis morum conſentiens vel diſſentiens, ut deambulare.

Actus humanus *in individuo* ſpectatus, eſt actus quidam ſingularis & individuus comparate ad objectum, finem & circunſtantias conſideratus, qualis eſt occiſio Holofernis a Juditha, proditio Chriſti a Juda.

Hic porro quæſtio non eſt de actibus humanis *in ſpecie* conſideratis, fatentur enim omnes dari actus humanos plane indifferentes in ſpecie, qui nempe nec ſint boni nec mali ſecundum ſpeciem; ut levare feſtucam, fricare manum, & alia ejuſcemodi quæ per ſe & ſecundum ſe ſeorſim a fine quo fiunt ſpectata, nihil continent boni vel mali moralis, quandoquidem eorum objectum de ſe non pertinet ad mores, in quem ſenſum hæc ſcribit S. Hieronymus Epiſt. 89. cap. 5. *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi ſtercora, capitis naribus purgamenta projicere, ſputis rheumata jacere, hoc nec bonum nec malum*

lum eſt. Unde quæſtio eſt ſolummodo de actibus humanis *in individuo* ſpectatis, hoc eſt, prout verſantur circa aliquod determinate objectum, ex certo quodam fine fiunt, & in certis circunſtantiis.

Sic vero quamplurimos dari actus indifferentes aperte docuerunt nonnulli Theologi, ut Scotus, Alexander, Gabriel, Gregorius Ariminenſis, Almainus, & Vaſquezius, cæteris vulgo refragantibus, quorum ſententiam nos vehementer amplectimur: quocirca ſit

CONCLUSIO.

Omnis actus humanus *in individuo* ſpectatus vel bonus eſt vel malus moraliter, adeoque nullus datur plane indifferens.

Ratio eſt, quia actus humanus *in individuo* ſpectatus cenſetur quævis actio noſtra quæ fit a nobis ex aliquo fine, propter aliquem finem: ſed omnis actio quæ fit propter aliquem finem, eſt neceſſario bona vel mala, nullaque datur indifferens: ſiquidem actio quæ fit propter bonum finem bona eſt moraliter, actio quæ fit propter malum finem mala eſt: ſed omnis actio quæ fit propter aliquem finem, vel fit propter bonum vel propter malum; vel enim fit propter Deum, ita ut voluntas hominis conquieſcat in Deo tanquam in fine ultimo; vel fit propter creaturam, ita ut proinde voluntas ultimo quieſcat in creatura; neque enim videtur aſſignari poſſe medium inter utrumque illum finem: ſed actio quæ fit propter Deum, fit propter bonum finem, adeoque bona eſt, ut fatentur adverſarii; actio vero quæ fit propter creaturam tanquam finem ultimum, fit propter malum finem, adeoque mala eſt; ſiquidem nefas eſt aut ſaltem rectæ rationi minime conſentiens creaturam ſuæ actionis ultimum finem & terminum conſtituere, ac proinde conquieſcere in creatura, frui creatura; poſtulat enim ordo naturalis rerum in recta ratione fundatus, ut ſcilicet utamur utendis & fruamur fruendis, hoc eſt, ut creaturis utamur, Deo vero fruamur: nunquam vero fruamur utendis: ſed ſi poſſet quis creaturam tanquam finem ultimum ſuæ actionis conſtituere, tunc frueretur utendis, nempe creatura; igitur omnis actio vel fit propter Deum tanquam finem ultimum in quo conquieſcat, & ideo bona eſt; vel fit propter creaturam in qua quieſcat voluntas, ideoque mala eſt; ac proinde nulla prorſus datur quæ ſit plane indifferens.

Id porro vel manifeſte confirmare videtur Chriſtus Dominus, cum ait Matth. cap. 12. nos rationem reddituros de quolibet verbo otioſo: *Dico autem vobis*, inquit, *quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. Ex quibus hic confici poteſt ſyllogiſmus; ſi qua daretur actio indifferens, maxime verbum otioſum: atqui verbum otioſum non eſt actio indifferens, ſed mala: ea quippe actio mala eſt, de qua rationem ſumus reddituri in die judicii; tunc enim ſolummodo reddemus rationem, aut de bonis operibus ut præmium conſequamur; aut de malis, ut puniamur; nemo autem, ut puto, dixerit verbum otioſum eſſe vel deſignari ut bonum in hoc Scripturæ teſtimonio; ſequitur itaque verbum otioſum eſſe malum non indifferens; quod & ipſum docent omnes fere Patres, S. Irenæus lib. 4. cap. 31. Tertullianus lib. de Patientia cap. 4. S. Hilarius Can. 12. in Matth. S. Chryſoſt. Homil. 43. in Matth. S. Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 1. Cæſarius Homil. 30. Euthimius, Theophilactus, &c. Quod ſi autem verbum otioſum dici non poteſt indifferens, cum nempe attenditur ad finem in quo prolatum eſt qui bonus & honeſtus eſſe non ſolet, quia non refertur ad Deum, quænam tandem actio exiſtimari poſſit indifferens plane non video.

Hoc argumento uſus eſt S. Thomas, cum & hanc ſuam, quæ noſtra eſt, ſententiam defendit 1. 2. q. 18. art. 9. his verbis: *Sed contra eſt quod Gregorius dicit in quadam Homilia, otioſum verbum eſt quod utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis aut piæ utilitatis caret; ſed verbum otioſum eſt malum, quia de eo reddent homines rationem in die judicii, ut dicitur Matth. 12. Si autem non caret ratione juſtæ neceſſitatis aut piæ utilitatis, eſt bonum aut malum; pari ergo ratione & quilibet alius actus vel eſt bonus vel malus; nullus ergo individualis actus eſt indifferens.*

Denique & eandem ſententiam longe antea expreſſe tradiderat S. Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. *Quanquam voluntas*, inquit, *mirum ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona nec mala ſit. Aut enim juſtitiam diligimus, & bona eſt; & ſi magis diligimus, magis bona; ſi minus, minus bona eſt; aut ſi omnino non diligimus, non bona eſt. Quis vero dubitet dicere voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem, non modo eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona eſt aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, reſtat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo*; ubi cum nullum admittit medium inter bonam voluntatem & malam, aperte indicat ſe nullum admittere actum moralem *in individuo* indifferentem.

Objicies: Innumera prope ab hominibus fiunt opera, quæ profecto nec ſunt bona nec ſunt mala, qualia nempe in exemplum adduxit S. Hieronymus loco ſupra citato, ambulare, digerere alvi ſtercora, capitis purgamenta naribus projicere, ſputis rheumata jacere, quamvis fiant cum deliberatione & ex aliquo fine; ita tamen ut hæc opera ſolum velit homo gratia ipſorum quatenus naturæ commoda, ut frigus, rheumata & quid ſimile depellat, nec ullam rationem honeſtatis conſideret; hæc, inquam, opera nec ſunt bona nec mala moraliter: primo non ſunt bona, ſiquidem non fiunt ex motivo honeſtatis, ſed propter ſolam naturæ commoditatem; unde non ſunt laude digna & vitæ æternæ meritoria; nemo enim neſcit opus laudabile & bonum in genere moris fieri debere propter ipſam honeſtatem virtutis. Secundo ejuſmodi opera non ſunt mala moraliter, tum quia non fiunt ex pravo fine, ut dictum eſt; tum quia ſi eſſent mala moraliter ſeu peccata, eſſent ſufficiens materia confeſſionis, cui impendi poſſet abſolutio ſacramentalis: quis autem non rideret, inquit Vaſquez, ſimilem confeſſionem, ſi pœnitens ſolum confiteretur ſe deambulaſſe aliquantulum ut depelleret frigus, & fricaſſe manus eadem de cauſa; ſe ſputis rheumata projeciſſe, ut purgaret naturam quam aliquo modo oneratam ſentiebat, & alia id genus. Reſtat igitur, inquit, ut hæc opera in individuo maneant indifferentia, ſiquidem nec mala nec bona eſſe poſſunt.

Diſt. maj. Innumera citari poſſunt opera indifferentia, ſi conſiderentur in ſpecie, C. ſi conſiderentur in individuo, N. eſto igitur ejuſmodi hominum actiones ſint indifferentes *in ſpecie* nimirum conſideratæ, hoc eſt, cum attenditur ſolum in genere ad naturam illarum, & comparate ſolum ad objectum, ſeorſim a fine & circunſtantiis, quia, ut ſupra jam a nobis expoſitum eſt, actiones ſic ſpectatæ ſuam moralitatem nondum induerunt; adeoque nec bonitatem habent nec malitiam moralem: Sed amplius indifferentes dici non poſſunt, cum ſpectantur *in individuo*, hoc eſt, prout ex aliquo fine, & certis fiunt circunſtantiis; quæram etenim an fiant propter bonum finem, aut propter malum; an propter Deum aut propter creaturam; ſi actio facta eſt propter Deum adeoque propter bonum finem, bona eſt (poſitis nempe ponendis); ſi facta eſt propter creaturam tanquam finem ultimum, mala eſt adeoque declaranda in confeſſione

ſacra-

ſacramentali : Id, inquam, liceat quærere de qualibet actione hominis, quæ vel maxime indifferens de ſe & ex genere ſuo eſſe videtur; quales nimirum reputari poſſunt actiones quæ citantur in exemplis adductis.

Atque hoc pacto reſponderi debet teſtimonio S. Hieronymi, ex quo ſolum ſequitur eſſe aliqua opera indifferentia *in ſpecie;* hæc enim quæ appellat in præfatis exemplis, non ſpectat *in individuo*, quatenus ex certo fine fierent & in certis circunſtantiis, ſed ſolummodo comparate ad ſuum objectum: *Bonum eſt*, inquit, *continentia*, *malum luxuria*, nimirum ſecundum ſpeciem, *inter utrumque indifferens eſt ambulare*, ſcilicet in ſpecie; quemadmodum enim continentiam & luxuriam accipit Hieron. in genere & quoad ſpeciem; ita deambulationem aliaſque actiones quas appellat indifferentes.

Nec obſtat quod ait Hieronymus verbis immediate ſequentibus, *ſive enim feceris*, *ſive non feceris*, *nec juſtitiam habebis nec injuſtitiam*, ex quibus colligit Vaſquez S. Hieronymum hæc opera ſpectare in individuo; ſiquidem ſolum probat S. Doctor ejuſcemodi actiones non eſſe præceptas & ſine peccati omitti poſſe, quod veriſſimum eſt.

Inſtabis : Supponatur actio bona in genere ſuo & ſecundum ſpeciem, actio, v. g. qua quis vult dare eleemoſynam, ſi actu vel habitu non referatur in Deum, ut revera accidere poteſt, non eſt actio bona; nec etiam mala eſt, quia non eſt de objecto prohibito; ergo dari poteſt actio quæ nec ſit bona nec mala, proindeque indifferens; ita Gregorius Arim. & Almainus.

Nego ant. & dico ejuſmodi actionem eſſe malam propter rationes ſuperius allatas; ſiquidem eſt actio per quam homo conquieſcit in creatura tanquam in fine ultimo: eſt autem recto rerum ordini rectæque rationi contrarium, ut creatura ſit finis ultimus alicujus actionis creatæ, quia Deus omnia propter ſemetipſum operatus eſt; quocirca licet illa actio non ſit de objecto prohibito, iis tamen induitur circunſtantiis quæ actionem efficiunt malam & prohibitam eo nempe nomine quod non refertur ad Deum & per eam ſiſtitur in creatura.

Inſtabis: ſequitur ex illa reſponſione nos teneri omnes actus noſtros ad Deum referre: Atqui non tenemur omnes actus noſtros ad Deum referre: id enim ſi ita eſſet, vel lege naturali vel aliquo legis poſitivæ præcepto: ſed neque lege naturali, neque ullo legis poſitivæ præcepto tenemur omnes & ſingulos actus noſtros ad Deum referre: non quidem lege naturali, ejuſmodi enim lex nemini foret ignorata, aut ſaltem a nullo Theologo negaretur: Neque etiam præcepto legis poſitivæ, nullum enim extat præceptum de omnibus ac ſingulis actionibus noſtris ad Deum referendis, quod ſaltem fuerit vel etiam Chriſtianis ſufficienter promulgatum; ergo.

Nego min. Ad eum quippe tenemur omnes actus noſtros referre qui eſt rerum omnium cauſa prima, a quo omnia accepimus, & qui cuncta propter ſemetipſum operatus eſt: Atqui Deus eſt prima rerum omnium cauſa, nos ipſi ab eo omnia accepimus; is vero cuncta propter ſemetipſum operatus eſt, alpha & omega, principium & finis, ut teſtantur Scripturæ ſacræ; ergo tenemur omnes & ſingulos actus noſtros referre ad Deum.

Atque ad id tenemur & lege naturali & lege poſitiva: 1. lege naturali; poſtulat enim naturalis ordo, lex naturalis, recta ratio, ut ad eum tanquam finem ultimum referamus quæ ab eo accepimus: ſed omnia accepimus a Deo; ergo titulo juſtitiæ & lege naturali tenemur omnes actus noſtros referre ad Deum, idque profecto nemini homini ignotum eſſe poteſt, niſi vel volens cæcutire velit; ſiquidem, ut diximus, illud dictat ratio ipſa juſtitiæ omnium cordibus inſculpta. 2. Tene-

mur lege poſitiva, nempe hoc primo Decalogi præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, *&c.* Hoc enim mandato quod Deuteronomii cap. 6. legitur, renovatque Chriſtus Dominus Matth. 12. tenemur Deum diligere ſuper omnia; ſed non poſſumus Deum diligere ſuper omnia, quin illum conſtituamus finem ultimum omnium noſtrarum actionum; ergo tenemur lege poſitiva divina omnes actiones noſtras ad Deum referre.

His accedunt nec parum favent quæ ſcribit Apoſtolus I. ad Cor. c. 10. his verbis, *Sive ergo manducatis*, *ſive bibitis*, *ſive aliud quid facitis*, *omnia in gloriam Dei facite;* aliquis autem, inquit S. Baſilius in brevior. Regula 196. manducat & bibit ad gloriam Dei, ſi comeſtionem & potum referat ad laudem Dei, non quærens cibi voluptatem, ſed ordinans eam & offerens ad Dei gloriam: Id porro præcepti eſſe non conſilii putat S. Thomas 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2.

Inſtabis: Ad id non tenemur præcepto legis naturalis, quod omni homini eſt plane impoſſibile: ſed impoſſibile eſt omnes & ſingulos actus noſtros ad Deum referre; eſt enim, inquit S. Bonaventura, impoſſibile in hoc ſtatu diſtractionis de Deo cogitare in omnibus & ſingulis actibus; ergo ad id non tenemur præcepto legis naturalis.

Diſt. min. Impoſſibile eſt omnes & ſingulos actus noſtros referre ad Deum ex intentione actuali & expreſſa, C. ex intentione virtuali, N. revera aut multum difficile, aut omnino impoſſibile foret omnes & ſingulas actiones noſtras ad Deum referre actualiter & expreſſe, quia nec de Deo ſemper & quolibet inſtanti cogitare poſſumus; ſed impoſſibile non eſt ut omnes & ſingulas actiones noſtras referamus ad Deum ex intentione virtuali, hoc eſt, virtute prioris actus quo expreſſe ejuſmodi actiones ad Deum tanquam finem ultimum ſemel direximus; idque ſedulo & accurate præſtant Chriſtiani, cum ſemel in die vitæ ſuæ ſummam Deo conſecrant, ſuaſque omnes & ſingulas cogitationes ipſi offerunt, quod non modo poſſibile, ſed & facillimum eſt.

Inſtabis: Eo præcepto non tenemur omnes & ſingulas actiones noſtras referre ad Deum quod non obligat ſemper & in omne tempus: Atqui præceptum illud de referendis actionibus noſtris ad Deum, non obligat ſemper & in omne tempus; nam præceptum affirmativum non obligat ſemper & in omne tempus, pro quolibet inſtanti; in eo ſiquidem differt a præcepto negativo: Atqui præceptum de referendis ſingulis actionibus noſtris ad Deum, eſt affirmativum, quandoquidem his exprimitur verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* igitur, &c.

Nego minor. ad cujus probationem diſt. Præceptum affirmativum non obligat ſemper & in omne tempus, abſolute loquendo, C. hypothetice, N. revera præceptum affirmativum non obligat ſemper & pro quolibet inſtanti & abſolute loquendo, quia non tenemur ſingulis vitæ noſtræ momentis id facere quod illo mandato præcipitur; unde non tenemur, v. g. ſingulis momentis per actus explicitos & expreſſos Deum adorare, parentes noſtros colere; cum contra præceptum negativum obliget ſemper & in omne tempus, etiam abſolute loquendo, qualia ſunt iſta, *Non furaberis*, *non occides*, quatenus nunquam & in nullo inſtanti licet furari vel occidere: Sed præceptum affirmativum obligat ſemper & in omne tempus hypothetice loquendo, hoc eſt ex facta hypotheſi quod agamus; tunc enim propter Deum tanquam propter finem ultimum, & ad ejus gloriam agere debemus.

Inſtabis: Durior prorſus videtur eſſe ea ſententia, qua poſita nemini unquam

quam liceat agere propter finem aliquem creatum; adeoque non liceat, v. g. manducare & bibere propter vitæ ſuſtentationem, deambulare ad frigus depellendum, & alia hujusmodi; ergo non tenemur omnes & ſingulos actus noſtros ad Deum referre.

Diſtin. ant. Propter finem aliquem creatum tanquam finem intermedium, C. tanquam finem ultimum, N. id unum itaque contendimus impræſentiarum nemini licitum eſſe agere propter finem aliquem creatum tanquam finem ultimum, quaſi in ullo fine creato ſiſtat & conquieſcat ſine ullo ordine ad Deum; tunc enim violaretur juſtitia Deo debita, cui nempe tolleretur ratio finis ultimi; creatura propter ſe expeteretur, conſtitueretur finis ultimus actionis creatæ. Neque profecto durior cenſeri debet & in praxi difficilis iſthæc ſententia, quia per nos licet agere propter finem creatum tanquam finem intermedium, ambulare delectationis cauſa, manus fricare ad depellendum frigus, &c. modo iſta fiant propter Deum tanquam propter finem ultimum; ut enim ait Apoſtolus, *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*.

Inſtabis: Si tenemur omnes & ſingulos actus noſtros referre ad Deum, omnia opera infidelium eſſent mala moraliter, adeoque totidem peccata; nuſpiam enim poſſunt infideles ſuas actiones referre ad Deum, quem plerumque non norunt: Atqui tamen omnia infidelium opera non ſunt mala, ut dictum eſt in Tractatu *de gratia Dei*; ergo non tenemur omnes & ſingulas actiones noſtras ad Deum referre.

Diſt. mai. Omnia opera infidelium eſſe mala moraliter, ut plurimum & fere ſemper, C. ſemper abſolute, N. fatemur itaque opera infidelium eſſe ut plurimum ac fere ſingula moraliter mala; quia etſi ratione materiæ & comparate ad objectum ſint quid bonum & laudabile, ut ſi quis inter eos pauperibus ſubveniat, nudos operiat, colat parentes, & alia ejuſcemodi; cum tamen fere ſemper agant ex pravo fine, aut ad proprium commodum tanquam finem ultimum, aut ad vanagloriam, vel aliud quodcunque motivum illicitum; unde fit ut illorum opera moraliter ſint mala, ut fuſe atque eleganter ſcribit S. Auguſtinus lib. 4. contra Jul. cap. 3. *Noveris*, inquit, *non officiis, ſed finibus a vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem quod faciendum eſt, finis vero propter quod faciendum eſt; cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens, fines ab officiis ſeparaſti, & virtutes veras, officia ſine finibus appellandas eſſe dixiſti .... Siquidem manus abſtinere ab alieno, ſi officium cogites, poteſt videri eſſe juſtitia; ſed cum quæritur quare fiat, & reſpondetur ne plus pecuniæ litibus pereat; quomodo jam hoc factum veræ poterit eſſe juſtitiæ, cum ſerviat avaritiæ?* Et poſtea. *Poſſunt ergo aliqua bona fieri non bene facientibus, a quibus fiunt. Bonum eſt enim ut ſubveniatur homini periclitanti, præſertim innocenti; ſed ille qui hoc facit, ſi amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit.* Sed negamus omnia & ſingula infidelium opera ſemper & abſolute loquendo eſſe mala; quia nil vetat quominus quidam ex infidelibus ſuas actiones quoad officium & materiam laudabiles quoquo modo ad Deum referant tanquam auctorem naturæ; quia ex cauſa docuimus in Tractatu noſtro *de Gratia Dei* non omnia penitus ac ſingula infidelium opera eſſe peccata, innixi potiſſimum auctoritate S. Pauli Ethnicos

quoſ-

quoſdam obiurgantis ad Rom. cap. 1. quod Deum, quem ex hujus mundi conſpectu noverant, honore debito non colerent, veramque juſtitiam non ſectarentur; ubi proinde ſupponit Apoſtolus illos potuiſſe ſola natura duce bene agere in ordine naturali; quocirca id unum ex hac noſtra ſententia colligi poterit quædam infidelium opera non eſſe peccata, adeoque bona in ordine naturali; ſed inde non ſequitur dar actus indifferentes qui nec ſint boni nec mali.

Objicies: Tam datur actio indifferens *in individuo*, quam omiſſio indifferens: Atqui datur omiſſio indifferens, puta omiſſio actus minime imperati, omiſſio recitationis Breviarii a Laico; igitur dari poteſt actio indifferens.

Nego maj. & par. Ratio diſparitatis eſt, quia pura omiſſio actus imperati nulla ex parte pugnat cum juſtitia, nullum violat jus, nemini facit injuriam; fit enim ſine ullo voluntatis actu: At vero ſi admittatur actio indifferens *in individuo* ad ſenſum adverſariorum, ejuſmodi actio Deo facit injuriam, pugnatque cum juſtitia, quæ nimirum poſtulat ut Deus, qui eſt principium & cauſa rerum omnium, ſit quoque & earum finis ultimus; homo per omiſſionem puram poſitive non fruitur creatura, nullum enim voluntatis actum exercet; ſed per actum indifferentem qui ad Deum non refertur, poſitive frueretur creatura, quam ſcilicet ſuæ actionis finem ultimum conſtitueret.

Dixi *puram omiſſionem* actus imperati, hoc eſt, omiſſionem quæ fit ſine ullo voluntatis actu; ſi enim ſermo ſit de omiſſione quæ ab expreſſa voluntatis determinatione proficiſceretur, ſic nulla ſimiliter daretur omiſſio indifferens *in individuo*; quicumque enim deliberate & cum expreſſo voluntatis exercitio vult aliquem actum tametſi minime imperatum omittere, id præſtare debet propter bonum finem, cujus ſaltem Deus ſit finis ultimus; quilibet enim voluntatis actus fieri debet propter Deum, ut ſatis ſuperque oſtenſum eſt.

Objicies: Ex conceſſis datur actio humana indifferens *in ſpecie*; ergo admitti debet indifferens *in individuo*. Patet conſequentia; quia nimirum nulla eſt natura *in ſpecie*, quæ non habeat aliquod individuum, in quo ratio ejus maneat & non deſtruatur per contrariam; unde cum detur actio humana indifferens ſecundum ſuam naturam & ſpeciem, habere debet aliquod individuum, ac proinde aliqua poterit eſſe actio individua & ſingularis quæ maneat indifferens.

Diſt. ant. Nulla eſt natura *in ſpecie* quæ non habeat aliquod individuum, in quo ratio ejus maneat, ſecundum quid & quoad aliqua, C. ſimpliciter & quoad omnia, N. Verum eſt igitur, ut docet dialectica, rationem ſpeciei manere in individuo quoad aliqua attributa, non autem ſimpliciter quoad omnia; ſic, verbi gratia, natura ſpecifica hominis manet in Petro quoad aliqua, quoad nempe animalitatem & rationalitatem; ſed non manet quoad omnia, puta quoad ejus univerſalitatem; natura enim humana non eſt univerſalis in Petro; quamobrem licet conveniat actioni humanæ in ſpecie, ut ſit indifferens ad bonitatem vel malitiam; tamen id non convenit actioni humanæ in individuo, ſed quælibet in individuo bona eſt vel mala; quemadmodum numerus in genere nec eſt par nec impar; quilibet vero numerus in individuo eſt neceſſario par vel impar.

Unde

Unde repetatur bonitas & malitia actuum humanorum.

ACtiones humanæ dicuntur *morales*, quando conſiderantur comparate cum regulis morum, hoc eſt, cum lege & ratione humana ſeu conſcientia; an vero ejusmodi moralitas cum libertate confundi debeat, actuſque humani dici debeant morales, ex eo præciſe quod a libera voluntate cum perfecto libertatis exercitio proficiſcuntur, ut nonnulli Theologi contendunt; an vero moralitas ſit denominatio extrinſeca quæ a lege, libertate, aut alia forma intrinſeca petatur, ut docent alii; an denique poſito quod ſita ſit in relatione actuum humanorum ad ſuam regulam, hæc relatio ſit realis vel rationis tantum, prædicamentalis vel tranſcendentalis, quæſtiunculæ ſunt, quas vel ſummatim tractare animus non eſt, nec otium.

Porro cum omnis actio humana moraliter ſumpta, nimirum per reſpectum ad morum regulas, ſit bona vel mala; quia ſi cum illis conſentiat, bona eſt; ſi vero ab illis diſſentiat, mala eſt. Quæritur a quo hæc bonitas & malitia repeti debeat, an ab objecto, vel a fine, vel a circunſtantiis, vel ab iſtis ſimul; cum regulis enim morum, lege nempe ſeu divina, ſeu humana & recta ratione conferri debet actus humanus, tum ratione objecti, tum ratione finis, tum ratione circunſtantiarum.

CONCLUSIO.

Bonitas & malitia moralis actuum humanorum repeti debet ab objecto, fine & circunſtantiis. Siquidem ab eo repeti debet actuum humanorum bonitas & malitia, a quo actus humani cenſentur & revera ſunt boni & mali: Sed actus humani & cenſentur & revera ſunt boni vel mali propter objectum circa quod verſantur, propter finem qui intenditur ab operante & propter circunſtantias quæ actionem comitantur, ut patet inductione facta cujuslibet actus humani.

Ac primo quidem ab objecto non quidem phyſice, ſed moraliter ſpectato; actus quippe ſpeciem ſuam deſumit ab objecto circa quod verſatur; quia eſt ad objectum ut via ad terminum: Sed actus humanus ſpeciem ſuam deſumere non poteſt ab objecto, quin ſuam deſumat bonitatem & malitiam; quæ ſunt partes actibus humanis veluti eſſentiales; ergo actus humani ſpeciem ſuam deſumunt ab objecto, quin & nonnunquam ſuum ab eo nomen accipiunt: homicidium enim ſic dicitur ab homine occiſo. Unde ſic de malitia actus humani loquitur S. Thomas q. 18. art. 2. *Sicut*, inquit, *in naturalibus primum malum eſt, ſi res genita non conſequitur fo,mam ſpecificam, puta ſi non generetur homo; ita primum malum in actionibus moralibus eſt quod eſt ex objecto.*

Diximus actum humanum ſpeciem ſuam deſumere ab objecto moraliter ſpectato, non phyſice; certum eſt enim duos actus humanos, quorum unus eſt moraliter bonus, alter vero malus, verſari plerumque circa idem objectum phyſice conſideratum; eadem enim pecuniæ ſumma poteſt eſſe objectum furti & reſtitutionis; quapropter objectum actus humani ſumi debet moraliter, hoc eſt cum reſpectu ad mores humanos & ad eorum regulas.

Id porro intelligitur, ut per ſe patet, de objecto quod eſt de ſe bonum aut malum; quando enim objectum nec de ſe bonum eſt nec malum, ſed indifferens, quod plerumque accidit, tunc neceſſe eſt, ut actus humanus vel a fine vel ab aliqua circunſtantia bonitatem vel malitiam accipiat.

Secundo, actus humani ſuam bonitatem & malitiam deſumunt a fine: actus

actus quippe moralis bonus eſt, ſi exerceatur propter bonum finem; malus ſi propter malum finem; & præterea actus ex objecto bonus, eo præciſe redditur moraliter malus, quod fit ex malo fine; ſi quis enim vel Deum oraret, vel inopi eleemoſynam erogaret propter vanam gloriam, vel alium quemcunque illicitum finem, tunc male ageret, quoniam ſcilicet actus humanus, qui, cum fiat ab homine rationis compote, propter finem exerceri poſtulat, non ſpecificatur ab objecto niſi propter finem.

Tertio demum actus humani ſuam bonitatem & malitiam deſumunt a circunſtantiis; adeo ut circunſtantia plerumque mutet ſpeciem actionis; unde furari aliquid de loco ſacro non dicitur ſimplex furtum, ſed ſacrilegium: Ejuſmodi circunſtantiæ ſunt locus, tempus & modus quo fit actio. Ubi notandum eſt quaſdam eſſe circunſtantias quæ ad bonitatem vel malitiam alicujus actionis neutiquam conferunt, ut ſi quis vel manu dextra vel ſiniſtra percutiat hominem; alias vero quæ actionem vel reddunt laudabiliorem vel pejorem.

Eſt autem id diſcriminis inter bonum & malum, quod ad bonitatem alicujus actionis requiritur, ut hæc tria, ſcilicet objectum, finis & circunſtantiæ, ſimul confluant; adeo ut actio non poſſit eſſe bona moraliter, niſi ſimul habeat objectum bonum, bonum finem & legitimas circunſtantias; *bonum* enim ex recepto axiomate *ex integra cauſa*; ad malitiam vero actionis ſufficiat, ut unum ex illis tribus ſit malum, quia *malum ex minimo defectu*, ut fuſius oſtendemus in Tractatu de peccatis.

Utrum ad peccandum requiratur advertentia ad malitiam peccati, ubi & de peccato Philoſophico.

Quandoquidem examinamus, prout res poſtulat, unde repeti debeat bonitas & malitia actuum humanorum, prætermittere non poſſumus celeberrimam hanc quæſtionem, quæ paucis abhinc annis tanto cum æſtu inter Theologos agitata eſt, an ſcilicet ad peccandum formaliter & Theologice, ut ajunt, hoc eſt peccato quod peccanti imputetur, & mereatur, ſi mortale ſit, pœnam æternam, requiratur advertentia operantis ad malitiam peccati, vel etiam ad offenſam Dei.

Obſervandum primo non omnino idem eſſe *ignorantiam* & *inadvertentiam*; ignorantia enim proprie loquendo eſt privatio omnis ſcientiæ etiam habitualis; inadvertentia autem reperiri poteſt cum ſcientia habituali, & actualem tantum ſcientiam, aut potius attentionem excludit, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 77. art. 2. his verbis: *Nihil prohibet aliquid ſciri in habitu, quod tamen actu non conſideratur*. Quapropter etſi jam fuſe admodum & copioſe a nobis oſtenſum eſt, ea quæ fiunt contra legem ex ignorantia (vincibili nempe) eſſe vera peccata, vereque hominibus imputari; nihilominus tamen & idem præſtabimus de iis quæ fiunt ex inadvertentia, quanquam, ut cordate fatebor, duo hæc in præſenti caſu multum habeant affinitatis.

Obſervandum ſecundo advertentiam, quæ nihil eſt aliud quam intentio animi ad id quod agitur, duplicem vulgo diſtingui: alia eſt actualis ſeu expreſſa; alia eſt virtualis ſeu interpretativa. Advertentia actualis eſt & expreſſa, quando actu clare & diſtincte de eo cogitatur quod agitur; advertentia autem virtualis & interpretativa, varie accipitur ab iis qui docent eam requiri ad pec-

peccandum formaliter : quidam enim dicunt ejusmodi advertentiam in eo conſiſtere, quod dum peccatur, aliquis ſaltem ſuboriatur ſcrupulus vel dubium de malitia actionis; ita ut, ſi nullum contingat dubium, nullo modo cenſeatur adverti peccati malitia nequidem virtualiter, & ideo non peccetur formaliter : hæc advertentia melius, ut puto, diceretur actualis; quia nempe eſt verus dubitantis actus an actio ſit mala necne. Volunt alii in eo poſitam eſſe advertentiam virtualem, quod aliqua ſaltem adſit homini, cum peccat, notitia, non quidem rei illius quam ignorat, ſed ſaltem principii cujusdam univerſalioris, ex cujus cognitione depellere poſſet ignorantiam qua tunc laborat.

Quid ſit hæc advertentia virtualis poſteriori ſenſu accepta fateor lubens me non intelligere; nam ex eo quod aliquis probe noverit generale aliquod principium, puta *bonum eſſe faciendum*; vel *a malo declinandum*, nihil propterea ei accedit notitiæ in aliqua particulari actione quam exercet, niſi ex illius generalioris principii notitia ei ſuprepat aliquod dubium vel ſuſpicio de malitia actionis; quo poſito, illa advertentia virtualis coincidit cum priori, & reapſe eſt advertentia actualis : eſt enim actus dubitantis an actio ſit mala necne: quod ſi dicatur ad ejuſmodi advertentiam virtualem ſatis eſſe, ſi ex generaliori principio ſemel cognito poſſit homo devenire in notitiam bonitatis vel malitiæ ſuæ actionis, ſi nimirum attendere vellet, ſi accurate & diligenter veritatem inquireret, quantumvis actu & de facto non advertat; profecto nihil erit quod in illa ſententia redarguere poſſimus; fatemur enim ad peccandum formaliter requiri ejuſmodi advertentiam virtualem, in eo nempe ſitam quod poſſit quis advertere, quamvis de facto non advertat; ita ut quod hic & nunc non advertat, ejus culpa ſit : verum aliam longe advertentiam, quæ nimirum ſit actualis & expreſſa, aut ſaltem virtualis priori ſenſu mox adducto, poſtulant quamplurimi Theologi quos hic impugnamus.

Atque ut nemini hoc in negotio quidquam videamur imponere, utque clare & nitide proponatur ſtatus præſentis quæſtionis, operæ pretium mihi facturus video, ſi verba ipſiſſima quorumdam ex illis Theologis accurate hic referam.

Sic inter alios, v. g. loquitur Vaſquez 1. 2. diſp. 107. cap. 3. *Omnes ergo quos ſtatim allegabo in hoc unum conſpirant, ut nullum ſit mortale peccatum in voluntatis conſenſu, niſi cogitatio aliqua præceſſerit & conſideratio expreſſa quam vocant actualem malitiæ moralis vel periculi, vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio ſeu ſcrupulus; itaque ut quis peccet mortaliter, debet conſiderare vel dubitare, vel opus illud eſſe malum, vel ibi eſſe periculum malitiæ illius vel ſcrupulum ſaltem aliquem habere: quod ſi nihil horum præceſſerit, inconſiderantiam cenſeri omnino naturalem & conſenſum, quantumvis longo tempore duret, non eſſe mortale peccatum*. Quam ſententiam plurimos antiquiores Theologos tradidiſſe teſtatur.

Sic Georgius de Rhodes tom. 1. diſput. 1. de peccatis q. 1. ſect. 1. parag. 2. *Controverſia*, inquit, *naſcitur inter Theologos celeberrima, utrum peccatum mortale in materia gravi & mortali, v. g. furtum & adulterium eſſet peccatum mortale, dignum æterna pœna & privatione gratiæ, in eo qui Deum & legem æternam ignoraret, vel certe qui actu illam non conſideraret. Tunc enim haud dubie peccatum non haberet rationem offenſæ Dei, haberet tamen rationem peccati*. & poſtea : *Peccatum mortale in iis qui Deum vel omnino ignorant, vel non actu conſiderant, vere nihilominus peccatum eſt grave, ſed nullo tamen modo eſt Dei offenſa, neque peccatum mortale diſſolvens*

Dei amicitiam, *neque dignum æterna pœna*.

Sic Thomas Comptonus Carleton Anglus tom. 1. Theol. Schol. diſp. 104. ſect. 4. *Nunc videndum*, inquit, *quo pacto advertentia ad rationem peccati concurrat*, *& num ſemper requiratur*, *præſertim cum detur peccatum inadvertentiæ*. *Dicendum cum P. Vaſquez hic diſp. 107. Tannero d. 4. q. 5. dub. 5. & communi ſententia ad peccatum omne advertentiam aliquam etiam actualem malitiæ requiri*, *ſaltem per modum ſuſpicionis aut dubii*, *& ad mortale quidem ejuſmodi eſſe debet hæc advertentia*, *ut ſit plena & perfecta*, *ſeu expedita & deliberata*, *ob gravitatem ſcilicet rei*; *eſto veniale peccatum cum minore ſeu ſemiplena advertentia committi poſſit*, *cum cogitatione ſcilicet quadam imperfecta*, *qualis in ſemidormientibus reperiri ſolet*.

Sic & Cardinalis de Lugo tract. de Incarn. diſp. 5. ſect. 5. hac ſibi propoſita quæſtione, *an ſi revera daretur tale peccatum* philoſophicum, *cum illa inadvertentia offenſionis divinæ adhuc eſſet mortale*, refert aliorum Theologorum ſententiam exiſtimantium ejuſmodi peccatum fore mortale, ſuamque opponit his verbis: *Contrariam ſententiam docentem*, *illa hypotheſi data*, *peccatum illud non fore mortale ſecundum gravitatem illam Theologicam*, *quam peccatum mortale importat*, *exiſtimo veriorem*. Et verba faciens de eo qui adulterium aut homicidium commiſit non cogitans de Deo, ſic habet: *Non ergo imputabitur operanti*, *quod offenderet Deum*; *ſed quod occiderit vel mœchatus fuerit*. *Nec Deus indignabitur quod ipſum offenderit*, *ſed propter homicidium vel mœchiam quæ poteſt dici offenſa materialis*, *ut diſtinguatur ab illa alia quæ poteſt dici formalis*, *quatenus contrahit formaliter malitiam offenſionis divinæ*.

Ex quibus perſpicuum fit præſentem controverſiam eſſe adverſus recentiores Theologos de advertentia actuali, non de virtuali, niſi, ut ſupra dictum eſt, virtualis intelligatur coincidere cum actuali; quandoquidem ad peccandum formaliter præfati Scriptores, ut & alii quamplurimi, exigunt advertentiam actualem, expreſſam, plenam & perfectam qua reſpiciatur actionis malitia, vel de Deo actu cogitetur.

Obſervandum eſt ſuper advertentiam ad malitiam actus dupliciter ſpectari poſſe: 1. Ita ut ſolum conſideretur hæc malitia prout præciſe adverſatur rectæ rationi. 2. Ita ut etiam cogitetur malitiam pugnare cum lege divina, & ideo eſſe Dei offenſam. Atque ex his quidem duobus reſpectibus malitiæ actionis nata eſt tam celebris illa diviſio peccati in *Philoſophicum* & *Theologicum*. Peccatum enim Philoſophicum appellarunt illud quod committitur ab homine animum advertente ſolummodo ad rectam rationem, cujus conſideratio Philoſophorum eſt; peccatum vero Theologicum dixerunt illud quod committitur ab homine advertente ad Dei offenſam, cujus nimirum conſideratio ad Theologos pertinet. Peccatum, inquiunt, philoſophice ſpectatum, eſt actus liber moraliter malus ſeu difformis naturæ rationali & rectæ rationi; theologice ſpectatum, eſt actus malus quatenus opponitur legi divinæ; ſic inter cæteros Cardinalis de Lugo docens loco citato peccatum non eſſe Dei offenſam, niſi qui peccat, ad divinam offenſam expreſſe animum advertat: *Objiciunt adverſarii*, inquit, *quia antecedenter ad Dei prohibitionem*, *homicidium*, *v. g. vel adulterium eſt malum mortale grave*. *Reſpondeo*, *grave eſt gravitate Philoſophica*, *non gravitate Theologicam*.

Huic peccati diviſioni, ut merito quidem ſuſpicor, occaſionem dedit S. Thomas, cum 1. 2. q. 71. art. 6. ad 5. hæc ſcribit; *A Theologis conſideratur peccatum præcipue ſecundum quod eſt offenſio contra Deum*: *a Philoſopho autem morali*, *ſecundum quod contrariatur rationi*.

ni. Sed non ideo doctrinæ peccati Philoſophici patronus vel aſſertor haberi debet ſanctus Doctor, quia nuſpiam, ut recentiores Theologi quos impugnamus, docuit eſſe Philoſophicum, quod nimirum non ſit Dei offenſa, nec pœnam æternam mereatur, quando qui peccat vel Deum ignorat, vel de Deo actu peccans non cogitat; his autem præſuppoſitis ſit

Conclusio.

Ad peccandum formaliter & Theologice non requiritur advertentia actualis & expreſſa ad malitiam actionis & ad divinam offenſam; immo nec requiritur virtualis, quæ poſita ſit in aliquo ſcrupulo vel dubitatione.

Id primum aperte declaratur in ſacris Scripturis, quæ adeo non excuſant a peccato ignorantiam Dei & legis, ut contra ipſam aliorum ſcelerum radicem & originem ſignificent; Levitici 5. cap. ſtatuuntur ſacrificia pro illis qui peccaverint ex ignorantia: *Si peccaverit anima per ignorantiam*. Num. 15. *Quod ſi anima neſciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato ſuo, & deprecabitur pro ea Sacerdos quod inſcia peccaverit Domino*. Hanc precem coram Deo fundebat David: *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris*. Pſ. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*; adeoque vel ſincere putavit non eſſe Deum, vel ſaltem a Deo oculos avertit; inde autem pergit Pſalmiſta: *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*. Quibus ſimilia plane ſunt quæ leguntur Pſalm. 9. *Exacerbavit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret. Non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, auferuntur judicia tua a facie ejus*.

Inſuper I. ad Corinth. cap. 4. teſtatur Apoſtolus ſe nullius peccati eſſe conſcium, *nihil mihi conſcius ſum*, quia nullam in ſuis actionibus putabat eſſe malitiam; ſubdit tamen illico, *ſed non in hoc juſtificatus ſum*, ſcilicet non exiſtimabat ſe propterea ab omni culpa immunem & liberum.

Idem Apoſtolus ad Epheſ. cap. 4. verba facit de infidelibus Deum ignorantibus, & quorum tamen ignorantia fuit multorum ſcelerum cauſa: *Hoc igitur dico*, inquit, *& teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam*. Certe ſi ad peccandum formaliter, eo nempe peccato quod lædat Dei amicitiam, pœnamque æternam mereatur, requiritur advertentia ad offenſam divinam, non peccarunt formaliter illi Gentiles de quibus loquitur Apoſtolus, quamvis in omnem immunditiam ſemetipſos tradiderint; in iis enim nulla fuit conſideratio, qui vel ipſum Deum propter cæcitatem cordis ignorarunt.

Poſſunt inſuper ex iiſdem Scripturis innumera proferri exempla ſceleratiſſimorum hominum, qui tametſi ex inconſiderantia, graviſſime tamen peccaverunt. Impudicitiæ malitiam ſuæ profecto non conſiderabant ſenes *qui exarſerunt in concupiſcentiam Suſannæ*: Nam *everterunt ſenſum ſuum; & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum*, Daniel c. 1. 3. Idem merito dici poteſt de Judæis qui Chriſtum morti tradiderunt; neque enim ſciebant quid faciebant: *Pater*, inquit Chriſtus Lucæ 23. *dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt*. Scilicet neſciebant Chriſtum eſſe Meſſiam, neſciebant ſe peccare, putabant illum eſſe morte dignum. Ad malitiam operis tam flagitioſi animum non advertebat divus

Paulus, cum Eccleſiam Chriſti perſequebatur; ait enim ipſe Act. 26. *Et ego quidem exiſtimaveram me adverſus nomen Jeſu Nazareni debere multa contraria agere*. Hæc tamen aliaque ſimilia tanquam atrociſſima peccata deteſtantur Scripturæ ſacræ.

Favet aperte in ejuſdem ſententiæ confirmationem, quod frequenter legitur in iiſdem Scripturis, plerumque putare nos bene agere, cum male agimus, multaque delicta nos committere quæ peccata eſſe non intelligimus, Eccl. 9. *Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit*. Proverb. 20. *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum?* Job. 12. *Si ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, &c.* Ex quibus perſpicuum fit hominem quandoque peccare, cum non putat ſe peccare, adeoque cum ad malitiam ſuæ actionis animum non advertit.

Probatur 2. auctoritate S. Auguſtini, qui paſſim docet hominem peccare, & quidem eo peccato quod lædat amicitiam Dei, ſitque vera Dei offenſa pœnis æternis digna, tametſi neſciens, ignorans, non advertens peccet, lib. 1. de peccat. mer. cap. 36. *An nullum eſt*, inquit, *ignorantia malum, & ideo nec purgandum? & quid ait illa vox, Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris? Etſi enim damnabiliora peccata ſunt quæ ab ſcientibus committuntur; tamen ſi ignorantiæ peccata nulla eſſent, hoc non legeremus quod commemoravi, Delicta juventutis, &c.*

Libro de Grat. & lib. arb. cap. 3. hoc adducto Chriſti teſtimonio: Lucæ cap. 12. *Servus qui neſcit voluntatem domini ſui, & facit digna plagis, vapulabit pauca, &c.* ſic habet: *Ecce ubi oſtendit gravius peccare hominem ſcientem quam neſcientem. Nec tamen ideo confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quiſque requirat excuſationem. Aliud eſt enim neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, Noluit intelligere ut bene ageret, ſed & illa ignorantia quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat;* igitur in mente Auguſtini ii peccant *qui ſimpliciter neſciunt*, ut & *qui ſcire nolunt;* adeoque non putat inconſiderantiam a peccato quemquam eximere.

Lib. 1. Retract. cap. 15. idem vel expreſſius tradit his verbis: *Qui neſciens peccavit, quia voluit fecit, etiamſi non quia voluit peccavit, neſciens peccatum eſſe quod fecit: ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit, ſed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum fuit, hoc enim factum eſt, quod fieri non debuit*. Quibus verbis ad evertendam adverſariorum ſententiam expreſſius deſiderari poteſt nihil; ait enim S. Aug. eum vere peccaſſe, qui neſciens peccavit, *neſciens peccatum eſſe quod fecit*. Sed quia hoc certum videtur & ab omnibus receptum in moralibus principium, ſine voluntate peccatum eſſe non poſſe, hanc objectionem, quæ præcipuum eſt adverſariorum fundamentum, præoccupans S. Doctor, reſpondet peccatum revera ſine voluntate eſſe non poſſe, *ſed voluntate facti, non voluntate peccati;* unde aperte colligitur revera ad peccandum formaliter requiri ut operans agat ex cogitatione & voluntate, ſed ex cognitione qua cognoſcat peccati ſui objectum & ſpeciem, qua velit factum *voluntate facti;* hoc eſt, cognoſcat & circunſpiciat hoc ſuum factum eſſe peccatum, eſſe Dei offenſam, diſſolvere amicitiam Dei: quia nempe, ut addit Auguſtinus, tunc aliquod factum cenſetur eſſe peccatum, *cum hoc factum eſt quod fieri non debuit*.

Sunt & alia prope innumera ejuſdem Auguſtini teſtimonia, in quibus expreſſe docet homines plerumque peccare, tametſi neſciant, ignorent, non conſiderent actionum ſuarum malitiam, ſed

his

his omnibus referendis ſuperſedeo, ne operam in re non neceſſaria collocem. Epiſt. 47. olim 154. *Si quis*, inquit, *bonum putaverit eſſe quod malum eſt, & fecerit, hoc putando utique peccat, & ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque bene fieri putat, quod male fit*. Lib. 6. Jul. cap. 16. loquens de homine baptizato ſic habet: *Nunquid caret ignorantiæ malo, per quod a neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala? An parvum malum eſt per quod homo non percipit quæ ſunt Spiritus Dei?* Demum inſigne eſt imprimis quod ſcribit ad Sixtum Epiſt. 193. *Humana ſuperbia*, inquit, *tanquam præſumens de viribus liberi arbitrii excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis videtur eſſe quod peccat .... Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui non judicat; quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati; ergo in utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio*.

Probatur 3. auctoritate S. Hieronymi qui ſimillima docet lib. 1. adverſus Pelagianos prope finem, ubi legimus aliquem Pelagianum ſub nomine Critobuli conquerentem quod reus cenſeatur peccati quod neſciens commiſit: *Rogo*, inquit, *quæ iſta juſtitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia? neſcio me peccaſſe, & ejus rei quam neſcio pœnas luo? Et quid plus faciam ſi ſponte peccavero?* Quæ ipſiſſima eſt adverſariorum querela, cui primo reſpondet S. Hieronymus ſtultam eſſe hanc Critobuli interrogationem: *Reſpondet*, inquit, *ſtultæ interrogationi tuæ liber Sapientiæ (Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.)* Et alibi (*Noli eſſe ſapiens multum, & noli argumentari pluſquam oporteat.*)

Ac deinde variis Scripturæ teſtimoniis in reliqua Dialogi parte demonſtrare conatur dari peccata ignorantiæ, hunc adducit locum Exodi 21. *Si percuſſerit aliquis quempiam & mortuus fuerit, morte moriatur. Sin autem non volens, ſed Deus tradidit eum in manibus ejus, dabo tibi locum ad quem confugiat qui occiderit*. Hunc Levitici cap. 5. *Si tetigerit aliquis immundum, quod non liceat tangere & fecerit per ignorantiam, & poſtea didicerit, ſive promiſerit aliquis & fuerit oblitus, pronuntiabit peccatum ſuum in quo peccaſſe ſe perſpicit, &c. In Proverbiis legimus*, inquit ſub finem, (*Eſt via quæ videtur recta eſſe apud homines, & noviſſima ejus veniunt in profundum inferni*. *Ecce & hic manifeſte ignorantia condemnatur cum aliud putat homo, & ſub ſpecie veritatis ad inferna delabitur*. Unde ſequitur manifeſte in doctrina S. Hieronymi hominem etiam peccare, quando animum non advertit ad malitiam ſuæ actionis; quandoquidem peccat cum putat ſe non peccare, *cum aliud putat homo*; tunc vero & peccat Theologice peccato quod diſſolvit amicitiam Dei, pœnamque æternam meretur, quia *ſub ſpecie veritatis ad inferna delabitur*.

Idem docet S. Chryſoſtomus homil. in I. ad Corinth. c. 4. ubi ſuper hæc Apoſtoli verba, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*, ſic habet: *Quamnam ob cauſam*, inquit, *ſi ſibi nihil fuit conſcius, non fuit juſtificatus? quoniam contingebat, ut ab ipſo quædam peccata eſſent admiſſa, neque tamen ſciret eſſe peccata; hinc conſidera & reputa quam erit exactum & accuratum futurum judicium*. Quia nempe, ut obſervare ſolent SS. Patres in hunc locum, putamus ſæpe nos bene agere, cum male agimus. Unde S. Baſilius in Conſtant. Monaſt. cap. 1. *Cum in multis rebus*, inquit, *offendamus omnes, majorem tamen offenſarum partem ne intelligimus quidem. Idcirco Apoſtolus dicebat, Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc juſtificatus*

non

non ſum; quod idem eſt ac ſi diceret, Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo.

His adde S. Fulgentium qui lib. 1. de remiſſione peccat. cap. 13. vera peccata ignorantiæ admittit: *Non deſiſtunt*, inquit, *ad poſcendam remiſſionem peccatorum currere, ad quorum perpetrationem ſive neſcientes ignorantia impulit, ſeu, quod eſt deterius, ſcientes contumacia illexit, propter quod Propheta orat Deum, Delicta juventutis & ignorantias ne memineris*. Pſal. 24. *Et Salvator noſter ait, Servus neſciens voluntatem Domini ſui & faciens indigna, vapulabit paucis*, Luc. 12. *Unde & Apoſtolus in ignorantia ſe peccaſſe confitetur his verbis, Gratias ago ei qui me confortavit Chriſto Jeſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimavit: ponens in miniſterio, qui prius fui blaſphemus & perſecutor & contumelioſus, ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*. I. Tim. 1. *Ne quis ergo ſibi de ignorantia blandiatur, attendendus eſt Apoſtoli ſermo, qui ſe ignorantia quidem feciſſe pronuntiat, ſed tamen ſe peccaſſe non negat*.

Inſigne vero eſt ſuper ea re teſtimonium S. Bernardi, qui Epiſt. 77. ad Hugonem a S. Victore, dedita opera aliquem impugnat affirmantem non poſſe peccari per ignorantiam; hunc non eſſe Abælardum, ut viſum eſt multis, conjicit Mabillonius: *Si ignorantia*, inquit, *nunquam peccatum eſt, cur dictum eſt in Epiſtola ad Hebræos, quia in ſecundo Tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex intraret, non ſine ſanguine quem offerret pro ſui & populi ignorantia? Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergo peccavit Saulus, quod perſecutus eſt Eccleſiam Dei, quoniam quidem ignorans hæc fecit manens in incredulitate. Bene itaque faciebat, quod erat blaſphemus & perſecutor & contumelioſus, quod erat ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Jeſu, & in hoc ipſo quippe abundanter æmulator exiſtens paternarum ſuarum traditionum. Non ergo debuit dicere, Miſericordiam conſecutus ſum. Sed mercedem recepi, quippe quem ignorantia a peccato reddebat immunem, inſuper & æmulatio remunerabilem judicabat. Si, inquam, ignorantia nunquam peccatur, quid ergo cauſamur adverſus occiſores Apoſtolorum, quandoquidem non ſolum malum eſſe neſcierunt interficere illos, ſed inſuper quoque id faciendo arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo? ſed & fruſtra in cruce Salvator pro ſuis orabat crucifixoribus, quippe neſcientibus, ipſo teſte, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus. Neque enim fas eſt ullatenus ſuſpicari mentitum fuiſſe Dominum Jeſum aperte perhibentem eos ignorare quid facerent; etſi forte de Apoſtolo dubitet quis, quod carnem ſuam æmulans, ſicut homo mentiri potuerit, ubi ait, Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Nunquid non ex his ſatis apparet in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari poſſe interdum per ignorantiam?* Horum certe verborum pondere obrui adverſarios neceſſe eſt; colligit enim Bernardus expreſſiſſima quæque Scripturarum loca, quæ & validiſſimis rationibus corroborat, ut nimirum oſtendat peccari plerumque ex ignorantia, quatenus non modo qui peccat, neſcit ſe peccare; ſed & arbitratur nonnunquam *obſequium ſe præſtare Deo*. Unde manifeſte ſequitur eam non requiri advertentiam peccantis qua videat malitiam actionis, cogitans illam diſſolvere amicitiam Dei pœnamque æternam promereri.

Probatur etiam concluſio noſtra auctoritate S. Thomæ, cujus ſane doctrina eſt in hoc negotio apertiſſima, 1. 2. qu. 19. art. 6. ad 1. docet peccari poſſe formaliter, non ſolum quando ſimpliciter ignoratur peccati malitia, & peccari non putatur, ſed etiam quando recte agi creditur: *Ad primum*, inquit, *dicendum quod bonum cauſatur ex integra cauſa, malum autem ex ſingula-*

gularibus defectibus ; & ideo ad hoc quod dicatur malum , id , in quod fertur voluntas , ſufficit , ſive quod ſecundum ſuam naturam ſit malum , ſive quod apprehendatur ut malum ; ſed ad hoc quod ſit bonum , requiritur quod utroque ſit bonum . Qu. 74. art. 7. ad 2. *Dicendum* , inquit , *quod ex hoc ipſa quod ratio ſuperior non dirigit actus humanos ſecundum legem divinam impediens actum peccati , dicitur ipſa conſentire , ſive cogitet de lege æterna , ſive non . Cum enim cogitat de lege Dei actu , eam contemnit ; cum vero non cogitat , eam negligit per modum omiſſionis cujuſdam . Unde omnibus modis conſenſus in actum peccati procedit ex ſuperiori ratione* . Juxta D. Thomam is peccare & peccato conſentire cenſetur, qui agit contra Dei legem , etiamſi nec de lege nec de Deo ipſo cogitet ; unde ſequitur inadvertentiam non excuſare a peccato.

Huc pertinent fundatiſſima in Moralibus ejusdem S. Doctoris principia quæ dudum in alio caſu explicuimus , cum nempe docet quodlibet. 3. art. 19. in rebus ad finem & mores pertinentibus non excuſari, qui ſequuntur opinionem erroneam , *Quia* , inquit , *immunes a peccato fuiſſent , qui ſecuti ſunt opinionem Arii , Neſtorii & aliorum Hæreſiarcharum* . Cum docet quodlib. 8. art. 13. excuſari non poſſe qui ſequitur opinionem falſam , *quia facit contra legem Dei , quamvis non faciat contra conſcientiam* . Cum docet quodlib. 9. art. 15. *Quemlibet errorem quo non creditur eſſe peccatum mortale , quod eſt peccatum mortale , conſcientiam non excuſare a toto* . Denique cum docet 3. Ethic. cap. 1. lect. 3. ignorantiam qua quis ignorat quid oporteat facere vel vitare , non cauſare involuntarium ; ſed eſſe magis , ut ait , cauſam malitiæ ſeu peccati , *quia ignorantia hujusmodi non poteſt homini habenti uſum rationis provenire niſi ex negligentia , quia quilibet tenetur adhibere ſollicitudinem ad ſciendum quid oporteat eum facere aut vitare* . His quippe omnibus præſuppoſitis ut certiſſimis in doctrina S. Thomæ , luce meridiana clarius eſt ad peccandum formaliter, non requiri in eo qui peccat , advertentiam , qua ſciat vel etiam ſuſpicetur hancce ſuam actionem eſſe Dei offenſam pœna æterna dignam.

Probatur inſuper auctoritate Concilii Dioſpolitani , ubi hæc damnata fuit Pelagii & Cæleſtii propoſitio : *Oblivio & ignorantia non ſubjacent peccato , quoniam non eveniunt ſecundum voluntatem , ſed ſecundum neceſſitatem* . Id porro reprehenſum eſt potiſſimum in illa propoſitione, quod vitio vertebatur Pelagianis illam plerumque uſurpantibus; ſed idcirco præſertim arguebantur Pelagiani, quod dicerent nunquam peccari ex ignorantia , ut conſtat ex Auguſtino & Hieronymo, qui cum inſurgunt in illos hæreticos, variis Scripturæ teſtimoniis oſtendunt peccari plerumque ex ignorantia , ut conſtat ex locis ſuperius adductis. Quapropter cum ſententia Theologorum quos impugnamus, id commune habeat cum præfata Pelagianorum propoſitione, non immerito colligimus eam fuiſſe pridem a Concilio Dioſpolitano condemnatam.

Probatur denique ex variis incommodis quæ ex illa adverſariorum doctrina manifeſte ſequuntur.

Primum eſt iſtud, & quidem in Morali Chriſtiana graviſſimum ; ſcilicet , ſi ad peccandum requiratur ejusmodi advertentia , jam ſequitur horrenda quæque flagitia in viris perditiſſimis & ſceleratiſſimis non eſſe peccata Theologica , hoc eſt, pœnam æternam non mereri, nec diſſolvere amicitiam Dei , quod ipſum dici poterit de homicidiis, adulteriis, fornicationibus, furtis, uſuris, blaſphemiis ; ſiquidem certum eſt hæc, plerumque ſcelera ab hominibus committi , qui nec ad malitiam actionum

num

num ſuarum animum advertunt, nec de Deo cogitant. Quin potius ex portentoſa illa doctrina manifeſte ſequitur, eo certius ab omni peccato Theologico, ſeu offenſa Dei pœnis æternis digna quempiam eximi debere, quod perditior ipſe eſt atque ſceleratior; ſiquidem, quo magis peccantium animus corruptus eſt omnique flagitiorum generi aſſuefactus, eo minus peccati ſui malitiam inſpicit; ejusmodi homines vel inter media ſcelera nullum experiuntur conſcientiæ ſtimulum; integram vitam tranſigunt ſine ullo pietatis motu, & nihil minus cogitantes quam ſe peccatores eſſe. Abſit autem quod dicatur eo magis excuſari debere peccatorem, quo magis corruptus eſt, aſſuetiſque libidinibus abreptus; immo his omnibus flagitiis non peccare Theologice, hoc eſt, eo peccati genere quod ſit Dei offenſa, ejus amicitiam diſſolvat & pœna æterna ſit dignum; ſiquidem nihil abſurdius, ne dicam horribilius, proferri poteſt.

Secundum incommodum, quod vel invitis adverſariis ſequitur ex illorum doctrina, eſt, Idololatras & Atheos nunquam peccare Theologice, nec ullam Dei offenſam committere; ſiquidem ad peccandum formaliter & Theologice requiritur, ut peccans malitiam actionis cognoſcat tanquam Dei offenſam: Sed qui nec de Deo cogitat, quem ſcilicet nunquam novit, profecto cum peccat, non cognoſcit malitiam actionis ſuæ prout Dei offenſam & quatenus Dei amicitiam diſſolvit, ut per ſe patet; igitur in iſto damnoſo ſyſtemate nec Athei nec Idololatræ poſſunt peccare Theologice, quo quid abſurdius ego quidem non video.

Non me latet adverſarios reſpondere, Atheos & Idololatras fere ſemper Theologice peccare, quia, inquiunt, ineſt illis ſaltem generalis quædam & obſcura de Deo notitia, quatenus aliquam agnoſcunt divinitatem veram aut falſam; unde ſequitur ejusmodi homines committere poſſe Dei offenſam, adeoque peccare Theologice. Sed vana eſt omnino & futilis reſponſio, quia nimirum cum peccatum Theologicum inter Theologos hac in controverſia diſſidentes, definitur *offenſa Dei*, amicitiam *Dei* diſſolvens; profecto nomine *Dei* intelligi debet is Deus qui verus eſt & ſolus Deus, Creator cœli & terræ, quem colunt qui cenſentur Deum noviſſe, is Deus quem ignorant, reiiciuntque Athei quos impugnamus, quando exiſtentiam Dei demonſtramus; is Deus de quo loquitur Scriptura, cum inſurgit in Atheos, Sapient. 13. *Vani ſunt homines, quibus non ſubeſt ſcientia Dei*. De quo & Apoſtolus, cum dicit I. Theſſ. 4. *ſicut gentes quæ ignorant Deum*. Epheſ. *Dantis vindictam iis qui non noverunt Deum*: Sed *Deus* qui ſolus verus eſt Deus, Creator cœli & terræ, cujus exiſtentiam demonſtramus Atheis, de quo paſſim mentio habetur in Scripturis, non eſt aliquis Deus confuſe & generatim ſpectatus pro quavis divinitate vera aut falſa, ſed is ſolus *Deus* quem nos colimus ut ſingulare quoddam numen intelligentia præditum, orbis univerſi auctor & gubernator; Igitur Athei & quotquot Idololatræ falſos Deos colunt, cenſeri debent Deum ignorare, *ſicut gentes quæ ignorant Deum*; adeoque cum peccant, animum non intendunt ad malitiam ſuarum actionum, ut Dei offenſam.

Sequitur 3. Hæreticos omnes & Schiſmaticos nunquam peccare *Theologice*, neque divinam offenſam incurrere, quando nempe fidem Catholicam ejurant, fideleſque perſequuntur; ſiquidem in ſua hæreſi vel ſchiſmate ſic obfirmati ſunt, ut ne minimum quidem ſuper ea re ſentiant ſcrupulum, & adeo non putant hac in parte Dei majeſtatem lædere, ut potius firmiſſime credant ſe obſequium præſtare Deo,

ut

ut ipſe Chriſtus prædixerat Joan. 16. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*, quod & ipſum teſtatur Apoſtolus, ut jam dictum eſt. Quis vero in ejusmodi hominibus nefanda hæc crimina eo excuſari voluerit, ut dicat eos non peccare *Theologice*, nec committere Dei offenſam quæ ſit æternis pœnis digna?

Quarto demum ex illa ſententia ſequitur longe pejorem eſſe conditionem eorum qui Dei notitiam habent, quam eorum qui *ſicut gentes ſine Deo in hoc mundo ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum*. Raro enim aut nunquam poterunt illi peccare *Theologice* ſeu peccato quod amicitiam Dei diſſolvat. Hinc nulla Eccleſiæ Paſtoribus cura eſſe debet, ut per orbem univerſum Dei notitiam promoveant, quæ ſcilicet hominibus magis erit noxia quam utilis; nam ſi non peccetur niſi philoſophice ab eo qui Dei notitiam non habet, valde timendum eſt ne poſt inſtructionem peccetur Theologice. Hinc & valde imprudens erit Patribus familias & Magiſtris parvulos ſibi commiſſos notitia Dei imbuere; periculoſum erit illos erudire beneficio catechiſmorum & concionum; quia nempe ſatius eſt, ut Deum non cognoſcant; tunc enim non peccabunt niſi philoſophice, animum non advertentes ad malitiam ſuarum actionum. Hinc denique vana erunt, ne dicam damnoſa, media quæ ſubminiſtrari ſolent hominibus, ut notitiam Dei, fidei Catholicæ & myſteriorum, Decalogi & aliorum præceptorum, tum vero diſcriminis quod intereſt peccata inter & virtutes, inter peccata mortalia & venialia comparare poſſint; unde & ab omnibus concionibus, ab hominum piorum conſortio, librorum vel Scripturæ ſacræ lectione ſedulo arceri debent, ut ſi ſuæ ignorantiæ dimittantur per totam vitam nonniſi philoſophice peccent; in hoc felices quod Theologice peccare non poſſint.

Quibus inſtar coronidis adjungere poſſumus nonnullos eſſe caſus in quibus vere, formaliter & Theologice peccari ſolet, tametſi ſine attentione ad Deum, ad Dei legem, ad peccati malitiam.

Sine ulla ad peccati malitiam advertentia peccare cenſentur ii omnes qui prava & inveterata conſuetudine ad malum trahuntur; certum eſt enim id ab hominibus ut licitum & innoxium reputari, quod venit apud omnes in conſuetudinem, juxta quam ſcilicet omnem deinceps vitæ ſuæ rationem componunt, qui, ut ait Sapiens c. 14. *interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine error tanquam lex cuſtoditur*. Quemadmodum & Judæi qui falſa traditione & conſuetudine abutentes, parentibus in neceſſitate conſtitutis non ſucurrebant, ut teſtatur ipſe Chriſtus, qui propterea eos redarguit Matth. 15. *quod mandatum Dei irritum facerent propter traditionem ſuam*. Scilicet, cum peccabant mortaliter, ex motivo peccati agere ſe putabant. Unde Auguſtinus Enchir. cap. 80. *Peccata, inquit, quamvis magna & horrenda, cum in conſuetudinem venerint, aut parva aut nulla eſſe creduntur: neque adeo ut non ſolum occultanda, verum etiam prædicanda at diffamanda videantur, quando ſic ſcriptum eſt, Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit benedicitur*. Præterquam quod conſtat *propter pravas conſuetudines*, ut teſtatur D. Thomas 1. 2. qu. 94. art. 6. *apud quosdam latrocinia non reputari peccata vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apoſtolus dicit ad Rom. cap.* . Quis vero ejusmodi homines longa peccandi conſuetudine, dudum falſa pace & conſcientia quieſcentes, qui peccare ſe non cogi-

cogitant, etiam cum furantur, cum fornicantur, cum pietatis motivo & recepto uſu parentes ſenio confectos interficiunt, multa tandem cæteris hominibus horrenda perpetrant; quis, inquam, a peccato & offenſa Dei qua pœnas æternas incurrant, eos liberaliter vindicet? Audiatur Concil. Turonenſe circa an. 1179. *Ne ſub obtentu cujusquam conſuetudinis*, inquit, *reatum ſuum quis tueatur, quia diuturnitas temporis non minuit peccata, ſed auget*.

Sine ulla ad peccati malitiam advertentia peccare ſolent indocti multi & ſimplices, qui nacti ſunt infeliciter *ad ſua deſideria magiſtros prurientes auribus*, adeoque *a veritate auditum advertunt, ad fabulas autem convertuntur*. Tunc enim Magiſtrorum nomine & auctoritate fulti rudiores, ea gaudent conſcientiæ tranquillitate, quam in illis vident, cum præſertim ſuis ipſi diſcipulis ejusmodi ſecuritatem dare ſatagant, *Pulvillos conſuentes ſub omni cubito manus & facientes cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*, inquit Ezechiel cap. 13. Sed ejuſmodi homines a peccato Theologico excuſari non poſſe, quanquam bona fide & ſecura conſcientia, ſine ulla ad peccati malitiam advertentia agere conſueverint, ſapienter nos admonet auctor ſacer Exodi 23. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies*. Unde Auguſtinus in Exod. q. 87. *Ne ſe inde*, inquit, *quiſpiam defendat, quia cum pluribus fecit, aut ideo non putet non eſſe peccatum*. & lib. contra Mendacium cap. 9. *Non omnia quæ a Sanctis vel a viris juſtis legimus facta, transferre debemus in mores, ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla*.

Sine ulla ad peccati malitiam advertentia peccare ſolent ii qui ex prædominante aliqua naturali paſſione peccant, quales ſunt veluti a natura & temperamento incontinentes, ebrioſi, iracundi, &c. nam, ut ait S. Thomas in 2. Sent. diſt. 33. qu. 3. art. 1. *Propter inclinationem habitus & impetum paſſionis non percipitur mente ſyndereſis murmur, quia anima eſt quaſi inebriata paſſione. Unde etſi exterius contrarium proferat, non tamen interius ita tenet, ſicut ebrii dicunt verba ſapientium exterius quæ tamen interius non intelligunt*. An vero liceat ejusmodi peccatores ab omni peccato Theologico excuſare?

Sine ulla demum ad peccati malitiam advertentia peccant obdurati quippe peccatores & excæcati, qui in pœnam præcedentium ſcelerum ita a Deo juſte deſeruntur, ut nullum conſcientiæ ſtimulum experiantur. *Ambulavimus*, inquiunt ejusmodi impii Sapientiæ 5. cap. *vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Erravimus a via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis*. Quos certe ab omni peccati Theologici reatu citra impietatem eximere nemo poteſt.

Objicies: Joan. 7. dixit Jeſus Phariſæis: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum*. & cap. 15. *Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*. In quibus locis ignorantiam a peccato excuſat; ac proinde eos qui animum non advertunt ad malitiam ſuorum operum, eatenus enim ſunt cæci & ignorantes.

Reſpondeo nullius plane momenti eſſe duo illa Chriſti teſtimonia, ut oſtendatur ad peccandum formaliter requiri advertentiam ad malitiam actionis, quod quidem ne vel leviter in iis innuitur.

Ac prioris quidem teſtimonii hic eſt ſenſus. Scilicet poſtquam cæco nato viſum reſtituit Chriſtus Dominus, hæc verba protulit: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*. Quibus auditis quidam Phariſæi dixerunt: *Nun-*

Nunquid & nos cæci ſumus ? Quod nempe ſubridendo reponebant, ait Chriſtus, *ſi cæci eſſetis, non haberetis peccatum :* hoc eſt, ſi cæci eſſetis judicio veſtro, unuſquiſque enim veſtrum ſapiens eſſe putat, *peccatum non haberetis*, incredulitatis nempe, quia cum vos humiliter cæcos fateremini, ad medicum recurreretis, *nunc vero dicitis ; quia videmus, peccatum veſtrum manet ;* hoc eſt, ea incredulitas qua in me non creditis, qua me repellitis.

Poſteriorem locum non ſemel explicuimus de peccato infidelitatis, a quo ſolum eos excuſat Chriſtus de quibus loquitur, diſertum ſuper ea re adduximus teſtimonium S. Auguſtini ex Epiſt. 194. Non utique *peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliis magnis multiſque peccatis, ſed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuiſſe ; ſi non veniſſet, quo, cum audiſſent eum, non crediderunt in eum*, Idem docet Tract. 89. in Joan. *Reſpondeo*, inquit, *habere illos excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato quo in Chriſtum non crediderunt ; ad quos non venit, & quibus non eſt locutus*.

Objicies ex Apoſtolo ad Rom. c. 5. *Uſque ad legem peccatum in mundo erat, ſed peccatum non imputabatur, cum lex non eſſet*. Unde ſic licet argumentar : Ante legem, ſcriptam ſcilicet, erat aliquod peccatum quod non imputabatur; & ideo, ut exponunt fere omnes Scripturæ Interpretes, tunc non imputabatur, quia non cognoſcebatur, juxta mentem ejusdem S. Pauli cap. 7. dicentis, ſe non cognoviſſe peccatum niſi per legem : *Nam*, inquit, *concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret : Non concupiſces ;* ergo ſublata peccati notitia, ſublata ad peccatum advertentia peccari non poteſt.

Diſt. conſ. Sublata peccati notitia peccari non poteſt, quando ejusmodi notitia nec habetur, nec haberi poteſt, C. quando non habetur, ſed haberi poteſt, N. fatemur itaque neminem peccare quin habeat notitiam vel habere poſſit & Dei quem lædit, & legis quam tranſgreditur; & peccati quod committit; ſecus vero etſi notitiam illorum non habeat quam habere poſſit, quod idem dicimus de advertentia; nos enim ſupra docuimus ignorantiam invincibilem cujuſcunque legis excuſare a peccato. Porro cum dicit Apoſtolus præfato loco, ante legem peccatum non fuiſſe imputatum, quia non cognoſcebatur, ſermonem habet de peccato quod nec cognoſcebatur, nec cognoſci poterat ; loquitur enim de peccatis deſiderii, quæ nonniſi per legem poſitivam cognita fuerunt, per quam nempe & prohibita, ut patet ex verbis in objectione relatis : *Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces*. Qua poſita interpretatione nihil omnino conficiunt adverſarii ex illo Apoſtoli teſtimonio.

Hinc eſt quod idem Apoſtolus hæc ſcribit ad Hebræos cap. 10. *Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*. Quem locum nobis objiciunt adverſarii, quaſi ſupponat aperte D. Paulus non peccari niſi voluntarie & poſt acceptam notitiam ; quod utique fatemur, modo id intelligatur de notitia quæ vel habeatur vel haberi poſſit. In quem ſenſum hæc ait Sanctus Thomas in hunc locum, Lect. 3. *Poſt acceptam notitiam veritatis, id eſt, poſt acceptam gratiam, per quam habetur notitia peccati, quia ante notitiam peccati, peccatum noſtrum a Deo nobis non imputatur ; unde quaſi dicitur ipſum ignorare, quia non imputat nobis*. Ubi loquitur de notitia legis novæ, quæ ante acceptam gratiam neque habetur, neque haberi poteſt.

Objiciunt adverſarii hæc verba Sancti Auguſtini e lib. 3. de liber. arbitr. cap. 19. petita : *Peccatum quod proprie vocatur peccatum, libera voluntate ab*

ſciente committitur. Hoc adverbio *proprie* ſatis indicat aliud quodcunque peccatum, quod non fit ex ſcientia & notitia, legis nempe & peccati, non eſſe niſi peccatum philoſophicum.

Reſpondeo hæc ſimilia paſſim reperiri apud S. Auguſtinum & alios Scriptores; qui nempe ad actionem moralem, ut peccati rationem habeat, poſtulant in agente cognitionem & libertatem, ſed iſtud ſine dubio intelligunt, vel de notitia actus, non de notitia legis & malitiæ, vel ſi de notitia legis & malitiæ operis, de notitia quæ haberi poſſit, non autem quæ habeatur; aliter omnem penitus ignorantiam a peccato excuſarent, quod longe lateque diſtare ab eorum principiis ſupra oſtendimus.

Objicies auctoritatem R. Thomæ hæc ſcribentis quodlib. 3. art. 8. *Cum aliquis neſcit fornicationem eſſe peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, ſed non voluntarie facit peccatum*. Atqui voluntarium eſt de ratione peccati; ergo ad peccandum formaliter requiritur notitia peccati.

Diſt. min. Voluntarium eſt de ratione peccati, hoc eſt, qui peccat debet intendere actum, C. debet intendere malitiam actus N. id unum itaque vult S. Thomas tunc hominem qui neſcit fornicationem eſſe peccatum, voluntarie non facere peccatum, hoc eſt, non intendere rationem peccati & malitiam quæ reperitur in fornicatione; ſed non idcirco docet ejusmodi fornicationem non eſſe peccatum: audiatur quodlib. 8. qu. 6. art. 15. *Quandoque*, inquit, *error conſcientiæ non habet vim abſolvendi vel excuſandi, quando ſcilicet ipſe error peccatum eſt, ut cum procedit ex ignorantia ejus quod quis ſcire tenetur & poteſt; ſicut ſi crederet fornicationem ſimplicem eſſe peccatum veniale, & tunc quamvis crederet ſe peccare venialiter, non tamen peccaret venialiter, ſed mortaliter*.

Inſtabis in quæſtionibus diſputatis de veritate, quæſt. 15. art. 4. ad 10. ſic S. Thomas: *Antequam ratio delectationem perpendat vel nocumentum ipſius non habet interpretativum conſenſum, etiamſi non reſiſtat*; ergo ad peccatum quod non committitur ſine interpretativo ſaltem conſenſu, requiritur advertentia ad delectationem & nocumentum ipſius ſeu malitiam.

Nego conſeq. Etenim S. Thomas non utitur particula copulativa, & quaſi ante conſenſum exigat, ut ratio perpendat delectationem & nocumentum; ſed utitur, ut videre eſt, particula disjunctiva, *vel*, ut ſcilicet innuat alterutrum ſufficere ad conſenſum interpretativum. Nec obeſt quod utrumque copulat dicens, *Sed quando jam perpendit ratio de delectatione inſurgente & de nocumento conſequente, utpote cum percipit homo ſe totaliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari, &c.* Hæc enim poſterior propoſitio vera eſt cum particula continua, prior vero intelligi debet, ut exprimitur cum particula disjunctiva.

Objicies: Omne peccatum debet eſſe voluntarium; ſed actus qui non fit ex notitia legis & advertentia malitiæ non eſt voluntarius: ſiquidem voluntarium eſt illud, *quod fit a principio cognoſcente ſingula in quibus eſt actio*. Sed in illa hypotheſi actio non fieret a principio cognoſcente ſingula, hoc eſt ſingulas circunſtantias quæ ad actionem pertinent, ut per ſe patet; quandoquidem fieret & ſine cognitione Dei & legis, & ſine advertentia ad offenſam Dei & malitiæ peccati; ergo ejusmodi actio non foret voluntaria, proindeque nec peccatum.

Diſt. maj. Omne peccatum debet eſſe voluntarium directe, vel indirecte, C. directe ſemper, N. tunc aliquid eſt voluntarium, aut potius volitum directe, quando per ſe ipſum expreſſe & immediate intenditur a voluntate; tunc

vero

vero aliquid eſt volitum indirecte, quando volitum cenſetur in alio, ut, v. g. in ſua cauſa. Revera omne peccatum debet eſſe volitum ſaltem indirecte, in alio nempe quod fuit expreſſe volitum; ſed non debet eſſe volitum directe, expreſſe & per ſe ipſum immediate. Porro quando non adeſt peccati notitia, ſeu ad peccati malitiam advertentia, peccatum non eſt quidem volitum actu directo & expreſſo voluntatis; quo voluntas velit committere illam actionem quatenus eſt Dei offenſa, Dei amicitiam diſſolvens; ſed volitum eſt indirecte ſeu in negligentia quæ cauſa eſt iſtius inconſiderantiæ; quod ſufficit, ut aperte docet S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 8. *Alio modo*, inquit, *dicitur ignorantia voluntaria ejus quod quis poteſt ſcire & debet, ſic enim non agere & non velle voluntarium dicitur. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, ſive cum aliquis actu non conſiderat quod conſiderare poteſt & debet, quæ eſt ignorantia malæ electionis, vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens; ſive cum aliquis notitiam quam debet habere, non curat acquirere; & ſecundum hunc modum ignorantia univerſalium juris, quæ quis ſcire tenetur, voluntaria dicitur, quaſi per negligentiam proveniens.* Clariora ſunt hæc quam ut ulla explicatione indigeant.

Quod autem voluntarium dicitur eſſe *id quod fit a principio cognoſcente ſingula in quibus eſt actio*, ſimiliter diſtinguimus, quod fit a principio cognoſcente aut actualiter aut virtualiter & interpretative, C. cognoſcente actualiter, N. nimirum ſufficit ut actus cenſeatur voluntarius, quod agens circumſtantias aut ſaltem peccati malitiam advertere poſſit quando peccat, & neutiquam neceſſe eſt ut ad eas actu & de facto animum advertat; tunc autem actus erit voluntarius, non quidem in ſe & directe, ſed in culpa & negligentia, propter quam ad id non advertit agens ad quod poterat advertere. Vel dici poteſt iſtam definitionem voluntarii, quæ trita eſt apud Philoſophos, eſſe potiſſimum intelligendam de eo quod expreſſe & directe per actum formalem voluntatis intenditur.

Quanquam & cum nonnulla reſtrictione accipi debeat præfata *voluntarii* definitio; neque enim ut actus cenſeatur voluntarius, requiritur ſemper ut agens cognoſcat actu & expreſſe ſingula in quibus eſt actio; hoc eſt, ut cognoſcat actualiter & ſimul objectum, finem & circumſtantias; ſi quis enim, v. g. cibum aliquem minime prohibitum manducaret, quem putaret eſſe prohibitum & illicitum, ſine dubio peccaret, & ejuſmodi actio cenſeretur eſſe voluntaria, tametſi agens non cognoſceret ſingula in quibus eſt actio, ſiquidem non cognoſceret objectum, putans ſe quidquam mali agere, quod tamen bonum eſt & licitum; unde ſequitur iſtam definitionem, quam in præſenti controverſia tanti faciunt adverſarii, paulo latius accipi debere.

Inſtabis: Omne voluntarium vel etiam virtualiter tantum & interpretative, ſi non importet actum expreſſum voluntatis, ſaltem ſupponit actum cognitionis; nihil enim volitum quocunque modo, quin præcognitum; quia nempe eatenus aliquid volitum eſt virtualiter & interpretative, quatenus debuit eſſe volitum actu ab aliquo agente, ita ut ex ejus culpa ſolum & negligentia ſit, quod non fuerit actu volitum: ſed quod non fuit præcognitum non debuit eſſe volitum, nec culpa vertitur cuiquam homini quod non fuerit volitum, quia nempe nunquam potuit eſſe volitum; ergo nequidem voluntarium virtualiter & interpretative cenſetur quod non fuit præcognitum; adeoque niſi ſupponatur præcognita peccati malitia, peccatum cenſeri non poteſt voluntarium nequidem virtualiter & interpretative.

Diſt. maj. Saltem ſupponit actum cognitionis per quem cognoſcatur actus, C. per

C. per quam cognoſcitur malitia actus, N. revera voluntarium ſupponit cognitionem actus, quo ſenſu vulgo dicitur nihil volitum quin præcognitum, voluntarium enim fit a principio cognoſcente, adeoque ſaltem cognoſcente actum qui exercetur; ſed non ſupponit cognitionem malitiæ; unde ex S. Auguſtino lib. 1. Retract. cap. 15. ſufficit ad peccatum quod ſit voluntarium *voluntate facti*, neceſſe non eſt ut ſit voluntarium *voluntate peccati*.

Vel aliter reſpondeo: Omne voluntarium ſupponit actum cognitionis, quæ revera habeatur vel haberi poſſit, C. quæ actu ſemper habeatur, N. aliter nullum unquam committeretur peccatum omiſſionis; nullum fieret ex ignorantia & ex conſcientia erronea; in illis enim caſibus plerumque nulla præceſſit cognitio, nullum dubium, nulla ſuſpicio de malitia actionis; quamobrem ut aliquis actus ſit voluntarius, ſufficit quod in agentis poteſtate fuerit cognoſcere ſingula in quibus eſt actio: *Dicendum*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 6. art. ad 3. *quod eo modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis ſicut & actus voluntatis: ut ſcilicet ſit in poteſtate alicujus conſiderare & velle & agere: ſicut non velle & non agere, cum tempus fuerit, eſt voluntarium, ita etiam non conſiderare*.

At, inquies, ſi malitia peccati non ſit cognita a peccante, eatenus non erit volita, ut enim aiunt, ignoti nulla cupido; ſed ſi non eſt volita inde ſequitur eam non pertinere ad peccatum, totum enim peccatum in voluntate conſummatur; igitur malitia peccati debet eſſe cognita.

Diſt. maj. Eatenus non erit volita directe & expreſſe, C. indirecte ſaltem, N. nam peccans vult actum cui malitia conjuncta eſt, unde actus eſt voluntarius voluntate facti, non voluntate peccati; in illo autem caſu voluntas non fertur ad ignotum ſimpliciter, quandoquidem novit actum, etiamſi minime noverit peccatum. Ita S. Thomas quæſt. 76. art. 1. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod in illud quod eſt quantum ad omnia ignotum, non poteſt ferri voluntas: ſed ſi aliquid eſt ſecundum aliquid notum, & ſecundum aliquid ignotum, poteſt voluntas illud velle. Et hoc modo ignorantia eſt cauſa peccati, ſicut cum aliquis ſcit hunc quem occidit eſſe hominem, ſed neſcit eum eſſe patrem: vel cum aliquis ſcit [illegible] quem actum eſſe delectabilem, neſcit tamen eum eſſe peccatum*. Quamobrem ad peccandum vere formaliter & Theologice, neceſſe non eſt ut peccatum cognoſcatur ſub ratione peccati; ſufficit quod [illegible] ratione actus, quo quidem [illegible] non fertur in peccatum, ſaltem indirecte.

Inſtabis: Ex conceſſis ad peccandum formaliter requiritur advertentia ad actum; ergo ſimiliter requiritur advertentia ad malitiam peccati.

Nego conſ. & par. Ratio diſp. eſt quia ſi non adeſſet ſaltem advertentia ad actum, ejuſmodi actus non eſſet proprie humanus, cum aliquo ſcilicet judicio & deliberatione elicitus: ſed actus qui non eſſet proprie humanus & cum aliquo judicio elicitus, non poſſet habere rationem peccati; unde infantes, amentes & dormientes peccati non redarguuntur, quando agunt quidpiam contra legem: ſed actus erit humanus & cum judicio ſufficienter elicitus, quamvis non adſit advertentia ad malitiam peccati; erit enim voluntarius voluntate facti; igitur licet requiratur ad peccandum advertentia ad actum, neutiquam tamen requiritur advertentia ad malitiam peccati.

Eſt autem hic obſervatione digniſſimum inadvertentiam ad actum non ſemper excuſare ab omni peccato, quoties nempe voluntaria eſt ſaltem indirecte, neque enim quæcunque facti ignorantia eſt invincibilis, adeoque inculpabilis; ſi quis enim inter venandum loco feræ occidat amicum cum aliqua negligentia

quam

quam depellere potuit, is profecto a culpa excuſari non poteſt, quia ſi ſtudioſius ad factum circunſpexiſſet, amicum non occidiſſet; unde S. Thomas 1. 2. q. 19. art. 6. ſic habet; *Si ſit error qui cauſat involuntarium proveniens ex ignorantia alicujus circunſtantiæ (abſque omni negligentia.) Tunc talis error rationis vel conſcientiæ excuſat, ut voluntas concordans rationi non ſit mala.*

Sciri tamen debet tunc ſufficientem in factis cenſeri diligentiam, quando moralis adhibita fuit, quamvis forte major adhiberi potuiſſet; unde culpandus non venit Jacob, cum ad Liam ingreſſus eſt, licet majori adhibita diligentia ad factum dignoſcendum, ſibi illuſum fuiſſe detexiſſet; quia nempe inſolita fuiſſet ejuſmodi diſquiſitio, quæ vel a piis & timoratis hominibus adhiberi non ſolet.

Inſtabis: Tunc peccatum non eſt ſufficienter voluntarium, cum homo laborat ignorantia invincibili, neſciens an peccet necne: ſed qui non cogitat de malitia ſuæ actionis, ita ut ne minimo quidem dubio vel ſuſpicione pulſetur; tunc ignorat invincibiliter ejuſmodi peccatum, neſciens an peccet necne: ſiquidem peccatum ignoratur invincibiliter, cum peccati notitia eſt omnino impoſſibilis: atqui peccati notitia eſt omnino impoſſibilis, ei ſcilicet qui de illa ne minimam habuit ſuſpicionem, ne minimam cogitationem; quemadmodum enim docent Philoſophi, rei alicujus notitia pendet a prima ejus cogitatione, quæ quidem cogitatio, vel caſu contingit homini vel a Deo infunditur; ita ut in hominis poteſtate non ſit eam habere: *Nemo habet*, inquit S. Auguſt. lib. de Spir. & Litt. cap. 33. *in poteſtate quid ei veniat in mentem;* ergo.

Nego min. quia nempe qui non cogitat de malitia ſuæ actionis & circa illam nullo pulſatur ſcrupulo, nulla dubitatione, in hoc ipſo culpa non vacat quod non cogitet, quod non advertat, quod non dubitet; cogitaret enim vel ſaltem dubitaret, ſi perfecte legem cognoſceret; legem vere cognoſceret ſi veritatem ſtudioſius inquireret. Quod autem dicunt primam cogitationem non eſſe in poteſtate hominis, reſpondemus non eſſe quidem nos *ſufficientes quicquam cogitare a nobis quaſi ex nobis*, ut ait Apoſtolus, hoc eſt, ex propriis viribus ſine Dei gratia operantes; ſed idem poſſe, ſi divinæ gratiæ illuſtranti & moventi non reſiſtamus; *ſufficientia enim noſtra a Deo eſt.*

Inſtabis: Revera qui non cogitat de malitia ſuæ actionis ex negligentia culpabili, peccabit ratione hujus negligentiæ, per quam contraxit præfatam impotentiam cognoſcendi legem, ſed ſaltem non peccabit deinceps peccato novo, formali & diſtincto ab illa negligentia; quemadmodum ſi famulus oculos ſibi eruerit, ita ut non poſſit amplius imperio Heri obtemperare, culpari quidem debet quod ſibi oculos eruerit, ſed impotentia invincibili ſemel contracta Heri mandatis obtemperandi, profecto nemo eſt qui ei deinceps inobedientiam imputet ut culpabilem.

Nego ant. Ea quippe propoſitio hoc falſo nititur principio, quod novo peccato & ab impotentia prius contracta diſtincto non peccet, quiſquis neceſſitatem quandam peccandi, vel etiam voluntarie & libere contraxit; ita ut nullum imputetur novum peccatum, & ſola imputetur negligentia quæ cauſa eſt impotentiæ bene agendi. Inde enim ſequeretur hominem qui vel ex prava peccandi conſuetudine, vel integra legis oblivione, vel demum ex iterato Dei contemptu ſcelera quæque graviſſima committeret, ab omni tamen formali & Theologico peccato excuſatum iri; nec majores promeriturum pœnas, quam ſi nulla penitus admiſiſſet; ſequeretur, v. g. obduratos ob cordis ſui obdurationem a cæteris deinceps peccatis excuſandos eſſe; ita ut eis nihil imputaretur præ-

præter ipſam obdurationem ; ſed longe aliter ſentit Chriſtus Dominus , qui verba faciens de J dæis , qui propterea non poterant credere , quia *excæcavit oculos eorum & induravit cor eorum , ut non videant oculis & non intelligant corde*, ſic pronuntiat , *Nunc autem* , inquit Joan. 15. *excuſationem non habent de peccato ſuo*. Quo fit ut non ſolum voluntaria excæcatio peccato deputetur , ſed & quicquid iniquitatis ad illam conſequit.r.

Hujus veritatis teſtem habemus Pharaonem , qui novo peccato excæcationem & obdurationem ſequentem ſe peccaſſe fatetur Exod. 9. *Miſit Pharao & vocavit Moyſen & Aaron dicens ad eos, Peccavi etiam nunc , Dominus juſtus : Ego & populus meus impii* . Et paulo poſt : *Videns autem Pharao quod ceſſaſſent pluvia & grando & tonitrua , auxit peccatum*. Et cap. 10. *Quamobrem feſtinus Pharao vocavit Moyſen & Aaron , & dixit eis (peccavi) in Dominum Deum veſtrum & in vos . Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam (hac vice .)*

Unde S. Aug. lib. 1. Retract. c. 15. præclare hæc ſcribit : *Qui cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideo facit contra præcepta juſtitiæ , jam hoc ita peccatum eſt , ut ſit etiam pœna peccati*. Et docet S.Thomas 1. 2. q. 76. art. ad 4. ebrium quando peccat, duplicis plerumque peccati reum , ſcilicet ebrietatis ipſius , & alterius quod in ebrietate committit . *Ebrius*, inquit, *meretur duplices maledictiones propter duo peccata quæ committit , ſcilicet ebrietatem, & aliud peccatum quod ex ebrietate ſequitur*. Ex quibus aperte colligitur peccata quæ ſubſequuntur ex aliqua bene agendi impotentia voluntarie & libere contracta , eſſe vero nomine peccata quæ per ſe imputentur ; adeoque non modo negligentiam animum advertendi ad malitiam actionis eſſe culpabilem , ſed & nova ac diſtincta eſſe peccata , quæcunque fiunt contra legem ob præcedentem illam negligentiam .

Objicies : Quo quis minorem adhibet advertentiam ad malitiam peccati , eo levius peccat ; quo majorem vero , eo gravius peccatum committit ; ergo inferri debet nullum prorſus eſſe peccatum , quando nulla prorſus adeſt advertentia ; quia nempe , ut ajunt Dialectici , ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter , ſicut ſecundum quid ad ſecundum quid ; unde cum uno diminuto alterum minuatur , eodem penitus ſublato & iſtud tolli omnino neceſſe eſt .

Nego conſ. Ea quippe falſa eſt eo præciſe quod advertentia , actualis ſcilicet de qua nunc agimus, eſt circunſtantia minime eſſentialis , ſed accidentalis peccato : ſcilicet quia advertentia ad malitiam peccati eſt circumſtantia reſpectu peccati , ſequitur inde ex illa adjuncta aut majori aut minori gravius aut levius eſſe peccatum , ex circunſtantia enim vel etiam accidentali aggravatur aliquando peccatum , & in aliam ſpeciem transferri poteſt ; unde mirum videri non debet ſi eo levius aut gravius peccet quis , quo majorem vel minorem adhibet advertentiam ad malitiam peccati ; ſed quia ejuſmodi advertentia ad malitiam peccati , eſt accidentalis , non eſſentialis , quod ſatis ſuperque in hacce noſtra diſſertatione oſtenſum eſt , nequaquam ſequitur eum qui nullam adhibet advertentiam , non peccare : ita enim ad peccandum requiritur , ut quamvis omnino deſit , veruntamen & Theologicum admittatur peccatum . Id exemplo illuſtrari poteſt ; certum eſt eum qui peccat , v. g. qui fornicatur , eo gravius vel levius peccare , quo majus vel minus inde oritur ſcandalum & offendiculum ; haud dubie tamen peſſime argumentaretur , quiſquis colligeret nullum eſſe peccatum , ubi nullum eſſet ſcandalum ; quia nempe ſcandalum reſpectu fornicationis eſt circunſtantia accidentalis , eo quod eſt circunſtantia , aggra-

vat peccatum, ſed quia eſt circunſtantia accidentalis, ſi omnino deſit, fornicatio non deſinit eſſe peccatum.

Atque hinc facile reſpondetur ad præfatum axioma, *ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ſicut ſecundum quid ad ſecundum quid;* id enim locum habet tantum, quando illud quod ſe habet ſimpliciter, eſt eſſentiale & neceſſarium abſolute; hinc, v. g. quia exercitium virtutum eſſentiale eſt ſanctitati, ſic liceat argumentari, Eo major eſt vel minor ſanctitas in homine, quo majus eſt vel minus exercitium virtutum; ergo ubi nullum plane eſt virtutum exercitium, nulla quoque cenſetur eſſe ſanctitas, per me, inquam, ſic argumentari licet; quia nempe ad ſanctitatem neceſſarium eſt abſolute virtutum exercitium; ſecus vero ſi ejuſmodi axioma efferatur in materia contingenti, ut patet ex adductis ſuperius exemplis.

Ex quibus perſpicuum eſt quid ſit reſpondendum ad aliud ſimile argumentum quod proponunt adverſarii: Aliqua peccata, inquiunt, ſunt venialia ex imperfectione actus, veluti quando ſuboriuntur motus vel actus de objecto moraliter malo, quibus vel in ſe, vel in ſua cauſa præcedente voluntas aliquo modo conſentit, ſed imperfecte, ſive propter rationis advertentiam non ſatis plenam, ſive propter imperfectum libertatis uſum actualem, ſicut accidit in ſemi-dormientibus, ſeu non plane excitatis a ſomno; ac etiam in iis qui perfecte vigilant, dum ex improviſo, cum aliqua tamen negligentia moventur ad odium, ad invidiam aut ad alia peccata ſecundum ſe mortalia, ſed quibus non omnino deliberate conſentiunt; ergo ubi nulla prorſus adeſt advertentia ad malitiam peccati, nullum peccatum eſt.

Cui objectioni ſatisfit aperte, cum reſpondetur quod modo dictum eſt, majus quidem vel levius eſſe peccatum pro majori vel minori advertentia peccantis ad malitiam peccati, quia advertentia eſt circunſtantia quæ vel mutare poteſt actus humani ſpeciem, ſed inde colligi non poſſe nullum omnino eſſe peccatum, ubi nulla adeſt advertentia, quia nempe ejuſmodi advertentia non eſt circunſtantia eſſentialis peccato.

TRACTATUS

DE LEGIBUS.

Nomen *Legis* derivatum videtur vel a legendo, quia nempe, ut nonnulli volunt, ſcripta legitur, ut teſtatur Iſidorus lib. 2. Etymologiarum c. 10. & l. 5. c. 3 ubi hoc aſſignat diſcrimen inter jus & legem, quod lex ſit conſtitutio tantum ſcripta, jus autem vel etiam humanum moribus receptum ſit. Vel derivatur a delcgendo, ut ait Cicero, 1. de Legibus: *Legem*, inquit, *illi graco putant nomine νόμον a ſuum cuique tribuendo appellatam, ego noſtro a legendo; nam ut illi æquitatis, ſic nos delectus vim in lege ponimus, & proprium tamen utrumque legis eſt*. Vel denique ſic dicitur a ligando, ut docet S. Thomas initio tract. de Legibus, hoc eſt 1. 2. q. 90. art. 1. *dicitur Lex*, inquit, *a ligando, quia obligat ad agendum*.

Trita eſt apud omnes hæc definitio legis qua definitur a S. Thoma art. 4. citatæ quæſt. *Rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet, promulgata*.

Dicitur *ordinatio rationis*, quia, ut ait art. 1. Lex eſt aliquid pertinens ad rationem, eſt regula & menſura actuum: regula autem & menſura humanorum actuum eſt ratio, rationis quippe eſt ordinare ad finem qui eſt primum principium in agendis.

Additur *ad bonum commune*, quia, ut ait art. 2. cum ultimus finis humanæ vitæ ſit felicitas ceu beatitudo, oportet, ut lex maxime reſpiciat ordinem qui eſt in beatitudine; cum autem omnis pars ordinetur ad totum, unus autem homo ſit pars communitatis perfectæ, neceſſe eſt, ut lex proprie ordinem habeat ad felicitatem communem, adeoque ſit ad bonum commune.

Dicitur tertio, *ab eo qui curam communitatis habet*, quia ut explicat art. 3. lex proprie primo & principaliter reſpicit ordinem ad bonum commune; ordinare autem aliquid in bonum commune eſt vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis; & ideo condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad perſonam publicam quæ totius multitudinis curam habet; unde lex differt a præcepto, quale, v. g. filiis ſuis imponit paterfamilias.

Denique additur *promulgata*, quia, ut ait idem S. Thomas art. 4. ut lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet ut applicetur hominibus, qui ſecundum eam regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione: unde lex debet eſſe promulgata.

De iſta definitione ut ingenue dicam quod ſentio, non videtur omnino accurata ad explicandam legem in univerſum, nec quælibet illius pars omni legi convenire poteſt: 1. quia lex naturalis proprie non eſt ordinatio rationis, non eſt opus rationis, ſed ipſa potius natura rationalis: 2. quia neque etiam eadem lex naturalis non fit a multitudine, nec ab eo qui curam habet multitudinis: 3. quia nec legi æternæ, nec legi naturali convenit promulgatio; ſiquidem lex æterna promulgari non poteſt, cum ſit ipſa Dei ratio ſuprema; lex vero naturalis promulgatione non eget: ex quibus ſequitur hancce definitionem proprie non competere niſi legi poſitivæ.

Legem in univerſum ſic aliter definiunt nonnulli cum eodem S. Thoma

art. 1.

art. 1. ejuſdem quæſtionis: *Eſt regula quædam aut menſura actuum humanorum, per quam ad id quod rectum eſt, agendum, & quod pravum eſt omittendum, dirigimur*. Quæ definitio eo nomine videtur alteri præferenda, quod omni & cuilibet legi applicari poteſt.

Dividitur primo lex in æternam, naturalem, & poſitivam. Poſitiva deinde alia eſt divina, alia vero humana. Humana iterum duplex, Eccleſiaſtica nempe, & civilis.

Lex æterna eſt ſumma ratio Dei: *qua juſtum eſt*, inquit S. Auguſt. lib. 2. de lib. arb. c. 6. *ut omnia ſint ordinatiſſima*: eſt ipſa Dei ratio, quæ quidem ei dictat quid ſit bonum quidve malum, quid præcipiendum, quid vetandum.

Lex naturalis quæ & recta ratio, & lumen naturale vocatur, eſt dictamen quoddam rectæ rationis mentibus noſtris a natura impreſſum, quo quis boni & mali ſecernendi ſit capax.

Lex poſitiva eſt ordinatio rationis in bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata, cujus definitionis ſingulas partes modo explicuimus. Divina dicitur ſi lata ſit & promulgata a Deo: eaque duplex diſtinguitur, nempe vetus quæ data fuit Judæis ante Chriſtum; & nova, quæ ab ætate Chriſti per orbem univerſum publicata fuit. Tum vero humana dicitur lex, quæ ab hominibus poteſtatem habentibus conditur: Eccleſiaſtica quidem ſi ab Eccleſiæ Paſtoribus; civilis autem ſi ab iis præſcribitur qui civili & politica auctoritate in Republica pollent.

Priuſquam autem de unaquaque ex iſtis legibus ſigillatim dicamus, nonnulla veniunt pertractanda, quæ ad legem in communi ſpectant.

Primo quidem inquirendum, an lex proprie ſit actus intellectus, an voluntatis.

Secundo, utrum lex omnis neceſſario feratur ad bonum commune.

Tertio, cujus ſit legem condere & præſcribere.

Quarto, an ipſi eſſentialis ſit promulgatio.

Quinto demum dicemus de interpretatione, tractaturi poſtea de acceptatione legis, ubi de lege humana; certum eſt enim non requiri acceptationem pro quacumque lege, ſed tantum pro humana.

Utrum Lex ſit actus intellectus, an voluntatis.

Quæſtio eſt de lege prout actus quidam in Legislatore, certum eſt enim nomen legis aliquando ſpectari prout eſt in ſubdito obtemperante; eſtque regula & menſura ejus actionum. Lex inſuper nonnunquam ſumitur pro ſigno aliquo externo, qualis eſt Scriptura per quam lex nota fit hominibus. Denique lex ſumitur pro vigore quodam ſeu vi obligandi ſubditos, quæ remanet per modum habitus poſt ſufficientem legis promulgationem; unde fluxit hoc Juriſconſultorum effatum, *Lex ſemper loquitur*. Sed legem hic ſpectamus prout eſt actus Legislatoris legem præſcribentis; & quæritur an ſit in eo actus intellectus vel voluntatis.

Certum eſt præterea legem pertinere ſimul ad intellectum & ad voluntatem, quod vel ipſæ declarant Scripturæ; ad intellectum quidem Pſal. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Ad voluntatem vero Pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam*, hoc eſt, legem. Et ratio eſt, quia duo potiſſimum occurrunt in lege, actus nempe rationis, quo videt & judicat Legislator quid ſit præcipiendum, quid vetandum, & inſuper imperium quo præcipit quæ ſunt bona, & prohibet quæ ſunt mala; qui quidem ambo actus, ut per ſe patet, pertinent ad intellectum & voluntatem; prior

quidem ad intellectum, poſterior vero ad voluntatem.

Sed quæritur an lex magis proprie pertineat ad intellectum quam ad voluntatem, aut econtra, an proprie ipſa ſit actus intellectus habens adjunctum voluntatis imperium, vel ſit magis proprie actus voluntatis præſupponens actum rationis dirigentem.

Volunt multi poſt S.Tomam, legem eſſe actum intellectus, non quidem prout eſt ſimplex judicium quo judicatur aliquid eſſe bonum vel malum; nemo enim dixerit, inquiunt, ejuſmodi judicium Principis antequam velit ſubditos obligare, eſſe legem; ſed iſtud intelligunt de actu judicii quo proponitur & intimatur mandatum Legislatoris, qui quidem actus ſequitur actum voluntatis. Docent alii legem magis proprie dici poſitam in actu voluntatis, quorum ſententiam amplectimur.

Conclusio.

Lex proprie eſt actus voluntatis, Lex quippe eſt ille Legislatoris actus quo poteſt obligare ſubditos ad agendum aut non agendum: atqui ſolus voluntatis actus obligare poteſt ſubditos ad agendum aut non agendum; eatenus enim Legislator obligat ſubditos ad agendum aut non agendum, quatenus vult, imperat, præcipit aliquid eſſe agendum vel non eſſe agendum; unde ab omnibus fere Theologis lex definitur, Ordinatio rationis imperantis honeſta, & prohibentis contraria: atqui præcipere & prohibere ſunt actus voluntatis, quia juſſio præcipua eſt in imperio, imperium autem præcipuo jure voluntatis tribui debet; igitur lex magis proprie eſt actus voluntatis in Legislatore. Quamobrem cum ſubditi legibus obtemperant, dici ſolent conformare ſe voluntati Legislatoris; unde etiam Princeps ſtatuens aliquam legem, actum voluntatis non actum intellectus arguit his verbis, Sic volo, ſic jubeo, &c.

Id porro ſolum intelligimus de lege poſitiva, ut facile videre eſt; lex enim æterna nullum importat actum voluntatis hominibus intimatum, & eatenus Deus non dicitur Legislator; lex autem naturalis eſt potius natura ipſa rationalis, quam actus vel intellectus vel voluntatis; unde ſupereſt hanc noſtram concluſionem intelligi debere de ſola lege poſitiva.

Objicies: Lex eſt regula agendi vel non agendi: atqui regula agendi vel non agendi eſt opus rationis, vel ipſa ratio; ergo lex eſt potius intellectus quam voluntatis.

Diſt. maj. Lex eſt regula agendi & non agendi, remota, C. regula proxima, N. In ſubdito legem adimplente duplex aſſignatur regula: remota quæ illum remote & extra ipſum poſita ad bonum finem dirigit; & proxima quæ eſt ipſa ratio naturalis & conſcientia ad cujus normam ſibi legem applicat: equidem lex a Legislatore præſcripta, eſt regula agendi & non agendi remota, ſed non eſt regula proxima in ſubdito. Porro regula proxima agendi vel non agendi eſt quidem ratio naturalis in quolibet ſubdito, ſed iſtud dici non poteſt de regula remota agendi vel non agendi; quandoquidem nihil aliud eſt quam imperium, & mandatum Legislatoris, adeoque in eo actus voluntatis.

Objicies: Lex definitur ordinatio rationis: ſed ordinatio rationis eſt actus intellectus non voluntatis; ergo.

Diſt. maj. ordinatio rationis directive, C. formaliter, N. Scilicet lex dicitur ordinatio rationis, quatenus eſt imperium Legislatoris juſtum & per rationem ordinatum; non autem quaſi ſit formaliter quædam cognitio, vel etiam judicium; cognoſcere enim vel etiam judicare quid ſit bonum quidve malum, quid præcipiendum quidve prohibendum, non cenſetur idem eſſe ac ferre legem.

Utrum

Utrum Lex omnis feratur in bonum commune.

DIco omnem legem in bonum commune inſtitui debere, ita Sanctus Thomas loco ſupra citato. Siquidem ſe habet Princeps in regno, vel quivis alius in Republica cujus gerit curam, ſicut Paterfamilias in ſua domo: ſed pro officio tenetur Paterfamilias publicæ tranquillitati ſuæ domus invigilare; ergo & Princeps in Regno ſuo. Sed non aliter quam legibus quas inſtituit, Princeps vel quivis alius poteſtatem habens publicam, tranquillitatem procurare poteſt; igitur lex omnis lata ab eo qui communitatis curam gerit, ferri debet in bonum commune.

Id rurſus oſtenditur enumeratione facta cujuſcunque legis. Nam lex æterna, cum ſit ipſa Dei ratio ſuprema, cunctarumque legum veluti mater & radix, univerſa bona complecti videtur. Naturalis omne bonum præcipit, omne malum prohibet. Poſitiva, ſi ſit divina, vetus eſt vel nova: vetus ſpectabat omnium Judæorum utilitatem; nova omnium Chriſtianorum commodum: ſi ſit humana, vel Eccleſiaſtica vel eſt Civilis, ut dictum eſt: Eccleſiaſtica ferri debet in ædificationem populi Chriſtiani; Civilis demum in publicum totius regni commodum.

Quamobrem aperte ſignificant Scripturæ Principes alioſque publicam auctoritatem habentes, ideo tantum conſtitutos eſſe ſuper cæteros homines, ut publicis rebus non ſuis commodis ſtudeant. Deuteron. cap. 17. ſic loquitur Deus: *Cum fuerit conſtitutus* Rex, *non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſublevatus; non habebit uxores plurimas quæ alliciant animum ejus, neque argenti & auri immenſa pondera.*

I. Reg. cap. 8. cum populus Iſraeliticus a Samuele Regem poſtulaſſet, juſſu Dei declarat eis Samuel quo pacto ſua auctoritate abuti ſolent plerique Reges, ut ſcilicet ab ejuſmodi poſtulatione Iſraelitas deterreat; *Hoc erit jus Regis*, id eſt, id juris ſibi arrogabit Rex, *qui imperaturus eſt vobis; filios veſtros tollet & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos & centuriones & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias & focarias & panificas. Agros quoque veſtros & vineas & oliveta optima tollet & dabit ſervis ſuis &c.*

Idem paſſim legitur de poteſtate Eccleſiaſtica, Ezechiel. cap. 34. *Væ Paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges a Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis; quod confractum eſt non alligaſtis, & quod objectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis & cum potentia.*

Unde Apoſtolus ad Hebræos cap. 13. *Obedite*, inquit, *præpoſitis veſtris & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant & non gementes.* Quibus verbis ſignificat munus præpoſitorum eſſe cæterorum hominum commodis invigilare, qua etiam ex cauſa non tam Domini dicuntur in aliis Scripturæ locis quam Dei miniſtri, Sapientiæ 6. cap. *Cum eſſetis miniſtri Regni ejus, non recte judicaſtis*; & Rom. 13. *Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſi ſervientes.*

Quibus certe conſentanea ſunt quæ paſſim ſcribunt SS. Patres, quorum teſtimonia in re tam facili moleſtum eſſet huc afferre: conſulantur S. Clemens Alex.

Alex. lib. 3. Pædag. c. 4. S. Baſil. homil. in principium Proverb. S. Auguſt. lib. 9. de Civit. Dei cap. 21. S. Gregor. M. in cap. 8. lib. I. Reg. Inſigne eſt quod ſcribit S. Bernardus ad Eugenium Papam lib. 3. de conſid. cap. 3. *Principem te conſtituerunt*, inquit, *ſed ſibi non tibi. Alioqui quo pacto te reputas ſuperiorem his, a quibus beneficium mendicas? Audi Dominum: Qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. At iſtud de his qui foris ſunt, quid ad nos? Tu id mendaciter dixeris, ſi non tam beneficiis eſſe quam beneficiis præeſſe intendas. Parvi dejectique animi eſt, de ſubditis non profectum quærere ſubditorum, ſed quæſtum proprium*. & cap. 4. *Ubi etiam meminiſſe te volo parabolæ. Nathan de homine qui multas oves habens, unam quæ erat pauperis, concupivit. Huc quoque veniat factum, imo facinus Regis Achab, qui rerum ſummam tenebat, & unam vineam affectavit. Avertat Deus a te, quod ille audivit, Occidiſti & poſſediſti*. Legi poteſt quæ in eundem finem ſcribit S. Thomas lib. 3. de eruditione Principum c. 3. & opuſculo 21. quod eſt ad Duciſſam Brabantiæ.

Objicies: Quamplurimæ citari poſſunt leges quæ ad ſola privatorum commoda referri videntur. Cujuſmodi ſunt leges quæ uni datæ ſunt Adamo dum ſolus degebat in terris. Cujuſmodi lex qua unicuique ſtatutum eſt vitam ſuam conſervare. Cujuſmodi lex qua tenetur frater data occaſione fratrem corripere. Cujuſmodi leges vectigalium, quæ non niſi ad onus Reipublicæ exiguntur a Principe. Cujuſmodi lex præſcriptionum quæ in civium nocumentum plerumque vertunt. Cujuſmodi tandem leges de infligendis pœnis afflictivis, quæ ad mortem unius rei tendunt; ergo falſum eſt omnem legem ferri neceſſario in commune bonum.

Reſpondeo, nullam eſſe ex iſtis legibus quæ primo & per ſe non tendat in bonum commune.

Ac primo quidem dico leges omnes quæ præſcriptæ ſunt Adamo ſeu in ordine naturæ ſeu in ordine gratiæ, illum ſpectaſſe prout ſummum totius generis humani caput, adeoque in bonum publicum latas; quocirca cum præcipuam Dei legem tranſgreſſus fuiſſet primus parens, manavit inde in omnes & ſingulos homines peccatum originale.

Ad ſecundum reſpondeo, legem, qua unicuique præſcriptum eſt vitæ ſuæ conſulere, ferri potiſſimum in publicam utilitatem; nemo enim dubitare poteſt, quin Reipublicæ interſit plurimum, ut quiſque vitam ſuam conſervet vel etiam vim vi repellens; alioquin cum pluribus civibus brevi privaretur Reſpublica, cito etiam ipſa periret.

Idem porro judicium ferri debet de lege fraternæ correctionis; poſtulat enim bonum Reipublicæ ut ab ea vitium omne exulet; quod quidem fit per fraternam correptionem.

Ad legem vectigalium quæ quarto loco objicitur, reſpondeo ejuſmodi legem vel eſſe juſtam, vel injuſtam; ſi injuſta eſt, eo quod nempe ſublato motivo publicæ utilitatis pro ſola habendi libidine immenſas pecunias exigat Princeps, jam non erit vera lex, ſed deficiet in tyrannidem; ſi vero juſta, eſt ejuſmodi lex, cum nempe fiunt exactiones pro honeſto Principis ſtatu conſervando, vel ad communem populorum utilitatem, tunc, ut per ſe patet, fertur ipſa in bonum commune.

Ad quintum dico ſimiliter, legem præſcriptionum quæ vim habet in materia civili ad procurandam civibus tranquillitatem rite inſtitutam; tametſi præter intentionem & legis & Legislatoris damno ſit & nocumento privatæ alicui familiæ: ſi enim poſt 30. annos bonæ fidei poſſeſſionem interturbare liceret, nulla certe foret in bonorum poſſeſſione tranquillitas, tuncque perpetua emergerent inter cives diſſidia.

Denique & in bonum publicum cedunt

dunt leges, quibus decernuntur pœnæ afflictivæ; quia plurimum intereſt Reipublicæ, ut ſceleratorum impetus coerceantur, qui nempe nihil non tentarent, niſi metu mortis vel alterius ſupplicii terrerentur.

Objicies: Si lex omnis neceſſario poſtularet ordinari in bonum commune, ſequeretur inde, ceſſante communi utilitate, quæ legis foret motivum, ceſſare quoque legis obligationem: atqui tamen hoc falſum eſt; licet enim, v. g. aliquis privatus noſſet optime Principem in ſuum proprium bonum vectigalia convertere, ab iis tamen ſolvendis non eſſet immunis: Licet ceſſarent fraudes, ad quas evitandas lex inſtituta fuit irritans matrimonia clandeſtina, non deſineret propterea legis obligatio; ergo lex omnis non fertur neceſſario in bonum commune.

Diſt. maj. Ceſſare quoque legis obligationem, ſi publica auctoritate conſtaret motivum legis ceſſare, C. ſecus, N. Non ceſſat igitur legis obligatio, tametſi ceſſare videatur ſcopus & motivum legis, niſi publica auctoritate id declaretur; quemadmodum, ut mox dicturi ſumus, hæc ipſa lex vim antea non habuit in Republica, priuſquam publica auctoritate intimaretur; aliter enim legis obligatio omnino penderet ab acceptatione ſubditorum, penes quos eſſet illam ad nutum abrogare, ubi veriſimiliter exiſtimarent ejuſmodi legis motivum ceſſare, quod quidem falſum eſſe infra docebitur.

Objicies: In utroque jure civili & Eccleſiaſtico duplex diſtinguitur legum genus: aliæ ſunt generales, aliæ perſonales; ita in jure civili inſtit. lib. 1. titulo 2. de jure naturali gentium parag. 6. in jure Canonico decr. p. ult. cauſ. 19. q. 2. illud legimus ex Urbano Pontifice, *Duæ ſunt leges, una publica, altera privata*.

Reſpondeo, Juſtinianum appellare leges *perſonales* quæ potius ſunt privilegia quam leges; privilegium enim dicitur, quaſi privata lex, eaque melius cenſetur exceptio a lege quam lex. Quod autem in jure Canonico duæ ſimiliter leges diſtinguuntur, ibi nomine legis privatæ intelligitur divini Spiritus afflatus, quo quis ad agendum movetur; at id rationem legis non habet: Unde Urbanus Pontifex ibidem affirmat eam proprie loquendo legem eſſe quæ publica eſt.

Cujus ſit legem ferre.

DIco leges ferre ſolius eſſe perſonæ publicæ, quæ communitatis curam gerit; ita S. Thomas art. 3. 1°. quia, ut mox dictum eſt, in bonum commune Reipublicæ ſemper dirigi debet lex, quod proinde ab eo ſolo præſtari poteſt qui ejusmodi Reipublicæ præeſt; 2. quia ſi quilibet privatus poteſtatem condendi leges ſibi arrogaret, contraria plerumque præciperentur: quod certe magnum Reipublicæ afferret detrimentum: 3. quia expedit ut penes eum qui legem aliquam præſcribit, ſit poteſtas cogendi ſubditos ad illius obſervationem; aliter valde timendum erit ne fruſtra & incaſſum condita fuerit lex, vimque ſuam numquam obtineat.

Neque eſt quod in iſtam aſſertionem intellectu facillimam objiciatur id quod ſcribit S. Paulus ad Rom. c. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, ipſi ſibi ſunt lex*, quaſi mens Apoſtoli ſit unumquemque poteſtatem habere condendi legem; ibi quippe, ut nemo non videt, agitur de lege naturali: cum autem dicimus ſolius eſſe perſonæ publicæ leges ferre, id ſolum intelligi volumus de lege poſitiva.

Neque dicas ſimiliter patremfamilias poteſtatem habere condendi leges in domo ſua, utpote qui cogendi vim habeat & filios ſuos puniendi; conſtat enim patremfamilias non habere proprie loquen-

quendo in filios poteſtatem coactivam juridice ; unde non poſſet eos pœnis afficere gravioribus, ut carcere, exilio, &c. eorum auctoritas œconomiæ eſt, non jurisdictionis, qualis reſidet in Judicibus qui agunt & ipſi nomine Principis.

Quamobrem in univerſum dici poteſt eſſe penes Eccleſiæ Paſtores, qui hujuſce communitatis curam gerunt, leges Eccleſiaſticas ferre, idque juris eſſe in Conciliis tum œcumenicis tum provincialibus, in Epiſcopis & eorum Vicariis generalibus, ac demum in univerſalibus. Quibus vero limitibus præſcripta ſit illorum omnium auctoritas in condendis legibus, alio tractabitur loco, ubi nempe de poteſtate Eccleſiaſtica ex profeſſo dicemus.

Hinc etiam ſequitur legum ſæcularium condendarum poteſtatem eſſe penes eos Principes qui curam habent communitatis, tametſi ſint ethnici vel hæretici: ait enim Chriſtus, Lucæ 20. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*. Quod quidem ita demum intelligi debet, ut ad leges Eccleſiaſticas condendas excurrere non poſſit eorum auctoritas.

An promulgatio ſit eſſentialis legi.

NOtandum eſt primo quæſtionem non eſſe de lege æterna, facile enim intelligitur ejusmodi legem nunquam fuiſſe promulgatam, niſi qui vocum ſignificatione abuti manifeſte velit cum nonnullis Thomiſtis, qui ut præfatam legis definitionem, qua dicitur, *Ordinatio rationis in bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata*, omni penitus legi accommodent, dicunt poſt ſanctum Thomam, legis alicujus promulgationem fieri dupliciter, & verbo & ſcripto; utroque autem modo legem æternam ex parte Dei fuiſſe promulgatam: primum quidem verbo, cum nempe Verbum Dei ab æterno fuit genitum in ſinu Patris; deinde libro vitæ, quia ſcriptura libri vitæ eſt æterna. Sed ejusmodi promulgatio, ut cuipiam manifeſtum eſt, eſt plane metaphorica; nam promulgatio legis proprie dicta eſt intimatio & declaratio legis facta iis quibus præſcribitur adimplenda: ſed ab æterno denuntiata & declarata non fuit lex æterna, nullæ ſiquidem erant creaturæ quibus denuntiaretur; igitur iſta promulgatio quam legi æternæ tribuunt Thomiſtæ, eſt omnino metaphorica.

Item notare eſt quæſtionem non eſſe de lege naturali; certum eſt enim ejusmodi legem nulla indigere promulgatione, ut innoteſcat hominibus, quam ſcilicet mentibus noſtris a natura impreſſam habemus. Unde ſtatus quæſtionis propoſitæ debet ſolummodo intelligi de lege poſitiva.

Dicimus legem omnem poſitivam promulgari debere, ut vim obligandi obtineat. Siquidem ut lex obliget debet innoteſcere: ſed non innoteſcit niſi per promulgationem, tunc enim publicatur, denuntiatur, atque, ut ajunt, intimatur iis quibus præſcribitur.

Adde quod lex in ſubdito eſt regula ejus actionum: ſed non cenſetur regula niſi prius nata fuerit; eatenus enim regula eſt, quatenus eſt in mente ſubditi, eique inſtar menſuræ admovetur, non autem prout eſt in mente Legislatoris. Unde tritum eſt illud Gratiani decret. diſt. 4. Leges inſtituuntur cum promulgantur.

Atque id inſuper declarari poteſt inductione facta cujuslibet legis poſitivæ; quæ ſemper & in quavis ætate promulgatæ fuerunt, ut vim aliquam obtinerent. Lex divina vetus Moyſis miniſterio Judæis declarata fuit. Lex nova ope Apoſtolorum per totum orbem publicata. Quod idem certum eſt de humanis legibus & civilibus & Eccleſiaſticis: cautum enim ſemper fuit & a Principibus tum Ethnicis tum Chriſtianis, & a ſummis Eccleſiæ Paſtoribus,

bus,

bus, ut leges ſuas populis per provincias diſperſis publice denuntiari juberent; id fuſius oſtenditur infra, ubi de legibus humanis Eccleſiaſticis pertractabitur adverſus quoſdam Italos, qui ſatis eſſe putant ad conſtitutiones ſummorum Pontificum ſi Romæ promulgentur.

An vero his præſuppoſitis promulgatio dici debeat eſſentialis legi, vel ſolum conditio neceſſario requiſita ut lex obliget; utrum ante promulgationem cum nondum actu obligat, ſit vere & proprie, vel ſolum imperfecte lex; qua de re diſputant inter ſe nonnulli: haud dubie quæſtiones ſunt nullius momenti, quæ nos vel unico inſtanti retardare non debent.

De Interpretatione Legis.

INterpretatio legis nihil eſt aliud quam explicatio terminorum quibus continetur lex, ut ſcilicet cognoſcant ſubditi quid per ejusmodi legem præſcriptum ſit, quid præcipiatur, quid prohibeatur, quid ſit agendum, quidve fugiendum.

Duplex autem vulgo diſtinguitur legis interpretatio; alia eſt ſimplex, alia quæ dicitur per Epiikiam, vel Epiikia. Interpretatio ſimplex eſt mera legis explicatio, cujus neceſſitas oritur ex ignorantia ſubditorum qui verum & legitimum legis ſenſum ſine interprete aſſequi non poſſunt. Epiikia eſt explicatio legis per aliquam emendationis ſpeciem; unde definitur ab Ariſtotele 5. Ethic. cap. 10. *Emendatio legis ex ea parte qua deficit propter univerſale*. Id oritur ex culpa Legislatoris, qui non prævidit omnes caſus, in quibus lex quam præſcripſit nociva eſſe poteſt: unde coguntur ſubditi judicare in his & illis caſibus legem non obligare.

His præmiſſis quæritur an omnis & quæcunque lex patiatur non modo ſimplicem interpretationem, ſed & Epiikiam. Certum eſt primo in omnem legem ſeu naturalem ſeu poſitivam, divinam & humanam, cadere ſimplicem interpretationem; ſiquidem ſimplex legis interpretatio eſt explicatio terminorum legis: atqui lex omnis eget explicatione, neceſſe eſt ut aperiatur ſenſus cujuscunque legis; quandoque enim termini alicujus legis ſeu naturalis ſeu divinæ ſumi debent literaliter, aliquando vero metaphorice, modo debent extendi ad plures caſus, modo ad unum aut alterum reſtringi; in exemplum, v. g. adducatur iſtud legis naturalis præceptum, *Non mœchaberis*, profecto ex nuda & ſimplici terminorum notitia, cuilibet non patebit hanc legem etiam ad eos extendi qui mulierem concupiſcunt, quo ſenſu eam interpretatus eſt Chriſtus Dominus Matth. 5. his verbis, *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, mœchatus eſt eam in corde ſuo*.

Et ſimiliter ſi ſermo ſit de lege divina, ſtando terminis legis, omne opus ſervile prohibitum eſt die Sabbathi; illud autem explicuit Chriſtus cum declaravit non violari præfatam hanc legem, ſi ea die eſurientes vellant ſpicas, ſi ſanetur ægrotus, ſi aſinus educatur e fovea.

Certum eſt 2. in leges humanas non modo cadere ſimplicem interpretationem, ſed & Epiikiam. Siquidem, ut dictum eſt, Epiikia eſt illa legis explicatio, qua judicamus legem in aliqua circunſtantia particulari deficere; adeo ut, ſi hunc caſum prævidiſſet Legislator, legem non tuliſſet: ſed ejusmodi explicatio legum humanarum plerumque neceſſaria eſt ad publica commoda, in illis ſcilicet caſibus in quibus lex ſi obſervaretur, nociva foret Reipublicæ, ſi enim, v. g. lege lata prohibuiſſet Princeps in toto late ſuo regno, ne quis noctu ferat arma, occurrat tamen evidens neceſſitas ad arma confugiendi, ut ſi fiat in aliquam

civitatem ſubita hoſtium irruptio; profecto neceſſe eſt ut in illo caſu legem Principis interpretentur cives per Epiikiam; quatenus judicabunt mentem Principis non eſſe ut in tali circunſtantia quam non prævideraт, locum haberet ejusmodi lex. Et ratio eſt, quia naturalis rerum ordo & æquitas poſtulat, ut pro bono publico res emendetur qua parte deficit; ſed lex deficit in illis caſibus ex parte ſcilicet Legislatoris, quando legem univerſe tulit, nec aliquam circunſtantiam expreſſit, in qua ſi lex obſervetur, tunc peccetur in publica commoda; igitur Epiikia locum habet in legibus humanis.

Sed unum ſupereſt examinandum, an Epiikia cadat in legem naturalem & divinam, vel ſolummodo ſimplex interpretatio.

Conclusio.

In legem tum naturalem tum divinam non cadit Epiikia. Siquidem Epiikia eſt legis emendatio quæ culpam ſupponit in Legislatore, qua ſcilicet legem in univerſum tulerit, non prævidens circunſtantiam, in qua non poteſt obligare: ſed ejusmodi emendatio ſecum involvens culpam & defectum providentiæ in Legislatore, cadere non poteſt neque in legem naturalem neque in divinam; ſiquidem Deus qui utriusque legis auctor eſt, a veritate aberrare non poteſt, nec improvidentiæ merito redargui, quaſi certos caſus certaſque circunſtantias non prævideriт; igitur Epiikia proprie locum non habet in lege naturali, neque in lege divina.

Objicies, Nonnulla proferri poſſunt exempla, quæ manifeſte oſtendunt legem naturalem pati Epiikiam.

Primo lege naturali quilibet tenetur reddere depoſitum: atqui tamen lex iſta emendari debet; quatenus nempe furioſo reddere non licet enſem depoſitum, ex S. Thom. 2. 2. q. 120. artic. 1. ergo.

Secundo lege naturali prohibitum eſt homicidium; ſed iſta lex emendari debet, emendaturque, quatenus publica auctoritate morte plectuntur homines; igitur.

Tertio lege naturali tenetur quivis voto cui ſe lubens obſtrinxit: Sed iſta lex emendari debet, quatenus nempe judicetur tunc a ſuo voto immunem eſſe hominem, quando aliquid temere vovit, vel rem illicitam, vel impoſſibilem; ergo Epiikiam non reſpuit lex naturalis.

Reſpondeo ex iſtis & ſimilibus exemplis colligi tantum poſſe legem naturalem admittere aliquam explicationem, quam ſcilicet appellavimus ſimplicem interpretationem; neutiquam vero admittere Epiikiam: in iis enim inquiritur quidem & explicatur quo ſenſu hæ leges intelligi debeant, & ad quos caſus extendi vel reſtringi; ſed nullus propterea notatur error, nulla culpa, nullus providentiæ defectus in Legislatore; cum enim, v. g. vidit aliquis lege tum naturali tum divina prohibitum eſſe homicidium, advertit tamen poſtea non obſtante illo præcepto licitum eſſe in bello hominem occidere, *Non occides;* haud dubie tunc ſolum explicatur lex, & ſimplici interpretatione judicatur hoc lato præcepto mentem Dei non fuiſſe eos tanquam homicidii reos habere, qui publica auctoritate, velut milites, in bello homines interficiunt, ubi certe nulla occurrit Epiikia, quia ſic miles ad ejusmodi præceptum non reflectit, ut dicat errori vel inadvertentiæ ſubjacuiſſe Deum cum tulit hanc legem.

Et ſimiliter in exemplo depoſiti reddendi locum non habet Epiikia, ſed iſta ſolum legis explicatio qua judicat legem naturalem obligare præciſe ad reddendum depoſitum juxta ordinem & leges rectæ rationis, quæ dictat

non

non eſſe reddendum depoſitum furioſo.

Denique lex voti adimplendi non emendatur, ſed ſimplici interpretatione donatur; cum nempe judicatur ejuſmodi lex eum obſtringere qui temere aliquid vovit, aut rem illicitam, aut impoſſibilem, quatenus nempe manifeſtum eſt tunc nullum eſſe votum, ubi fit temere, vel de re illicita aut impoſſibili.

At, inquies, patet ex illis exemplis quæ ſpectant legem naturalem, & aliis quamplurimis quæ afferri poſſent de lege divina, ubi veram & proprie dictam eſſe Epiikiam, quemadmodum & pro lege humana; ideo enim in leges humanas cadit Epiikia, quia videt ſubditus Principem tuliſſe legem in univerſum, omiſſa aliqua circumſtantia & reſtrictione, & in eo legem hanc Principis per emendationem interpretatur & immutat: Sed idem omnino fit reſpectu legis divinæ, ſic, v. g. quando Judæi Machab. lib. 1. cap. 2. in die Sabbati pro aris & focis adverſus inimicos pugnarunt; tunc certe per Epiikiam interpretati ſunt legem Dei prohibentis quodcunque opus ſervile die Sabbati; judicarunt enim omiſiſſe Deum præſcribere nonnullas circumſtantias, in quibus liceat opera ſervilia exercere die Sabbati; ergo ut in leges humanas, ita in divinam cadit Epiikia.

Nego ant. In præfato enim caſu, ſimplici interpretatione legis divinæ uſi ſunt Judæi, neutiquam vero Epiikia; quia Epiikia, ut diximus, eſt emendatio erroris qui deprehenditur in Legislatore: Sed ibi nulla fuit emendatio erroris in Legislatore; quamvis enim iſta lex divina, idemque ſit judicium de cæteris, ſi ſolam literam attendas, emendari videatur, quaſi in caſu ſingulari defecerit; tamen nullus notatur error, nulla inconſiderantia in Deo Legislatore; atque ideo ſi conferatur cum mente Legislatoris proprie dici nequit per Epiikiam emendari.

Quæres, unde petenda ſit legum interpretatio.

Reſpondeo primo, legis divinæ interpretationem ab Eccleſiæ doctrina & judicio petendam; id intelligimus ubi ſuboritur aliqua dubitatio de vero & legitimo Scripturæ ſenſu. Nam primo nos ipſi Scripturæ quæ legem divinam continet, inſiſtere debere velut certæ morum regulæ, a qua ne minimum unguem diſcedere liceat, expreſſe jubet ipſe Deus, Deut. 12. *Non facietis ſinguli quod vobis rectum videtur, ſed quod præcipio tibi*. Joſue 1. cap. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges viam tuam, intelliges eam ..... Ne declines a verbis legis hujus, ad dexteram vel ad ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis*. II. ad Timot. 3. *Tu vero permane in eis, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens a quo didiceris, & quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*. Ubi manifeſte docet Apoſtolus conſtanter adhærendum eſſe Scripturis; at Epiſtolæ ad Galatas c. 1. expreſſius monet cavendum eſſe a falſis Evangelii interpretibus. *Niſi ſunt aliqui*, ait, *qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti. Sed licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*.

Quibus profecto conſentiunt omnes Patres, qui uno ore docent ſolam Dei Legem eſſe regulam morum & menſuram: conſuli poſſunt ſuper ea re S. Clemens Alexand. lib. 7. Strom. Origenes, homil. 1. in Cantica. S. Greg. Nazian. orat. 24. S. Baſil. lib. 2. de Bapt. cap.

6. S. Cypr. Epiſt. 22. lib. 2. de Bapt. cap. 6. S. Cypr. Epiſt. 22. & 30. Lactantius lib. 3. cap. 7. &c.

Quoniam autem plurima ſunt in illis Scripturis teſtimonia, quæ nonnihil obſcuritatis habent, adeo ut erroris periculo exponerent ſe, qui hæc ſuo ſenſu & privata auctoritate interpretari vellent, unam ducem Eccleſiam & interpretem ſequi debemus; quia, ut fuſius oſtendetur in Tractatu de Eccleſia, non poteſt alius eſſe controverſiarum Judex quam Eccleſia: unuſquiſque enim prout affectus eſt judicat, in opinione unius aut alterius hominis nihil certi eſt, omnia conjecturis aguntur, omnia ex præjudicio; unde frequentiſſimus hæreticorum error, ex ea nempe temeraria verbi divini interpretatione, qua unuſquiſque pro arbitrio ac libidine Scripturas exponit.

Et quia facile innoteſcere non poteſt omnibus & ſingulis fidelibus quænam ſit legum divinarum interpretatio, juxta doctrinam Eccleſiæ, quid nempe in rebus divinis tradiderint Sancti Patres, quidve ſancitum fuerit in Conciliis generalibus, quorum decreta Verbi divini interpretatione referunt; debent illi fideles in dubiis circa fidem & Scripturæ ſenſum occurrentibus Doctores conſulere, quorum certe officium eſt vera Chriſti Domini placita aperire, juxta legitimam Eccleſiæ interpretis expoſitionem.

Reſpondeo 2. ſi ſermo ſit de legibus humanis, earum interpretationem petendam eſſe maxime ex virorum illuſtrium teſtimonio; unde non aliter leges Eccleſiæ interpretari licebit, quam ex Doctorum ſuffragio, ut modo diximus de legibus divinis; nec leges civiles quam juxta Magiſtratuum aut Juriſconſultorum ſententiam; ita ut tamen in utroque jure ratio haberi poſſit & conſuetudinis receptæ, & gravitatis pœnarum quæ infliguntur, ex quibus repeti poteſt legum humanarum ſenſus.

De Lege æterna.

Lex æterna definitur a ſancto Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. *Ratio divina vel voluntas ordinem naturalem ſervari jubens, perturbari vetans.* Lib. 1. de lib. arbit. cap. 26. *Summa Dei ratio cui ſemper eſt obtemperandum.* Sic vero nuncupatur iſta lex, quod nempe ſit ipſa ratio Dei, ab æterno in eo exiſtens, non autem quod ab æterno creaturis impoſita fuerit.

Differt a providentia, in eo quod providentia verſetur circa res ſingulares, ut quamlibet in particulari ad finem ſibi proprium ordinet; Lex vero æterna verſatur circa bonum univerſale, ipſaque ſit veluti regula providentiæ, quæ ad normam legis æternæ hoc vel illud decernit.

Differt ab Ideis divinis, quod ideæ divinæ proprie loquendo, verſantur circa mundi productionem, unde dicuntur cauſæ mundi effectrices: at vero Lex æterna eſt ratio ſuprema, quæ idearum eſt veluti prima regula & pro mundi creatione & pro ejus gubernatione. Lex æterna, ut aiunt, eſt conceptus rerum gubernandarum; Ideæ vero ſunt conceptus rerum faciendarum; ac demum in eo quod ideæ pertinent ad intellectum, lex vero æterna magis proprie ad voluntatem, quia lex omnis ad voluntatem potius pertinet, quam ad intellectum.

Differt a lege naturali, in eo quod lex æterna ſit tantum in mente Dei, ſitque, ut dictum eſt, ipſa Dei ratio Deo inexiſtens; lex vero naturalis in ſingulis hominum animis inſita ſit & inſculpta.

Differt denique a lege divina, in eo quod lex æterna ſit ipſa Dei ratio prout in mente Dei inſidens, nulli vero creaturæ promulgata; lex vero divina fuerit in tempore hominibus data, vel Judæis ſi ſermo ſit de veteri, vel Chriſtianis ſi de nova lege. Lex æterna, inquiunt

Theo-

Theologi, non eſt lata ſed ferens, non impreſſa ſed imprimens, non participatio legis, ſed origo & fons omnium legum.

Quærunt itaque, num proprie lex æterna dici poſſit origo & fons, a quo deriventur cæteræ leges.

Reſpondeo id veriſſime dici poſſe, Deus enim ait Proverb. cap. 8. *Per me Reges regnant & legum conditores juſta decernunt;* & Apoſtolus ad Rom. 13. cap. *Non eſt poteſtas niſi a Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Quæ quidem loca, quibus ſimilia prope innumera adjungi poſſent, manifeſte oſtendunt ſupremam Dei rationem, quæ ipſa eſt lex æterna, fontem eſſe a quo manarunt deinceps cæteræ leges.

Id autem non uno in loco aperte docet S. Auguſtinus, *Quid illa lex*, inquit, lib. 1. de lib. arbitr. c. 6. *quæ ſumma ratio nominatur, cui ſemper obtemperandum eſt, & per quam mali miſeram, boni beatam vitam merentur; per quam denique illa quam temporalem vocandam diximus recte fertur, recteque mutatur? Poteſt ne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri? ... Simul etiam te videre arbitror in illa temporali nihil eſſe juſtum atque legitimum, quod non ex hac æterna ſibi homines derivarint.*

Et ratio eſt, quia cum Deus ſit prima rerum omnium cauſa, primus motor, ejus ſuprema ratio debet eſſe fons & origo, a qua totius orbis regimen & adminiſtratio derivetur; quemadmodum a mente & ſapientia Artificis manat ordo qui deprehenditur in ſtructura ædificii: Sed mirabile illud mundi regimen conſervatur potiſſimum beneficio legum tum divinarum tum humanarum, quatenus nempe omnia dirigunt ad fines ſuos; igitur a lege æterna cæteræ derivantur leges velut a prima cauſa & radice; hæc ratio eſt S. Thomæ 1. 2. quæſt. 93. art. 3.

Objicies, Lex divina non derivatur a lege æterna; neque enim lex divina dici poteſt ratio inferioris gubernantis, aliter ipſa Dei ratio inferior eſſet alteri primo motori, quod valde abſurdum eſt; igitur non omnis lex ab æterna lege derivatur.

Reſpondeo, legem divinam ab æterna derivari, non quidem prout eſt in Deo, prout eſt ratio ipſa Dei; eatenus enim non diſtinguitur a lege æterna, recte vero ſi ſpectetur prout a Deo data hominibus: ſic enim dici poteſt ratio gubernantis inferioris; utraque enim lex divina ſeu Judæorum ſeu Chriſtianorum, id eſt utriusque legis præcepta, ſuam deſumunt æquitatem a lege æterna, a qua ſicut a fonte rivuli proficiſcuntur.

Objicies, ſi leges humanæ derivarentur ab æterna lege, nunquam ſibi ipſis forent contrariæ: atqui certum eſt plurimas ſanciri leges ab hominibus e diametro ſibi oppoſitas & contrarias, quarum una jubet quod prohibet altera; igitur leges humanæ ab æterna non derivantur.

Nego maj. recte ſiquidem concipitur diverſas leges ſibi maxime oppoſitas ab una eademque lege ſuperiori eſſe derivatas; quia nempe poſtulat primarius rerum ordo, qui legis æternæ finis eſt ultimus, ut pro diverſitate locorum, temporum, & perſonarum variæ quoque & diverſæ præſcribantur leges.

Inſtabis, Si leges humanæ derivarentur ab æterna, jure divino obſtringerent; abſurdum conſ. ergo & ant.

Nego major. quia nempe ea ſolum tanquam jure divino ſtabilita homines aſtringunt, quæ ſunt a Deo immediate inſtituta, quo ſane pacto jus divinum ab humano ſeu civili ſeu Eccleſiaſtico diſtinguere ſolent Theologi. Atqui leges humanæ non ſunt a Deo immediate inſtitutæ, tametſi deriventur a lege æterna; ergo.

Objicies, Nihil iniquum oriri poteſt a lege æterna: ſed quædam leges humanæ

manæ ſunt iniquæ, ut teſtatur Iſaias cap. 10. his verbis, *Væ qui condunt leges iniquas*; Ergo ſaltem ſingulæ leges humanæ non derivantur ab æterna.

Reſpondeo cum S. Thoma, loco jam citato: *Ad ſecundum*, inquit, *dicendum quod lex humana in tantum habet rationem legis, in quantum eſt ſecundum rationem rectam, & ſecundum hoc manifeſtum eſt quod derivatur a lege æterna: in quantum vero a ratione recedit, ſic dicitur lex iniqua, & ſic non habet rationem legis, ſed magis violentiæ cujusdam*.

Quæres utrum omnia creata ſubjiciantur legi æternæ?

Reſpondeo affirmative, eſtque hæc ſententia ſancti Thomæ, qui duobus diſtinctis articulis probat res omnes creatas, neceſſarias, ſeu contingentes, resque omnes humanas ſubjici legi æternæ. Siquidem ea omnia ſubjiciuntur legi æternæ quæ ſubſunt Dei dominio & regimini: ſed omnia creata ſeu rationalia ſeu irrationalia, neceſſaria vel libera, ſubſunt dominio Dei; adeo ut cum iis ſuum agendi principium impreſſerit, ea quoque ad ſuos fines dirigere debeat, ut vel de ipſis creaturis irrationalibus teſtatur Scriptura, nam Proverb. 8. *Quando circumdabat mare terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos*, & Pſal. 148. *Ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandavit & creata ſunt; ſtatuit ea in æternum & in ſæculum ſæculi, præceptum poſuit & non præteribit*; ergo omnia ſubjiciuntur legi æternæ.

Objicies, Saltem creaturæ irrationales legi æternæ non ſubjiciuntur, ſunt enim legis cujuscunque incapaces.

Diſt. ſunt incapaces legis quam percipiant, C. per quam regantur & ad ſuos fines perducantur, N. Hæc reſponſio majori non eget explicatione.

At, inquies, legi tantum ſubjiciuntur illi quibus fuit promulgata: Sed creaturis ratione deſtitutis neque lex æterna neque alia quæcunque fuit promulgata & denuntiata; ergo.

Reſpondeo legem Dei ſuo modo promulgatam fuiſſe creaturis irrationabilibus, quatenus nempe illis in ortu ſuo impreſſum eſt agendi principium, deinceps vero unaquæque ex illis ad ſuum finem per media efficaciſſima dirigitur.

De Lege naturali.

LEx naturalis, quæ nimirum in nobis ſpectatur, in Deo enim eſt lex æterna, recte definitur, Ratio ipſa hominis per quam boni & mali ſecernendi eſt capax: deſignari ſolet tanquam naturalis inclinatio ad bonum proſequendum & malum fugiendum; dicitur ab aliis dictamen rectæ rationis quo quisque ſibi conſcius eſt; ab aliis lex boni & mali in ſingulis hominibus naturaliter impreſſa; ab aliis demum ratio naturalis, lumen naturale.

Ea eſt ipſa lex de qua non infrequens mentio habetur in Scripturis. Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*; hoc eſt lumen quoddam naturale, quo poſſit unusquisque bonum a malo diſcernere, id enim reſpondet David factæ his verbis ejusdem Pſalmi, *Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona?* Epiſt. ad Rom. c. 2. *Cum Gentes, quæ legem non habent*, hoc eſt legem ſcriptam, *naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis (conſcientiæ) ipſorum, & inter ſe invicem cogitationum accuſantium aut etiam defendentium*.

Scilicet lex naturalis aut parum, aut nihil omnino differt a conſcientia ad quam velut quoddam tribunal interdum paſſim nos provocant eædem ſcripturæ, Iſaiæ 46. *Redite, prævaricatores, ad cor*. Matth. 18. *Et ex verbis tuis condemnaberis, ex verbis juſtificaberis*. Lucæ

cæ 19. *De ore tuo judico te, ſerve nequam*. Adverſus ejusmodi conſcientiæ dictamen peccabant Ethnici, quos Apoſtolus ad Rom. cap. 1. reos habet veritatis in injuſtitia detentæ, *qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*.

Sic vero innatam omnibus & a natura inditam eſſe legem, quæ ad bonum moveat & a malo avocet; aut ſaltem quæ ſit interius quoddam lumen, quo unuſquiſque novit quid rectum ſit & honeſtum, quidve pravum & illicitum, uno ore teſtantur omnes SS. Patres, imprimis vero S. Auguſtinus in multis locis, lib. 2. Confeſſ. cap. 4. *Furtum certe*, inquit, *punit lex tua, Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas*. In Pſal. 118. *Secundum id vero*, inquit, *quod ait, ipſi ſibi ſunt lex, non immerito prævaricatores æſtimantur omnes peccatores terræ. Nullus enim eſt qui faciat alteri injuriam, niſi qui fieri nolit ſibi; & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non ſinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati*. & in Pſal. 57. *Cui enim iniquo non facile eſt*, inquit, *loqui juſtitiam? aut quis de juſtitia interrogatus quando non habet cauſam, non facile reſpondeat quid ſit juſtum? Quandoquidem manu formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit: quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet unde judicarentur, & quibus lex non eſſet data*.

S. Ambroſius de lege naturali ſic loquitur Epiſt. 41. *Ea lex*, inquit, *non ſcribitur, ſed innaſcitur; nec aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur, ea ſimplex & ſine fuco eſt*.

S. Chryſoſtomus Homil. 12. ad Populum Antioch. *Quid tandem eſt lex naturalis? conſcia nobis expreſſit & per ſe diſcibilem conſtituit bonorum & contrariorum ſcientiam; non enim opus habemus diſcere quod malum eſt fornicatio, & bonum continentia, ſed ab initio hoc ſcimus: & ut dicas quod ab initio hoc ſcimus, Legislator leges poſtea ferens & dicens, Non occides, non intulit malum, Non cædes; ſed ſimpliciter, Non occides, inquit; prohibuit enim malum duntaxat, non docuit: quare igitur qui dicit, Non occides, non addidit, quod malum cædes, quoniam præveniens conſcientia nos hoc edocuit, & tanquam ſcientibus & intelligentibus ita loquitur*. Quod idem tradunt paſſim cæteri Patres. Origenes lib. 5. contra Celſum. S. Clemens Alex. lib. 2. Stromat. Euſeb. lib. 6. de Præpar. Quorum teſtimonia hic exſcribere animus non eſt, ne operam in re non neceſſaria collocemus.

Nonnulla hic quæri ſolent in Scholis circa legem naturalem. 1. Quid proprie ſit ejuſmodi lex, & quæ ſint ejus præcepta. 2. Utrum in cordibus hominum poſſit omnino deleri. 3. Utrum mutari poſſit. 4. Denique, utrum ab ejus præceptis Deus diſpenſare poſſit.

Quid ſit Lex naturalis, quæ ſint ejus præcepta.

LEX naturalis, ut ſupra dictum eſt, recte definitur naturale lumen rationis, oſtendens quid ſit bonum, quid malum, quid agendum, quidve fugiendum.

Sed utrum ſit habitus vel actus, an habitus proprie vel improprie tantum, quæri ſolet apud Theologos. Volunt nonnulli legem naturalem eſſe habitum; quia, inquiunt, eſt in homine permanenter, non abrogatur, non deletur, remanet in impiis, in amentibus, in infantibus. Alii dicunt legem naturalem non eſſe habitum proprie, quia, inquiunt, legis eſt hominem per ſe dirigere, habitus autem non dirigit hominem

nem per ſe, ſed mediante actu; cum præterea repetitis actibus non acquiratur: Eſſe tamen habitum improprie, quia habitus dicitur improprie id quod habitu tenetur, ſicut fides dicitur improprie quod fide tenetur.

Docent alii legem naturalem eſſe actum facultatis imperantis id quod conforme eſt rectæ rationi hominis conſiderati ſecundum ſua naturalia. Neque dici poteſt, inquiunt, nobis non ineſſe legem naturalem, quando nihil agimus; quia nempe lex naturalis non dicitur actus quaſi ſemper exiſtat, ſed quia vel actu exiſtit, vel poteſt exiſtere, manetque vel actu, vel virtute; unde proprie loquendo lex naturalis non eſt in pueris & amentibus ſaltem in actu.

Verum non eſt quod in re nullius momenti diſcutienda diutius immoremur, quocirca id unum dicimus legem naturalem ſumi poſſe dupliciter, nempe in actu primo & in actu ſecundo. Lex naturalis in actu primo ipſa eſt natura rationalis quæ vim habet bonum a malo diſcernendi. Lex naturalis in actu ſecundo eſt actuale dictamen conſcientiæ, quo generalia bene vivendi principia naturaliter innoteſcunt.

Quærunt iterum quomodo differant lex naturalis, ſyndereſis & conſcientia. Et reſpondent plerique omnes legem naturalem, ſyndereſim & conſcientiam re ipſa inter ſe diſcrepare, in eo quod ſyndereſis ſit cognitio primorum bene vivendi principiorum. Conſcientia judicium practicum intellectus dictantis hoc & illud in particulari eſſe agendum vel non eſſe agendum. Lex vero naturalis præciſe ſit dictamen rectæ rationis, quod nullam ſecum propenſionem voluntatis importat. Id commune ſibi vindicant tria hæc, quod per illa omnes actiones humanæ vel approbentur vel accuſentur; ſed in ordine ad illas lex naturalis eſt principium, ſyndereſis eſt habitus, conſcientia eſt actus.

Quæres deinde quænam ſint præcepta legis naturalis.

Reſp. 1. præcepta legis naturalis eſſe duplicis generis, alia nempe primaria, alia ſecundaria: Primaria ſunt ea quæ, cum ſint univerſalia, prompte & facile omnibus innoteſcunt, quale eſt illud bene vivendi principium, *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*. Quoniam enim iſtud principium cum recta ratione neceſſario & evidenter conjunctum eſt, juxta mentem & judicium cujuſcunque hominis quia nemo eſt adeo ſtupidus qui ejuſmodi veritatem ſtatim non agnoſcat, merito dicitur primarium juris naturalis principium. Secundaria legis naturalis præcepta ſunt quædam veritates minus generales, quæ non ita facile judicantur connexæ rectæ rationi; unde ſunt veluti concluſiones a primis principiis deductæ. Harum autem concluſionum iterum duplex eſt genus: aliæ ſunt enim proxime ſequentes ex primis principiis, ut iſtud, v. g. Decalogi præceptum, *Furtum non facies*, dici poteſt ſecundarium juris naturalis principium, & concluſio proxime eruta ex præfato primo principio, *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*. Aliæ vero ſunt concluſiones remotiores a primis principiis qualis eſt ea aſſertio, qua tenetur uſuram eſſe illicitam; eatenus enim uſura dicitur jure naturali prohibita & illicita, quatenus eſt quoddam furti genus; adeoque remote tantum eruitur veritas illius aſſertionis ab iſto principio, *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*. His præmiſſis,

Reſpondeo ſecundo, ad legem naturalem proprie loquendo pertinere ſolum primaria præcepta, & ad ſummum concluſiones quaſdam ex illis primariis præceptis proxime ſequentes: Siquidem id ſolum proprie loquendo pertinet ad legem naturalem, quod dictat recta ratio, qualis eſt in omnibus & ſingulis hominibus minime ſtupidis & obtuſis, eſſe bonum vel malum, turpe vel honeſtum, agendum vel fugiendum: atqui recta ratio,

tio, qualis eſt in hominibus minime ſtupidis & obtuſis, dictat primaria juris naturalis principia; vel etiam id quod affirmatur per concluſiones ex illis primariis principiis proxime ſequentes, eſſe quid bonum vel malum, licitum vel illicitum: quicunque enim ingenio minime obtuſo præditus eſt, ſtatim & facile judicat non eſſe furandum, non eſſe occidendum, quia nemo alteri debet facere quod ſibi fieri non vult; ejuſmodi veritates omnibus innoteſcunt; a nemine negantur, cujuſcunque ætatis, & regionis, & a nemine unquam revocatæ ſunt in dubium; Igitur ad legem naturalem proprie pertinent primaria juris naturalis principia & nonnullæ primariæ concluſiones, quæ ex illis principiis proxime ſequuntur. Unde Apoſtolus cum ad Roman. cap. 1. variis ſceleribus violaſſe legem naturæ Ethnicos redarguit, numerat inter illa impudicitiam, quæ non poteſt condemnari niſi per ſecundarium quoddam legis naturæ præceptum.

Reſpondeo tertio alias veritates, quæ nonniſi remote ab illis primariis principiis eruuntur, proprie loquendo non pertinere ad legem naturalem: Siquidem illud non pertinet proprie loquendo ad legem naturalem, quod ab omnibus non æſtimatur rectum, & obligare tantummodo cenſetur vi alicujus legis poſitivæ, ex ſolo alicujus legislatoris arbitrio: in eo enim præciſe differt lex naturalis a lege poſitiva: Sed illæ veritates, quæ nonniſi remote a primariis principiis juris naturalis eruuntur, non æſtimantur ab omnibus eſſe quid rectum, ex natura ſua, ſed obligare tantummodo cenſentur vi legis alicujus poſitivæ, cujuſmodi eſt, v.g. uſura quæ quidem a nobis fere omnibus exiſtimatur lege naturali prohibita; quia eam reputamus quoddam furti genus; ſed quæ apud quosdam populos nihil mali præ ſe ferre creditur; Ergo quæ veritates non niſi remote a primariis principiis juris naturalis eruuntur, proprie loquendo non pertinent ad legem naturalem.

Dixi proprie loquendo; namque non me latet docere nonnullos Theologos omnes & ſingulos actus virtutum, etiam ſupernaturalium, pertinere ad legem naturalem; ſi nempe, ut aiunt, ſumantur ſecundum rationem genericam virtutis præciſe, non ſecundum rationem talis virtutis ſpecifice; quia lex naturalis præcipit in genere id omne quod bonum eſt; vel quia, inquiunt, unuſquiſque naturaliter *ordinem* amat; ordo autem poſtulat, ut Deum tota mente diligamus; adeoque ejus præceptis, ut par eſt, obtemperemus; quo fit, ut omnes actus virtutum aliquo tandem pacto pertineant ad legem naturalem. Verum ad ſummum, in illa ſententia dici poteſt ejuſmodi actus virtutum improprie tantum & reductive pertinere ad legem naturalem: Nulla enim foret differentia inter præcepta legis naturalis, & præcepta legis poſitivæ, ut diximus.

His porro jactis fundamentis nullo negotio reſpondetur ad quæſtiones quæ hac in materia proponi ſolent; id unum ſcilicet examinandum eſt, an præceptum, de quo inſtituitur quæſtio, ſit commune quoddam & univerſale bene vivendi principium, an ſit propoſitio quædam ex primariis legis naturæ principiis, aut proxime aut remote tantum conſequens; ſicque facile, v.g. reſpondetur quæſtioni quam fuſe tractant nonnulli, utrum ſcilicet Deum colere, proximum ut nos ipſos diligere, vel etiam noſtros inimicos, tria ſint præcepta legis naturalis: ſi nimirum his & ſimilibus exemplis applicetur præfata regula.

Ex quibus etiam prompta & facilis depromitur reſponſio huic quæſtioni, quæ in Scholis proponi ſolet, utrum lex naturalis ſit una in omnibus. Scilicet lex naturalis dici debet una in omnibus ſi ſumatur ratione primorum principiorum, quia ut in ſpeculativis prima principia ſunt omnibus nota, ſic & in pra-

ſticis : Sed lex naturalis quoad præcepta particularia non eſt una apud omnes ; neque enim ex primis bene vivendi principiis eædem ubique & apud omnes gentes eruuntur concluſiones, vel quia plerumque rectum judicium in rebus agendis mala conſuetudine aut pravis affectibus impeditur ; vel quia quæ pertinent ad praxim, fieri debent ſecundum circumſtantias quæ variæ ſunt pro diverſitate temporum, loci, & perſonarum.

Utrum Lex naturalis e cordibus hominum omnino deleri poſſit.

His recte animadverſis quæ articulo ſuperiori explicuimus, in præſenti controverſia jam nulla ſupereſt difficultas: ſcilicet, lex naturalis quoad primaria & univerſaliſſima principia non poteſt quidem e cordibus hominum penitus deleri, recte vero ſi ſpectetur quoad præcepta minus univerſalia, ut diſerte docet S. Thomas 1. 2. qu. 94. art. 6. his verbis: *Ad legem naturalem pertinent primo quidem præcepta univerſaliſſima quæ ſunt omnibus nota : ſecundaria autem quædam præcepta magis propria, quæ ſunt concluſiones quaſi propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia lex naturalis nullo modo poteſt a cordibus hominum deleri in univerſali ; deletur autem in particulari operabili, ſecundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiſcentiam vel aliquam aliam paſſionem, ut ſupra dictum eſt. Quantum vero ad alia præcepta ſecundaria poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas perſuaſiones (eo modo quo etiam in ſpeculativis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias) vel etiam propter pravas conſuetudines & habitus corruptos, ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apoſtolus dicit ad Romanos.*

Primo igitur, lex naturalis omnino deleri non poteſt e cordibus hominum, ſi ſpectetur quoad primaria & univerſaliſſima principia, ſi qui enim extarent in quibus obliterata penitus eſſet lex naturalis, maxime impii & Athei, qui vitam per omnia ſolutam agentes, projectæ omnino aut nullius plane videntur eſſe conſcientiæ: ſed in ejuſmodi hominibus perditiſſimis lex naturalis non eſt omnino obliterata quoad primaria & univerſalia bene vivendi principia, ut conſtat, tum ex eorum teſtimonio, qui nempe ſi ad bonam frugem revertantur, fatentur ſe in ipſa ſua impietate præcepta boni & mali ante oculos ſemper habuiſſe, atque etiam identidem remorſus conſcientiæ expertos fuiſſe ; tum quia nullus eſt ex illis perverſiſſimis hominibus, qui hujus primorum præceptorum notitiæ ſpecimina quædam & argumenta non exhibeat ; vel quia virtutem quam ipſi non exercent, in aliis venerantur & colunt ; vel quia dum male agunt, pœnam, quam merentur, timent, ut egregie docet Tullius his verbis: *Magna vis eſt conſcientiæ utramque in partem, ut neque timeant qui nihil commiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent qui peccaverunt;* Ergo lex naturalis e cordibus hominum omnino deleri non poteſt quoad primaria & univerſaliſſima principia.

Hanc ſententiam eadem ratione fulcitam frequenter reperias apud S. Aug. lib. de ſpiritu & litt. cap. 28. ubi loquens de factis Gentilium ſic habet, *Non uſque adeo*, inquit, *in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint ; unde merito dici poſſit etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis vel ſapere ; ſi hoc eſt quod dictum eſt, quia (Gentes quæ legem non habent.) Hoc eſt legem Dei (naturaliter quæ legis ſunt faciunt.) Et quia hujuſmodi homines (ipſi ſibi ſunt lex) & (ſcriptum opus habent in* cor-

cordibus ſuis. Id eſt, non omni modo deletum eſt, quod ibi per imaginem Dei cum crearentur, impreſſum eſt ... Nam ſicut ipſa imago Dei renovatur in mente credentium per Teſtamentum novum, quam non penitus impietas aboleverat, nam remanſerat utique id quod anima hominis niſi rationalis eſſe non poteſt. Unde ſic Deum affatur lib. 2. Confeſſ. cap. 4. *Lex tua ſcripta eſt in cordibus hominum, quam nulla quidem delet iniquitas.* Quia, inquit lib. 8. de Geneſi ad litt. cap. 23. *Nunquam ita punit Deus voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem.*

Et certe non magis primaria & univerſaliſſima morum principia poſſunt in cordibus hominum deleri, quam primæ veritates, prima cognitionis axiomata omnino ignorari poſſunt: par enim eſt illorum ratio, eorum eſt utraque ex parte facilis & expedita cognitio: ſed a nemine, tametſi obtuſæ mentis, ignorari poſſunt prima cognitionis principia, neminem hominem fugere poteſt, v. g. veritas iſtius propoſitionis, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe;* ergo nec primaria & univerſaliſſima bene vivendi principia, qualia ſunt iſta, *Fac bonum; declina a malo; quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris;* poſſunt omnino e cordibus hominum deleri.

Quamobrem huic noſtræ ſententiæ non adverſantur quæ paſſim leguntur tum in Scripturis tum apud SS. Patres, qui de impiis hominibus & excæcatis ſic loquuntur, ut ne minimum rectæ rationis & bonæ conſcientiæ veſtigium in illis ſupereſſe ſignificent, quale eſt illud quod ſcribit Apoſtolus ad Rom. c. 3. *Non eſt juſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Sepulcrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant ... Non eſt timor Dei ante oculos eorum;* qualia ſunt & innumera loca, in quibus dicuntur homines excæcati & obdurati. Sapientiæ 2. *Excæcavit illos malitia eorum.* Joan. 12. *Excæcavit oculos eorum.* 2. Corinth. 4. *Excæcavit mentes infidelium.* Exod. 13. *Induratum eſt cor Pharaonis.*

Quibus & ſimilia tradunt SS. Patres; docet S. Irenæus lib. 4. cap. 30. Iſraelitis neceſſarium fuiſſe Decalogum, quia in iis extincta erat juſtitia, *Quia lex*, inquit, *non eſt poſita juſtis; juſti autem Patres virtute Decalogi conſcriptam habentes in cordibus & animabus ſuis legem, diligentes ſcilicet Deum qui fecit eos, & abſtinentes erga proximum ab injuſtitia, propter quod non fuit neceſſe admonere eos correptoriis litteris, quia habebant in ſemetipſis juſtitiam legis; cum autem hæc juſtitia & dilectio, quæ erat erga Deum ceſſiſſet in oblivionem, & extincta eſſet in Ægypto, neceſſario Deus propter multam ſuam erga homines benevolentiam, ſemetipſum oſtendebat per vocem.* Quod idem ſcribunt S. Auguſt. Sermon. 153. de verbis Apoſt. nu. 6. & lib. 13. de Trinit. cap. 3. S. Ambroſ. Epiſt. 11. & lib. de Paradiſo cap. 8. S. Hieronymus lib. 2. adverſus Jovin. cap. 6. & cæteri deinceps.

Ex his, inquam, & ſimilibus id unum colligitur, ejuſmodi homines graviſſimis ſæpius repetitis criminibus eo uſque cæcitatis tandem venire, ut nihil ſibi reputent illicitum, ſuis libidinibus ita ſollicite ſtudentes, ut ſi nulla omnino lege tenerentur. Sed non ita demum intelligi debent hæc loca, quaſi vel illi ſceleſtiſſimi, qui projectæ penitus videntur eſſe conſcientiæ, omni boni & mali notitia exciderint, ut abunde conſtat ex iiſdem Scripturis & Patribus ſuperius citatis.

Secundo, lex naturalis e cordibus hominum deleri poteſt, ſi ſpectetur quoad ſecundaria præcepta; ſiquidem ſecundaria legis præcepta ſunt quædam veritates minus generales, qualia ſunt omnia fere Decalogi præcepta; *Furtum*

non facies, *Non occides*, *Non mœchaberis*. Sed ejuſmodi præcepta nonnunquam in cordibus hominum penitus obliterantur, quatenus nempe ratio naturalis aut falſis præjudiciis abrepta, aut pravis cupiditatibus infuſcata, arctiſſimam connexionem quæ inter hæc præcepta & primaria juris naturalis principia reperitur, plane non percipit. Unde apud nonnullas nationes plurima facta hæc præceptis contraria quandoque approbata leguntur. Quidam dicuntur ex motivo pietatis parentes ſenio confectos enecare. Germani olim mala non reputabant latrocinia, ut habetur apud Cæſarem, l. 6. de bello Gallico. Refert Aulus-Gellius lib. 11. Noctium Atticarum cap. ult. furta apud Ægyptios & Lacædemonios licita fuiſſe; extare etiamnum dicuntur populi, qui tametſi fide Chriſtiana imbuti, docent uſuram nihil habere iniquitatis, dum illam veri nominis furtum eſſe pertendunt cæteri; igitur lex naturalis quoad ſecundaria præcepta, ſeu quaſdam ſaltem propoſitiones, quæ nonniſi remotius deducuntur ex primariis & univerſaliſſimis principiis, e cordibus hominum omnino deleri poteſt.

Utrum Lex naturalis mutari poſſit.

Concipitur mutationem alicui legi accidere poſſe multis modis, ſcilicet per additionem, vel per ſubſtractionem. Si per ſubſtractionem, vel id contingit per derogationem vel per abrogationem, vel per irritationem, vel per interpretationem, aut denique per diſpenſationem. Tunc mutatio legis fit per additionem, cum ei nova lex quædam additur; Per derogationem, cum lex tollitur ex parte; Per abrogationem, cum ipſa omnino evertitur; Per irritationem, cum impeditur ne vim ſuam obtineat; Per intrepretationem, cum explicatur quo ſenſu intelligi debeant termini quibus effertur iſta lex; Denique per diſpenſationem, quando vinculum legis relaxatur: His præmiſſis,

Dico primo, legem naturalem mutari poſſe per additionem. Tunc enim lex mutatur per additionem, cum ei adjungitur nova lex: atqui legi naturali adjunctæ ſunt aliæ leges, nimirum leges poſitivæ, divinæ & humanæ, quæ non alio fine videntur inſtitutæ, quam ut reviviſcat & perficiatur lex naturalis: harum enim legum præcepta ad juſtitiam Reipublicæ promovendam ordinantur; ergo legi naturali adjectæ ſunt leges poſitivæ; adeoque mutatur per additionem.

Secundo, lex naturalis mutari non poteſt per derogationem; ſi nempe accipiatur quoad primaria & univerſaliſſima principia, quæ proprie pertinent ad legem naturalem, & de quibus præſentes intelligi debent quæſtiones. Si enim lex naturalis mutaretur per derogationem, hujus legis obligatio ceſſaret ex parte: atqui legis naturalis obligatio nequidem ex parte ceſſare poteſt: vel enim id fieret per diſpenſationem aliqua ſuperiori auctoritate datam; aut defectu conſenſus hominum; aut denique propter contrariam conſuetudinem: Sed nullo plane modo ex iſtis tribus recenſitis, legis naturalis obligatio vel etiam ex parte ceſſare poteſt; non per diſpenſationem, ut enim oſtendemus ſequenti articulo, nemo poteſt ab illius legis præceptis quemquam diſpenſare; neque defectu conſenſus hominum, quia ut lex naturalis obliget, neceſſe non eſt ut ei conſentiant homines: nec denique legis naturalis obligatio ceſſare poteſt propter contrariam conſuetudinem; quæcunque enim conſuetudo cenſeri debet mala ſi juri naturali repugnet; Ergo lex naturalis mutari non poteſt per derogationem.

Atque ex his facile intelligitur legem naturalem mutari quoque non poſſe per abrogationem, neque per irritationem: Si enim ejus obligatio ceſſare non poteſt,

teſt ex parte, a fortiori omnino ceſſare non poteſt, adeoque abrogari; tum vero & manifeſte ſequitur eam non poſſe irritari propter eaſdem rationes, nihil enim obſtare poſſe videtur, quominus vim obtineat ejuſmodi lex.

Quod ſpectat legis naturalis interpretationem, paulo ſupra diximus in legem naturalem cadere quidem interpretationem ſimplicem, quæ poſita eſt in mera & ſimplici explicatione terminorum quibus efferri debent præcepta legis naturalis; ſed non cadere interpretationem quæ dici ſolet Epiικια, quoniam ejuſmodi interpretatio nonnullum arguit defectum in Legislatore. Conſulantur quæ ibi fuſius expoſita ſunt.

Denique quod attinet poſtremum mutationis genus, cui lex aliqua obnoxia eſſe poteſt, nimirum diſpenſationem, quoniam non una eſt ſuper iſta quæſtione Theologorum opinio, quam immo conſtat non ſpernendis implicatam difficultatibus, operæ pretium eſt rem plenius atque uberius excutere; quocirca ſit

An Deus diſpenſare poſſit a Lege naturali.

HOc verbum *diſpenſationis* cum a Jure Canonico profectum ſit, ex eo etiam petenda eſt ejus explicatio. *Apud Jurecconſultos*, inquit illuſtriſſimus juxta & doctiſſimus de Marca lib. 3. de Concord. cap. 13. *Servus* diſpenſator *ille dicitur qui impendia domus curat, quique rationes Domini adminiſtrat. Hoc ſenſu uſurpatur etiam in Veteri Teſtamento & in Novo apud Lucam, qui de fideli & prudenti diſpenſatore loquitur (quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram.) Unde Apoſtoli & eorum Succeſſores eleganter dicuntur diſpenſatores myſteriorum Dei, & Paulus diſpenſationem ſibi creditam ad Corinthios ſcripſit. Sed in jure Canonico alius eſt verbi iſtius uſus. Sumitur enim pro venia legis, quam interpretes (providam juris relaxationem) vocant, cujus is eſt effectus, ut lege vel canone vim ſuam obtinentibus, is cui indulgetur, a vinculo & obligatione legis auctoritate Superioris ſolvatur. A Græcis manavit diſpenſationis nomen hoc ſenſu uſurpatum, quo Cyrillus Alexandrinus uſus eſt, οἰκονομίαν vocans adminiſtrandi & vivendi rationem, quæ non ſummo jure ſed æquitate nitatur. Qua voce diſpenſationis uſus eſt apud Latinos Gelaſius.*

Diſpenſatio itaque fit, cum aliquis ab onere legis eximitur, etiamſi reſpectu aliorum remaneat illius legis obligatio. Et quæritur an Deus pro ſuo abſoluto in omnia dominio & poteſtate aliquem poſſit a præceptis legis naturalis immunem facere; adeo ut, quæ lex naturalis jubet ob factam ejuſmodi diſpenſationem deſinant eſſe bona; quæ vero prohibet, deſinant eſſe mala.

Varia ſunt ſuper illo negotio Theologorum placita, variæ opiniones.

Prima ſententia eorum eſt, qui docent ab omnibus univerſim legis naturæ præceptis immunitatem concedere poſſe Deum; adeo ut vel ipſum quoque ſui odium permittere poſſit. Scilicet falſo exiſtimant omne peccatum etiam contra legem naturalem, ideo tantummodo eſſe peccatum, quia voluntate Dei prohibitum eſt; unde conſequens eſt, ſi quid Deus hac in parte relaxare velit, eatenus in actione nihil mali futurum; hæc ſententia eſt Ochami in 2. qu. 19. ad tertium & quartum dubium. Gerſonii in tract. de vita ſpirituali lect. 1. Corol. 10. Almaini tract. 3. Moral. c. 15. hujus fundamentum evertemus ſub initio tractatus noſtri *de Peccatis*, ubi oſtendemus falſum eſſe, quod ajunt iſti Theologi, nullum eſſe contra legem peccatum formaliter, niſi quia libera Dei voluntate prohibitum.

Secunda ſententia eſt Scoti in 3. diſt. 37. qu. 1. & Gabrielis in eadem diſt.

quæſt.

quæſt. 1. art. 2. qui docent Deum diſpenſare quidem non poſſe in iſtis duobus Decalogi præceptis, *Ne colas Deos alienos. Ne adducas nomen Dei in vanum per juramentum*. Sed in aliis præceptis dicunt poſſe a Deo pro ſua voluntate diſpenſari.

Tertia opinio eſt Durandi, qui in diſt. 47. qu. 4. num. 16. affirmat tria hæc præcepta negativa, *Non mœchaberis*, *non furtum facies*, *non falſum teſtimonium dices*, eſſe omnino *indiſpenſabilia*: quia, inquit, materia trium illorum præceptorum eſt eſſentialiter mala, furari enim eſt accipere rem alienam invito domino; mœchari eſt accedere ad mulierem non ſuam; mentiri eſt aſſerere vel negare aliquid cujus oppoſitum mente tenetur. Addit Durandus idem eſſe judicandum de illo præcepto negativo primæ Tabulæ, *Non perjurabis in nomine meo*, quia perjurium includit mendacium & præter hoc irreverentiam divinam, quæ non poteſt habere rationem liciti. At de illo præcepto ſecundæ Tabulæ, *Non occides*, aliter omnino eſſe ſentiendum, quia in aliquo caſu licitum eſt occidere, & propoſitio intelligi debet cum aliqua additione, ſi nempe dicatur *Non occides injuſte*; unde ſequitur, inquit, rem non prohiberi per ſe malam hoc præcepto *Non occides*; ſimilis enim additio fieri poteſt circa quamcunque materiam quæ non eſt de ſe illicita, utpote ſi dicatur *Non ibis per campum injuſte*: & ſic illud præceptum poteſt capere diſpenſationem, non quidem Dei ſed hominis.

Quarta ſententia eſt S. Bonaventuræ qui in 1. diſt. 47. qu. 4. Deum docet diſpenſare non poſſe a præceptis primæ Tabulæ, recte tamen a præceptis ſecundæ Tabulæ; ſententiam hanc in primis fulſit auctoritate S. Bernardi, puta ex iis quæ ſcribit libro de diſpenſatione & præcepto, cujus eadem verba modo ſumus explicaturi.

Cæteris autem poſtmodum Theologis: nulla plane dari poteſt diſpenſatio vel etiam a Deo, tametſi rerum omnium ſupremo Domino, qua quis ab obligatione quorumcunque legis naturalis præceptorum fiat immunis, horum ſententiæ ſubſcribimus.

CONCLUSIO.

Nequidem Deus diſpenſare poteſt a præceptis legis naturalis. Siquidem id efficere Deus non poteſt quod ejus juſtitiæ manifeſte adverſatur: Sed aliquem ab obligatione præceptorum legis naturæ immunem facere, profecto divinæ juſtitiæ manifeſte adverſatur: Namque pugnat cum divina juſtitia ejuſque providentia, quæ ſcilicet rectum in omnibus ordinem ſervare debet, Deum approbare id quod eſſentialiter & ſuapte natura malum eſt: atqui ſi Deus alicui concederet immunitatem a præceptis legis naturalis, tunc expreſſe & directe approbaret id quod eſſentialiter & ſuapte natura malum eſt; veniam faceret, v. g. hominibus mentiendi & furandi, quod quidem ſua natura, non propter ſolam Dei prohibitionem, malum eſt; ergo juſtitiæ Dei manifeſte adverſatur alicui concedere immunitatem a præceptis legis naturalis.

Et certe ſi qua ex cauſa a Deo dari poſſet ejuſmodi diſpenſatio, maxime quia, ut volunt adverſarii, nihil eſt ex natura ſua malum ſecluſa Dei prohibitione; hoc enim potiſſimum eſt eorum ſententiæ fundamentum, quandoquidem Ochamus conſequenter affirmat Deum poſſe ſuimet odium, utpote quod non ſit ſuapte natura malum, alicui permittere; Durandus autem pronuntiat homicidium aliquando bonum, aliquando malum: Atqui falſum eſt omnino & abſurdum affirmare, omne peccatum ideo duntaxat eſſe malum, quia voluntate Dei prohibitum eſt, & nihil eſſe ſuapte natura malum; quia nempe antecceden-

cedenter ad omnem prohibitionem factam a Deo multa ſunt, quæ non modo legi æternæ ſed & ipſi rectæ rationi manifeſte diſſentiunt, cujuſmodi ſunt mendacium, odium Dei, blaſphemia in Deum, cultus idolorum &c. quæ ſeclusa omni Dei prohibitione (quæ ſcilicet ſecludi potuit, quandoquidem libera fuit, ut & aliud quodlibet decretum Dei liberum) eſſentialiter mala ſunt, & eo ipſo peccata, quod neceſſario fierent contra naturale rationis dictamen; ejuſmodi ſunt enim ut eorum malitia a nemine ignorari poſſit: igitur ab illis præceptis legis naturæ, quæ ſcilicet res prohibent eſſentialiter & ſuapte natura malas, Deus nunquam diſpenſare poteſt.

Quamobrem intolerabile eſt & omnino abſurdum quod ſcribit Ocharnus loco ſupra citato; ipſum Dei odium malum non eſſe ſuapte natura illudque homini Deum præcipere poſſe: illud enim per ſe & ex natura ſua malum eſt atque iniquum, quod malum eſt & pravum ex ea conſcientia, quæ ita omnibus & ſingulis inſita atque impreſſa eſt a natura, ut deleri prorſus & expungi ex illorum mente nunquam poſſit: ſed odium Dei de ſe malum & iniquum eſſe omnibus notum eſt ex ea conſcientia, & ex illo rationis dictamine, quod nunquam ex hominum mente deleri poſſit & expungi, unde inexcuſabiles illos pronuntiat Apoſtolus ad Romanos cap. 1. *Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis.* De Gentilibus ſcilicet loquitur quibus nulla poſitiva lex annuntiata fuerat, & quos tamen putat reprehenſione dignos, non quod Deum odio habuerint, ſed quod digne non coluerint, prout æquitas naturalis & recta ratio poſtulat, a qua nemo recedere poteſt citra culpam & manifeſtam injuſtitiam quam Deus approbare non poteſt, niſi & ipſe quidquam agat injuſtum & legi æternæ contrarium.

Objicies: Ab actu ad poſſe, ut ajunt, valet conſecutio: atqui Deus non ſemel diſpenſavit a præceptis legis naturalis: illud ſuper ea re inſigne eſt præ cæteris exemplum quod habetur Geneſ. 22. cap. ubi legitur Deum præcepiſſe Abrahamo, ut filium ſuum Iſaac tametſi innocentem occideret: Atqui hoc poſito Deus diſpenſavit Abrahamum ab illo legis naturalis præcepto quo vetitum eſt homicidium; Igitur Deus pro ſuo ſupremo in leges omnes imperio diſpenſare poteſt etiam a præceptis legis naturalis.

Nego min. & ad probationem ex Abrahami exemplo petitam, nego ſimiliter minorem, & dico Deum eatenus non cenſeri a præcepto legis naturalis, quo vetitum eſt homicidium, diſpenſaſſe, quatenus præcepit Abrahamo ut filium ſuum immolaret. Et ratio eſt quia, ut Deus cenſeretur diſpenſare ab eo præcepto legis naturalis quo vetitum eſt homicidium, deberet vel jubere vel permittere homicidium in illis circunſtantiis, in quibus adverſatur legi naturali, adeo ut in legem naturalem agere cenſeretur qui ejuſmodi homicidium committeret: atqui Deus non præcepit Abrahamo homicidium in illis circunſtantiis, in quibus adverſaretur legi naturali, homicidium quippe univerſim loquendo non adverſatur legi naturali, niſi quando fit injuſte, hoc eſt, contra *ordinem*, & rectam rationem; unde contra legem naturalem agere non æſtimantur, quicunque auctoritate publica hominem occidunt, ut ſi carnifex reum aliquem, vel miles in juſto bello alium militem interficiat, quia nempe ejuſmodi homicidium legi naturali non adverſatur, non repugnat cum recta ratione, non fit injuſte; immo vero rectæ rationi conſentaneum eſt, fit enim auctoritate publica, vergitque in commodum Reipublicæ.

Jam vero paratus fuit Abrahamus filium ſuum immolare, atque etiam immolaſſet in illis circunſtantiis, in qui-

quibus homicidium Iſaaci non adverſabatur legi naturali, propter rationem mox allatam; factum enim non fuiſſet ab Abrahamo injuſte, contra *ordinem* & rectam rationem; non enim id feciſſet ex mala aliqua voluntate, ſed ex mandato Dei, adeoque non injuſte & contra rectam rationem, quin potius poſtulabat *ordo*, ut voluntati & imperio Dei conformaret ſe Abrahamus, adeoque filium ſuum tametſi innocentem immolaret: unde ſequitur manifeſte nequaquam in illo caſu conceſſam fuiſſe a Deo diſpenſationem ſeu immunitatem ab illo præcepto, quo lege naturali vetitum eſt homicidium.

Inſtabis & probabis minorem: Tunc cenſetur conceſſa a Deo proprie dicta diſpenſatio ab illo præcepto quo vetitum eſt homicidium, ubi venia data eſt occidendi hominem eo genere homicidii, quod verum fuiſſet & graviſſimum peccatum contra legem naturalem ſecluſa Dei diſpenſatione; neque enim, ut cenſeatur Deus diſpenſare a præcepto legis naturalis, neceſſe eſt ut vel jubeat, vel permittat aliquam actionem quæ adverſetur legi naturali; etiam quando exercetur cum diſpenſatione Dei, &, ut ajunt, in ſenſu compoſito diſpenſationis: certum eſt enim ejuſmodi actionem & aliam quamcunque non fore contrariam legi naturali, quando ſemel interceſſerit diſpenſatio Dei: atqui in iſto caſu Deus veniam fecit Abrahamo occidendi filium Iſaac eo genere homicidii, quod verum & graviſſimum fuiſſet peccatum contra legem naturalem ſecluſa Dei diſpenſatione; nulla enim alia ex cauſa licite potuiſſet filium occidere innocentem; ergo in iſto caſu vera & proprie dicta fuit diſpenſatio ab illo præcepto, *Non occides*.

Nego majorem & dico Deum, quando præcepit Abrahamo ut filium ſuum Iſaac immolaret, mutaſſe ſolummodo materiam ſeu objectum illius præcepti quo vetitum eſt homicidium, ſed proprie loquendo non diſpenſaſſe ab obligatione illius præcepti. Scilicet objectum aut materia hujus præcepti, *Non occides*, non eſt omnis & qualiſcunque hominis occiſio quæ nimirum hoc præcepto ſit prohibita; is enim adverſus præceptum non agit qui hominem occidit auctoritate publica, vel in propriam vitæ ſuæ defenſionem; quia ejuſmodi occiſio hominis non fit injuſte, & contra rectam rationem: ſed ea ſolummodo occiſio quæ fit in illis circunſtantiis in quibus injuſta eſt & contra rectam rationem; ut cum quis alium occidit privata auctoritate & ex aliqua mala voluntate: quamobrem quando immutantur circunſtantiæ occiſionis, aut ſaltem ejuſmodi circunſtantiis induitur actio, ut jam non ſit contra rectam rationem, ſed immo *ordini* & rectæ rationi conſentiens; tunc illa occaſio deſinit eſſe materia præcepti *Non occides*.

Atque id unum efficit Deus, quando præcepit Abrahamo, ut filium ſuum Iſaac immolaret: hoc enim Dei juſſu poſito, actio Abrahami non fuit amplius injuſta & rectæ rationi contraria, utpote quæ facta fuerit auctoritate Dei, qui, cum ſit vitæ & necis omnium ſummus arbiter & dominus, cuicunque voluerit dare poteſt facultatem alterum occidendi; unde ſolum immutavit materiam illius præcepti *Non occides*, efficiens ut quæ occiſio fuiſſet materia præcepti, per præceptum prohibita, & ipſi rectæ rationi contraria, fuerit propter accedentem juſſionem æquitati & rectæ rationi conſentanea.

Quod vero addunt, ut cenſeatur Deus diſpenſare a præcepto legis naturalis; neceſſarium non eſſe, ut vel jubeat vel permittat aliquam actionem quæ legi naturali contraria ſit in ſenſu compoſito diſpenſationis a Deo conceſſæ, profecto manifeſte falſum eſt; neque enim intelligitur, quo tandem pacto Superior

rior cenſetur aliquem ſubditum ab onere alicujus legis diſpenſare, niſi pro ſumma ſua auctoritate huic ſubdito permittat, ut aliquid contrarium legi faciat; ſi Princeps, v. g. lege lata in regno ſuo prohibuiſſet, ne quis noctu ferret arma, non videtur quo pacto aliquem e ſubditis ſuis ab illius legis obligatione diſpenſaret, niſi expreſſe ei veniam faceret arma ferendi noctu, in quo quidem caſu permitteret actionem contrariam legi in ſenſu compoſito diſpenſationis; tunc enim ſubditus arma ferens non peccaret quidem in principem ſuum propter diſpenſationem ab eo conceſſam; ſed actionem exerceret contrariam legi Principis: quod diligentiſſime obſervandum eſt, hæc enim duo confundere videntur adverſarii.

Quamobrem cum Deus in hoc negotio non juſſerit Abrahamo, ut actionem exerceret contrariam legi naturali, quando quidem homicidium auctoritate & juſſu Dei commiſſum, non adverſatur rectæ rationi; manet certum & indubitatum quod diximus, Deum quidem hoc ſuo juſſu mutaſſe materiam præcepti quo vetitum eſt homicidium; ſed proprie non diſpenſaſſe Abrahamum ab illius præcepti obligatione; quia nimirum ei non permiſit homicidium in iis circunſtantiis conſideratum, in quibus actio quædam fuiſſet legi naturali contraria.

Inſtabis cum Durando: In illo caſu proprie loquendo diſpenſavit Deus, in quo amovit rationem indebiti, neque enim aliter diſpenſari poteſt a præceptis negativis: Atqui Deus ſumma ſua auctoritate, qua vitæ & necis hominum Dominus eſt, amovit ab actione Abrahami rationem indebiti, effecitque, ut quæ actio fuiſſet indebita & injuſta, fuerit juſta & rectæ rationi conſentiens, relaxans hac in parte in gratiam ſolius Abrahami obligationem illius præcepti, *Non occides*, quo quidem vetitum eſt homicidium; igitur proprie loquendo diſpenſavit Deus, in illo caſu a præcepto legis naturalis.

Diſt. maj. ſi hoc ipſum effecerit Deus per veram legis relaxationem & derogationem, C. ſi ſolummodo per immutationem materiæ præcepti, N. quid ſit ejuſmodi mutatio materiæ legis ſeu præcepti, quæ aliquam diſpenſationis ſpeciem præ ſe ferre videtur; tametſi non ſit veri nominis diſpenſatio, ſatis, ut puto, mox a nobis expoſitum eſt; ac proinde ſatis intelligitur Deum proprie non diſpenſaſſe Abrahamum ab illo præcepto legis naturalis quo vetitum eſt homicidium, ſed ſolum mutaſſe materiam hujus præcepti; quatenus efficit, ut occiſio Iſaaci non fuiſſet contra legem naturalem, non fuiſſet injuſta, ſed immo rectæ rationi conſentiens propter Dei juſſum: adeoque non fuerit amplius materia hujus præcepti, *Non occides*.

Et certe eodem modo ſe geſſit Deus in illo caſu, quomodo judex, qui præcipit carnifici ut reum aliquem morti tradat: ſed quando judex præcipit carnifici, ut aliquem reum morti tradat, tunc amovet rationem indebiti (ut loquitur Durandus) ab illa carnifici actione qua reo vitam eripit, efficitque, ut quæ actio fuiſſet, ſublata hac juſſione, legi naturali contraria, & verum homicidium, ſit juſta & rectæ rationi conſentiens, ubi tamen judex proprie diſpenſare non cenſetur carnificem ab illo præcepto quo vetitum eſt homicidium, ſed ſolummodo vel interpretari legem ſeu præceptum, vel mutare materiam præcepti; ergo ſimiliter, quando Deus præcepit Abrahamo ut filium ſuum Iſaac immolaret, tametſi in hac Abrahami actione amoverit rationem indebiti, tamen proprie loquendo non diſpenſavit a præcepto quo vetitum eſt homicidium.

Inſtabis & dices multum eſſe diſcriminis inter diſpenſationem Abrahamo conceſſam a Deo, & jus datum car-

nifici a judicibus; hi enim non permittunt actionem contrariam legi naturali, utpote cum lege naturali vetitum non ſit reum morti tradere, Deus vero præcepit Abrahamo mortem innocentis, quod fieri non potuit ſine vera relaxatione juris naturalis; unde ſic argumentari licet: Ille proprie diſpenſat a præcepto legis naturalis, qui permittitur vel etiam præcipit mortem innocentis, eſt enim, ut fatentur omnes, manifeſte contrarium legi naturali innocentem occidere: atqui Deus præcepit Abrahamo mortem filii ſui Iſaac innocentis; ergo præcepit aliquid contrarium legi naturali, adeoque proprie loquendo Abrahamum diſpenſavit a præcepto legis naturalis.

Nego maj. ad probationem diſt. Repugnat legi naturali innocentem occidere propria & privata auctoritate, ut ſi quis ſine legitima cauſa, propria auctoritate alium hominem occideret, C. ſi id fiat ſuprema Dei auctoritate, qui vitæ & necis omnium Dominus eſt & arbiter, N. Ex illa autem ſolutione, quæ ſatis ſuperque intelligitur, id unum colligi debet neminem præter Deum potuiſſe Abrahamo veniam facere interficiendi Iſaac innocentem, non autem eatenus veram ac proprie dictam diſpenſationem Abrahamo conceſſiſſe.

His porro jactis principiis jam nulla ſupereſt difficultas in altero exemplo quo utuntur adverſarii, ut probent Deum olim Iſraelitas diſpenſaſſe ab eo præcepto quo prohibitum eſt furtum; quando nempe juſſit eis ut vaſa aurea Ægyptiorum auferrent ſimulantes ſe mutuo illa accipere, ut legitur Exod. 11. cap. his verbis: *Dices omni plebi*, inquit Dominus ad Moſem: *ut poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier a vicina ſua vaſa argentea & aurea*. cap. 12. *Fecerunt filii Iſrael ſicut præceperat Dominus Moyſi, & petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea & aurea, veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis, & ſpoliaverunt Ægyptios*. Eadem enim reſponſio quam modo adduximus, huic exemplo accommodari facile poteſt: ſcilicet neutiquam vera fuit iſthæc diſpenſatio a præcepto quo vetitum eſt furtum; Deus enim furtum non permiſit Iſraelitis, qui juſte & licite vaſa Ægyptiorum abſtulerunt: nam furtum eſt rei alienæ ſubreptio quæ fit invito domino: ſed Iſraelitæ rem alienam hoc in caſu non ſubripuerunt; hæc enim Ægyptiorum vaſa a Deo bonorum omnium ſupremo Domino Iſraelitis conceſſa fuerant; igitur in illo caſu non fuit furtum veri nominis: ac proinde nihil iniquum & legi naturali contrarium Iſraelitis præcepit Deus.

Aliter reſpondent nonnulli interpretes, ſcilicet ſecluſo Dei juſſu potuiſſe Iſraelitas vaſa Ægyptiorum auferre, tum titulo mercedis, ſervierant enim eis laborioſiſſime; tum titulo juſti belli, Hebræos enim tanquam conjuratos hoſtes miris modis divexaverant Ægyptii, quos proinde hocce titulo ſpoliare merito poterant Hebræi: quam reſponſionem confirmant auctoritate ſancti Auguſtini hæc ſcribentis lib. 22. contra Fauſtum cap. 71. *Ægyptii ſacrilegi & iniqui erant, qui & auro illo, hoc eſt Dei creatura male utentes ad Creatoris injuriam, ſuis idolis ſerviebant, & homines peregrinos labore gratuito injuſte & vehementer afflixerant. Digni ergo erant & Hebræi, quibus talia juberentur, & Ægyptii qui talia paterentur*. Eundem conſule qu. 39. in Exod.

Ex eodem facto inferunt adverſarii Deum quoque Iſraelitas diſpenſaſſe ab eo præcepto quo vetitum eſt mendacium, quia veniam illis dedit mentiendi coram Ægytiis, ſimulando ſe mutuo accipere eorum vaſa, quæ rapere & nunquam reddere cogitabant.

Sed facile reſpondetur in illa agendi ratione Iſraelitarum nullum omnino fuiſſe

fuiſſe mendacium. Scilicet legitur quidem Deum præcepiſſe Iſraelitis ut poſtularent vaſa Ægyptiorum: *Dices omni plebi ut poſtulet vaſa aurea & argentea:* ſed non legitur illos ſimulaſſe hæc vaſa ſe mutuo accipere ab Ægyptiis; tum nec præcipiſſe Deum, ut mutuo accipere ſe ſignificarent: habetur quidem cap. 12. ſupra citato, hæc ſua vaſa Iſraelitis commodaſſe Ægyptios, ſed ex eo ſolum colligi poteſt hos errore facti peccaſſe, cum exiſtimaverunt vaſa nonniſi mutuo accipere Iſraelitas.

Putat Joſephus hæc vaſa Hebræis dono fuiſſe data ab Ægyptiis: tum ut celerius diſcederent, tum ob vicinitatis conſuetudinem & priſtinam familiaritatem, ſed iſta minus arridet interpretatio: in Scriptura enim legitur hæc non donata ſed commodata eſſe, atque Hebræos, cum hæc ſibi uſurparunt, ſpoliaſſe Ægyptios.

Reſpondent alii, eos veriſimiliter qui inter Hebræos erant boni intendiſſe bona fide vaſa reddere Ægyptiis; ſed cum illi contra fidem datam abeuntes hoſtiliter ſunt inſecuti, cenſuerunt Hebræi ſe officio ea reddendi ſolutos eſſe, atque indignos eſſe Ægyptios quibus ea redderentur. Verum quicquid ſit certum eſt in iſto caſu Deum Iſraelitis non permiſiſſe mendacium; nihil eſt enim in hoc Scripturæ contextu quod vel leviter innuat.

Objicies: Quædam alia ſuppetunt in Scripturis exempla, ex quibus apparet Deum identidem diſpenſaſſe a nonnullis præceptis legis naturæ.

1. Pugnare videtur contra legem naturalem, ſi quis propriam ſororem in uxorem ducat: atqui tamen id per Deum licuit Abrahamo, cum Saram matrimonio ſibi conjunxit.

2. Lege naturali vetita eſt uſura, ut docent plerique omnes Theologi; eſt enim quædam furti ſpecies: atqui Deus diſpenſavit in hac lege Iſraelitas, quibus nimirum permiſit fœnerari cum alienigenis, Deuteron. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno.*

3. Pugnare videtur polygamia cum lege naturali, adverſatur enim paci familiæ & bonæ liberorum educationi: atqui tamen Deo ſic volente licita fuit polygamia veteribus Patriarchis, Abrahæ, Davidi & aliis.

4. Lege naturali matrimonium eſt omnino indiſſolubile: atque tamen divortium permiſit Deus in veteri Teſtamento, ut legimus Deuteronom. 24. *Si acceperit homo uxorem & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.*

5. Lege naturali prohibita eſt fornicatio: atqui tamen ab illa lege Deus diſpenſavit Ozeam Prophetam, cui nempe mœchandi præceptum dedit c. 1. hujus Prophetiæ: *Vade*, inquit Dominus, *ſume tibi uxorem fornicationum & fac filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra a Domino.* Atque idcirco Ozea liberos vocat filios fornicationum, cap. 2. *filii fornicationum ſunt, quia fornicata eſt mater eorum, confuſa eſt quæ concipit eos, quia dixit, Vadam poſt amatores meos.*

Reſpondeo nihil quicquam adverſus noſtram ſententiam inferri poſſe ex quinque illis Scripturæ exemplis.

Ac primo quidem negamus legi naturali repugnare hoc factum, quo quis in uxorem duceret propriam ſororem; nihil eſt enim quod in hac re vel minimam iniquitatis & injuſtitiæ umbram præ ſe ferat (ex qua tamen ſolum regula judicari poteſt, an ejusmodi facta particularia pugnent adverſus legem naturalem necne), quin potius ejusmodi connubia legi naturali videntur maxime conſentanea fuiſſe; præſertim in prima hominum ætate, cum orbis multiplicandi incumbebat neceſſitas. Qui-

bus addi poteſt Saram Abrahami neptem fuiſſe, non ſororem: unde cum legimus Geneſ. 12. & 20. eam appellari ſororem Abrahæ, id intelligi debet juxta morem receptum quo conſanguinei dicebantur fratres, ut quando Loth dicitur frater Abrahæ, cujus erat nepos; atque ita nonnulli in Evangelio dicuntur fratres Domini, quos ſine dubio non peperit Maria, ut obſervat Sanctus Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 25.

Ad ſecundum reſponderi ſolet cum S. Ambroſio qui lib. de Tobia cap. 15. eidem objectioni ſic reponit: *Legis ipſius verba conſidera, Fratri tuo non fœnerabis ad uſuram!, ſed ab alienigena exiges. Quis erat tunc alienigena niſi Amalech, niſi Amorrhæus, niſi hoſtes? ibi, inquit, uſuram exige. Cui merito nocere deſideras, cui jure inferuntur arma, huic legitime indicantur uſuræ. Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centeſima vindicare te. Ab hoc uſuram exige quem non ſit crimen occidere*. Verum ut cordate fatear, ad ſolvendam præſentem difficultatem plane inutilis eſt iſta reſponſio. 1. Quia non videtur ſatis apte accommodari poſſe Scripturæ teſtimonio; ſiquidem nomen alieni ſeu alienigenæ reſtringit S. Ambroſius ad ſolos Judæorum hoſtes, quod manifeſte intelligi debet de omnibus externis & peregrinis gentibus; hos enim alienigenas Scriptura univerſim opponit fratribus ſeu Judæis. 2. Quia tametſi per alienigenas eo loci intelligantur ſolummodo Amalecitæ, Amorrhæi & alii Judæorum hoſtes, a quibus uſuram repetere Judæis permittit Deus, eadem ſemper remanet difficultas; inde enim ſequitur Deum ab illo præcepto, quo vetita eſt uſura, diſpenſaſſe Judæos.

Quamobrem reſpondeo eatenus proprie loquendo conceſſam non fuiſſe Judæis diſpenſationem a præcepto legis naturalis, quatenus eis permiſit Deus cum uſura pecuniam dare alienigenis: quia nimirum tunc Judæis ejuſmodi pecunias dedit Dominus pro ſummo ſuo in res omnes jure, quo factum eſt ut nihil injuſtum & iniquum tunc commiſerint Judæi: adeoque in legem naturalem neutiquam peccaſſe cenſeantur.

At, inquies, uſura eſt contra jus naturale.

Diſt. Quando lucrum illud non alio titulo accipitur quam vi mutui & privata pecuniam commodantis auctoritate, C. quando accipitur vi donationis factæ a Deo, N. quo principio nitatur hæc reſponſio ſatis abunde, ut puto, mox a nobis expoſitum eſt, ubi exemplum Abrahæ diſcuſſimus. Quibus adde indubitatum non eſſe apud omnes uſuram quæ certo certius lege poſitiva a Christo Domino prohibita fuit, pugnare cum lege naturali.

Ad tertium objectionis caput ubi de polygamia, reſpondeo jure non dici a nonnullis Theologis polygamiam pugnare cum lege naturali, quæ nimirum vetita eſt ſolummodo lege poſitiva Chriſti, quæ legitur Matthæi 19. cap. Et ratio eſt quia licet in hoc ſtatu non ita facilis & commoda ſit prolium educatio, quanta eſſe ſolet in monogamia, tamen ipſa per ſe polygamia nihil mali continet, ad nullam injuſtitiam provocat; quin potius videtur ad majorem generis humani propagationem ordinata, proindeque nulla ex cauſa dici poteſt legi naturæ contraria.

Ad quartum quod ſpectat; quibuſdam placet hanc legem qua Deus divortium permiſit Judæis, non fuiſſe permiſſionem approbativam, ut aiunt, ſed tolerativam tantum, hoc eſt, tolerantiam minoris mali, ut gravius vitaretur; unde, inquiunt, docet Chriſtus in Evangelio id fuiſſe Judæis conceſſum ad duritiam cordis, Marci 10. *Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit præceptum iſtud*. Unde & inferunt quidam alii per ejuſmodi repudium, ſolutum non fuiſſe vinculum matrimonii, adeo ut repudians aliam duce-

ducere, & repudiata alteri nubere poſſet, cum præterea, inquiunt, licitum nunquam fuerit mulieribus dimiſſis iterum nubere, juxta illud Deuteronomii 24. *Quod ſi egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiſerit e domo ſua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta eſt & abominabilis facta eſt coram Domino.*

Verum nobis vehementer diſplicet iſta reſponſio.

1. Quia ejuſmodi ſententia gratis omnino fingitur, omnes enim & Judæi Scriptores, & SS. Patres, & ſinguli fere Theologi uno ore docuerunt, hocce repudii libello ſolutum omnino fuiſſe Judæorum matrimonium. Eſto quod ad duritiem cordis hæc primævæ legis, quæ indiſſolubile connubii vinculum ſanxerat, relaxatio conceſſa fuerit Judæis per tolerantiam, ut aiunt minoris mali, ut gravius vitaretur; nihil tamen obſtat quominus vere per iſtam tolerantiam, ita Judæis permiſſum fuerit repudium, ut dato ſemel illo repudio ſolutum vere fuerit matrimonii vinculum. Idcirco autem Deuteronom. 24. cap. repudiata dicitur polluta & coram Deo abominabilis, quia ſcilicet hac eadem lege reditus ad maritum qui eam repudiaverat, fuit a Deo vetitus, & veriſimiliter quia ſpeciem adulterini concubitus præ ſe ferebat hic orbicularis nuptiarum regreſſus, indeque fucatum & palliatum creditum fuiſſet hoc divortium.

2. Quia niſi his litteris dimiſſoriis, quas uxori porrigebat maritus, vere ſolutum fuiſſet matrimonium; adeo ut poteſtas fieret repudiatæ ad alias nuptias convolandi, nimis certe dura & iniqua fuiſſet fœminarum conditio, quæ ſine ulla ſua culpa ſubinde repudiabantur; ſi nimirum per reliquum vitæ ſuæ tempus cœlibes vivere debuiſſent, nec eis libera fuiſſet ſine peccato iterum nubendi poteſtas; quocirca pleræque de facto alteri viro nubebant, ut aperte indicat id quod legitur v. 2. *Cumque egreſſa alterum maritum duxerit.*

Quapropter ad propoſitam difficultatem ſic reſpondeo: Lege naturali matrimonium eſt indiſſolubile; quando initum & celebratum eſt ea lege ut eſſet indiſſolubile, C. ſecus & in alio caſu, N. igitur matrimonium in primæva hominum ætate, & quidem lege poſitiva fuit indiſſolubile quoad vinculum, quando nempe Deus dixit Geneſ. 2. *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Et conſequenter jure naturali matrimonium fuit indiſſolubile, quatenus jure naturali ſtare promiſſis quilibet tenetur; ac proinde ſine violato jure naturali nemo potuit inter Hebræos ſolvere matrimonium, cum ea ſcilicet lege initum, ut foret perpetuum, & ſolo mortis caſu ſolubile; fuit, inquam, omnino tunc indiſſolubile etiam jure naturali, donec Deus, cujus profecto eſt leges matrimonii ſancire, tandem ſtatuerit poſſe Judæos ex certis cauſis connubia ſolvere, in quibus & licitum fuit viro dare uxori libellum repudii. Hac porro lege poſitiva a Deo lata per Moſem, qua quidem, ut mox oſtendimus, ſolutum omnino fuit matrimonii vinculum, dico & tunc matrimonium apud Judæos non fuiſſe amplius indiſſolubile jure naturali; cum enim ea lege ab iis non celebraretur ut perpetuum foret & ſola morte diſſolveretur, nemo ſane jure naturali tenebatur in perpetuum uxori ſuæ adhærere; unde merito diximus lege naturali, matrimonium eſſe indiſſolubile, quando & ubi initum eſt ſub iſta lege & conditione, neutiquam vero ſi in alio caſu.

At, inquies, his poſitis, Deus diſpenſavit Iſraelitas ab aliqua lege naturali legem naturalem hac in parte immutavit & abrogavit; effecit enim, ut quod matrimonium erat lege naturali indiſſolubile, potuerit ex certis cauſis

etiam

etiam quoad vinculum diſſolvi, quando per Moſem veniam fecit dandi libellum repudii.

Reſpondeo, ut ſupra jam diximus, non idcirco Deum proprie loquendo diſpenſaſſe ab aliquo legis naturalis præcepto; neque enim permiſit Iſraelitis quicquam agere contra legem naturalem; ſed ſolummodo mutaſſe materiam cujusdam juris naturalis; quando enim lege poſitiva licitum fuit Iſraelitis ex certa cauſa divortium, jam apud eos non celebrabantur matrimonia cum ea lege, ut forent indiſſolubilia; facti ſunt enim legi, quæ libellum repudii ſtatuerat, plene obnoxii; ac proinde matrimonium apud eos deſiit eſſe indiſſolubile jure naturali propter rationem a nobis mox allatam.

Ad quintum denique exemplum reſpondeo nequaquam Ozeæ Prophetæ fornicationem permiſiſſe Deum: etenim juſſus quidem eſt Propheta in uxorem ducere mulierem alias fornicariam & meretricem; non autem quaſi ex illa manente fornicaria & meretrice filios ſuſcepturus ſit. Rem ſic exponit S. Hieronymus in illa verba Ozeæ: *quanto illa ſordidior eſt*, inquit, *tanto ſit Propheta patientior, qui talem uxorem duxit*. Et poſtea, *nec culpandus Propheta, ſi meretricem converterit ad pudicitiam, ſed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit*. Tum vero & S. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8. *Ozeas*, inquit, *accedens ad uxorem fornicariam vel mulierem adulteram, non eſt mœchatus vel fornicatus, quia acceſſit ad eam quæ ſua erat ſecundum mandatum divinum, qui eſt auctor inſtitutionis matrimonii*. Quod autem ſubjungit Deus hæc verba, *fac filios fornicationum*, id intelligitur eo ſenſu, quod filii ex illa meretrice naſcituri appellari poterant fornicarii ex matre quæ fuit fornicaria, non autem eo ſenſu quod futuri ſint veræ fornicationis fœtus, utpote ex uxore legitima ſuſcipiendi.

Objicies auctoritatem S. Bernardi, qui lib. de præcepto & diſpenſatione, aperte docet ab iſtis præceptis, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, quæ haud dubie ad legem naturalem pertinent, Deum olim diſpenſaſſe. Scilicet cap. 2. neceſſarium triplex diſtinguit, *Neceſſarium*, inquit, *in tria ſubdividitur, ſtabile, inviolabile, incommutabile. Et quidem ſtabile dixerim, quod ita eſt neceſſarium, ut non cuilibet hominum illud mutare fas ſit, niſi ſolis diſpenſatoribus myſteriorum Dei, id eſt, præpoſitis, ut, v. g. Regula Sanctorum Baſilii, Auguſtini, Benedicti, necnon & authentici Canones, & ſi quæ ſunt alia Eccleſiaſtica inſtituta dignæ auctoritatis. Quæ quoniam a Sanctis tradita ſunt, ſancita ſtabiliter perſeverant, nec omnino cuivis ſubjectorum ea aliquo modo variare vel mutare conceditur....*

Neceſſarium deinde, inquit cap. 3. *quod inviolabile nominavi, illud intelligo quod non ab homine traditum, ſed divinitus promulgatum niſi a Deo qui tradidit, mutari omnino non patitur, ut exempli cauſa, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legiſcita, quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo ſolvere aut licuit aut licebit. Dominus tamen horum quod voluit, quando voluit, ſolvit, ſive cum ab Hebræis Ægyptios ſpoliari, ſive quando Prophetam cum muliere fornicaria miſceri præcepit. Quorum utique alterum quid niſi grave furti facinus, alterum quid niſi flagitii turpitudo reputaretur, ſi non excuſaſſet utrumque factum auctoritas imperantis?*

Jam vero, inquit ibidem, *neceſſarium incommutabile quid accipi velim? Equidem vel congruentius, quam quod divina ita conſtat & æterna ratione firmatum, ut nulla ex cauſa poſſit vel ab ipſo Deo aliquatenus immutari. Sub hoc genere eſt omnis illa Sermonis Dominici in monte habi-*

habiti ſpiritualis traditio, & quicquid de dilectione, humilitate, manſuetudine, cæteriſque virtutibus, tam in novo quam in veteri Teſtamento, ſpiritualiter obſervandum contrahitur. Ubi cum S. Bernardus triplex diſtinxiſſet neceſſarium, nempe ſtabile, inviolabile, & incommutabile: *ſtabile* refert ad conſtitutiones humanas, aitque a ſolis Eccleſiæ Prælatis mutari poſſe; *incommutabile* quod tertio loco recenſet, refert ad legem æternam, unde fatetur illud nulla ex cauſa vel ab ipſo Deo mutari poſſe: ſed *inviolabile* quod refert ad præcepta ſecundæ tabulæ, docet a Deo ſolo mutari poſſe, non ab hominibus; quandoquidem revera Deus hæc præcepta, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, dudum ſolvit quomodo voluit & quando voluit: *Cum nempe ab Hebræis Ægyptios ſpoliari, ſive quando Prophetam cum muliere fornicaria miſceri præcepit*. Ex quibus ſic conficitur argumentum. Hic docet S. Bernardus Deum mutare poſſe, atque etiamnum mutaſſe aliquando per diſpenſationem hæc præcepta, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies: ſed iſta profecto pertinent ad legem naturalem; ergo exiſtimavit Deum diſpenſare poſſe a præceptis legis naturalis, *etſi*, inquit ille, *nullam prorſus humanam diſpenſationem* admittunt.

Diſt. maj. mutaſſe per diſpenſationem improprie dictam, C. per diſpenſationem proprie dictam, N. Quid ſit utraque hæc duplex diſpenſatio, jam abunde explicuimus. Nihil eſt autem quod perſuadeat eo loci S. Bernardum loqui de diſpenſatione proprie dicta; quin potius multum veriſimile eſt id unum voluiſſe ſanctum Doctorem in his præceptis Deum ita poſſe materiam immutare in certis caſibus & circumſtantiis, ut qui actus externi cum ejuſmodi præceptis pugnare viderentur, revera non pugnent; quod videretur eſſe furtum, non eſſet furtum; quod homicidium reputaretur, non foret tamen homicidium; nihil quippe aliud innuunt hæc verba, *Dominus autem horum quod voluit, quando voluit, ſolvit, ſive cum ab Hebræis Ægyptios ſpoliari, ſive quando Prophetam cum muliere fornicaria miſceri præcepit. Quorum utique alterum, quid niſi grave furti facinus, alterum quid niſi flagitii turpitudo reputaretur, ſi non excuſaſſet utrumque auctoritas imperantis?* Excuſaſſet, inquam, agens ex ea auctoritate qua ita circunſtantias illarum actionum immutat, ut deſinant pugnare cum lege naturali; quemadmodum diximus ſupra, cum eadem ſingula exempla diſcuſſimus.

At, inquies, diſcrimen affert S. Bernardus inter neceſſarium inviolabile, & neceſſarium incommutabile, in eo ſcilicet quod prius a Deo mutari poſſit, neutiquam vero poſterius: atqui poſita hac reſponſione ſtare non poteſt illud diſcrimen, nullum enim erit præceptum mutabile, aut ſi quod ſit mutabile ſenſu mox adducto, nimirum per diſpenſaſationem improprie dictam, utrumque præceptum erit mutabile, poterit enim & poſterius neceſſarium, quod incommutabile appellat S. Bernardus, mutari per diſpenſationem improprie dictam; ergo cum docet neceſſarium inviolabile a Deo mutari poſſe per diſpenſationem; id intelligit de diſpenſatione proprie dicta.

Nego min. Id quippe manebit diſcriminis inter utrumque illud neceſſarium, quod neceſſarium inviolabile mutari poſſit ſaltem per diſpenſationem improprie dictam; quatenus nempe præceptorum, quæ ad iſtud neceſſarium revocat S. Bernardus, materia mutari poteſt, qualis eſt materia furti, mœchiæ, & homicidii: Neceſſarium autem incommutabile nequidem improprie & per diſpenſationem improprie dictam mutari poſſit; cujuſmodi ſunt dilectio, humilitas, manſuetudo, quæ quidem, inquit S. Doctor, *talia ſunt quæ nec liceat, nec expediat aliquando non haberi*. Quia nempe ejuſmodi virtutum materia non eſt mutationi obnoxia.

Ob-

Objicies inſuper : Id poteſt a Deo concedi quod & ipſe nonnumquam legitime concedit ſummus Pontifex : atqui nonnumquam a lege naturali legitime diſpenſat ſummus Pontifex , idque potiſſimum in duplici caſu.

Primo diſpenſat ſummus Pontifex ab actuali Epiſcoporum reſidentia in ſuis Diœceſibus : ſed reſidentia Epiſcoporum eſt juris naturalis ; æquum eſt enim & rectæ rationi maxime conſentaneum , ut Paſtor gregem ſibi concreditum continua ſollicitudine paſcat & conſervet, id ipſa Paſtorum officii natura poſtulat ; *Quis non dixerit*, inquit S. Athanaſius in Apolog. ad Conſtantium, *iſtiuſmodi poſtulationem in Epiſcopo æquam eſſe? Eccleſia non deſerenda ab Epiſcopo . Noſti ex lectione Scripturarum quanti ſceleris ſit Epiſcopum Eccleſiam ſuam deſerere & negligere gregem Dei? Paſtorum enim abſentia lupis invadendi gregis occaſionem præſtat*. Ergo.

Secundo perſæpe diſpenſat ſummus Pontifex votis etiam in re maximi momenti emiſſis, quale eſt, v. g. votum de perpetua caſtitate ſervanda : atqui lege naturali quilibet tenetur vota ſua implere ; igitur.

Reſpondeo in neutro caſu ſummum Pontificem proprie loquendo diſpenſare. Ac primo non diſpenſat Epiſcopos a reſidentia ; eos quippe non eximit ab onere actus reſidentiæ in illis circumſtantiis in quibus neceſſario reſidere teneantur ; ſed ſolum cum auctoritate declarat Epiſcopos in his aut illis circunſtantiis poſitos , in quibus ratione habita ſui officii a ſuis ſedibus legitime abeſſe poſſunt : hujus abſentiæ cauſas legitimas decernit Concilium Tridentinum Seſſ. 23. cap. 1. ubi ſub pœnis canonicis injuncta perſonali Epiſcoporum reſidentia in ſuis Diœceſibus , addit eos abeſſe poſſe ex his cauſis & modis : *Cum Chriſtiana charitas , urgens neceſſitas, debita obedientia ac evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas id poſtulant & exigunt*. Et poſtea. *Interea meminerint diſceſſuri ita ovibus ſuis providendum, ut quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant*.

Et ſimiliter quoad vota ſemel ab hominibus emiſſa , id unum tantummodo agit ſummus Pontifex, ſcilicet cum auctoritate declarat votum in hoc & illo caſu non obligare , puta nempe quando temere fuit conceptum , vel quando ejus materia evaſit impoſſibilis, denique quando nocivum foret aut voventis ſaluti, aut bono publico, ejuſmodi votum implere : unde ſequitur ſummum Pontificem ab onere voti proprie non diſpenſare quemquam ; neque enim manente votorum obligatione ſuam diſpenſationem qualemcumque concedit. Ita reſpondet S. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 10. ad 2. his verbis: *Dicendum quod ſicut ex jure naturali & divino tenetur homo implere votum , ita etiam tenetur ex eiſdem obedire Superiorum legi vel mandato . Et tamen cum diſpenſatur in aliqua lege humana, non fit ut legi humanæ non obediatur, quod eſt contra legem naturæ & mandatum divinum: ſed fit ut hoc quod erat lex, non ſit lex in hoc caſu . Ita etiam auctoritate Superioris diſpenſantis fit ut hoc quod continebatur ſub voto, non contineatur ; in quantum determinatur in hoc caſu hoc non eſſe congruam materiam voti. Et ideo cum Prælatus Eccleſiæ diſpenſat in voto, non diſpenſat in præcepto juris naturalis vel divini, ſed determinat id quod cadebat ſub obligatione deliberationis humanæ , quæ non potuit omnia circunſpicere*.

Inſtabis : Docet aperte S. Thomas nonnunquam & hominem diſpenſare poſſe in lege naturali , ſic enim habet 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3. *Dicendum quod lex naturalis in quantum continet præcepta communia quæ nunquam fallunt , diſpenſationem recipere non poteſt: in aliis vero præceptis quæ ſunt quaſi concluſiones*

nes præceptorum communium, quandoque per hominem diſpenſatur.

Verum ibi S. Thomam non loqui de diſpenſatione proprie dicta, ſed de explicatione ſeu interpretatione, qua licet unicuique ex communibus præceptis legis naturalis quasdam concluſiones eruere; easque ad caſus particulares applicare, aperte ſignificat quæſt. art. 8. in corpore: *Dicendum*, inquit, *quod ſupra dictum eſt*, loco ſcilicet objecto, *tunc in præceptis fieri debet diſpenſatio quando occurrit aliquis particularis caſus in quo ſi verbum legis obſervatur, contrarietur intentioni legislatoris. Intentio autem legislatoris cujuslibet ordinatur primo quidem & principaliter ad bonum commune; ſecundo autem ad ordinem juſtitiæ & virtutis, ſecundum quem bonum commune conſervatur & ad ipſum pervenitur. Si ergo præcepta dentur quæ contineat ipſam conſervationem boni communis, vel ipſum ordinem juſtitiæ & virtutis, hujusmodi præcepta continent intentionem legislatoris, & ideo indiſpenſabilia ſunt, puta ſi poneretur hoc præceptum in aliqua communitate; quod nullus deſtrueret Rempublicam, neque proderet civitatem hoſtibus, ſive quod nullus faceret aliquid injuſte vel male; hujusmodi præcepta eſſent indiſpenſabilia. Sed ſi aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad iſta præcepta, quibus determinantur aliqui ſpeciales modi, in talibus præceptis diſpenſatio poſſe fieri, in quantum per omiſſionem hujusmodi præceptorum in aliquibus caſibus non fieret præjudicium primis præceptis, quæ continent intentionem legislatoris, puta ſi ad conſervationem Reipublicæ ſtatueretur in aliqua civitate, quod de ſingulis vicis aliqui vigilarent ad cuſtodiam civitatis obſeſſæ, poſſet cum aliquibus diſpenſari propter aliquam majorem utilitatem.* Ubi profecto divus Thomas diſpenſationem appellat, meram determinationem legis ad caſus particulares.

Idem vel clarius explicat 1. 2. qu. 100. art. 8. ad 4. ubi in alia materia ſic loquitur: *Dicendum quod illa excogitatio magis fuit interpretatio præcepti quam diſpenſatio. Non enim intelligitur violare Sabbathum qui facit opus quod eſt neceſſarium ad ſalutem humanam, ſicut Dominus probat, Matth.* 12.

De Lege poſitiva.

POſtquam de lege æterna & naturali, quæ internæ quædam leges ſunt, ſatis ſuperque dictum eſt; ſequitur ut de poſitiva, quæ nimirum exterius promulgata fuit hominibus, paulo uberius pertractemus. Lex poſitiva, ut jam obſervavimus, duplex diſtinguitur, divina nempe & humana; de divina prius agendum: ea duplex eſt, vetus altera ſeu Moſaica, altera nova ſeu Chriſti; quamobrem de iis quæ ſpectant veterem nunc primum agemus.

De lege divina veteri.

DE lege veteri hæ ſolent a Theologis inſtitui quæſtiones: 1. Quæritur quæ fuerit lex vetus & quæ ejus præcepta. 2. Utrum fuerit bona. 3. An fuerit perfecta lex, an imperfecta ſolum & infirma. 4. Utrum a Deo data fuerit. 5. An per Angelos. 6. Utrum data fuerit in commoda Judæorum. 7. An & quando fuerit penitus abrogata. 8. Demum, an ſincere vel ficto animo poſt Chriſti mortem obſervatæ fuerint ab Apoſtolis legales cæremoniæ.

Quæ fuerit lex vetus, quæve ejus præcepta.

NOmine legis antiquæ univerſim loquendo intelliguntur omnia præcepta poſitiva, quæ Deus populo ſuo tradidit aut verbo aut ſcripto, ab ipſo mundi ortu ad uſque tempora Chriſti Domini: fuerunt enim primis parentibus data quædam poſitiva præcepta, quæ

ante legem Moſaicam vim legis obtinuerunt apud Hebræos, & cum aliis poſtea Moſaicæ legis inſtitutis immixta fuerunt, ut nonnulla ſacrificia, lex abſtinentiæ a ſuffocatis, lex de ſemine fratris ſuſcitando: ſtrictius vero ſi nomen veteris legis ſumatur, quo ſenſu frequentius accipi ſolet apud omnes, nihil aliud ſignificat quam legem ſcriptam a Moſe datam Judæis, eaque vel ſimpliciter & ſine addito dicitur *lex vetus*, quia comparatur cum lege Chriſti quæ appellatur nova, vel *lex ſcripta*, per oppoſitionem ad legem naturalem qua duce regebantur homines ante legem quæ de mandato Dei ſcripta eſt in tabulis lapideis; vel denique dicitur *Lex Moſaica*, quia miniſterio Moſis data fuit Judæis.

Hujus legis præcepta ſunt triplicis generis, nempe moralia, cæremonialia, & judicialia, juxta illud Deut. 5. cap. *Loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias, atque judicia*. Et cap. 6. *Hæc ſunt præcepta, cæremoniæ atque judicia quæ mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos & faciatis ea*.

Moralia ſunt ea quæ ad mores potiſſimum ſpectant, tum vero hominem ad actiones per ſe bonas primario dirigunt, ejuſmodi præceptorum ſummam complexus eſt Deus in Decalogo. Decalogus dicitur quaſi decem verba, quæ in duabus tabulis ad regimen populi deſcripta fuerunt, ut ſcilicet facilius memoriæ ſingulorum mandarentur; legitur Exod. 20. cap.

In prima tabula tria continentur præcepta quæ Deum ipſum ſpectant. 1. Præcipitur ut unus Deus colatur, nec fiant Idola: *Non habebis deos alienos coram me; non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea neque coles*. 2. Prohibetur ne nomen Dei in vanum ſumatur: *Non aſſumes nomen Domini tui in vanum*, 3. Præcipitur ſanctificatio diei ſeptimæ: *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices, ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: ſeptimo autem die Sabbathum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo tu & filius tuus & filia tua, ſervus tuus & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui eſt intra portas tuas*.

In ſecunda tabula ſeptem continentur præcepta quæ ſpectant proximum. Primum eſt, *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi*. Secundum, *Non occides*. Tertium, *Non mœchaberis*. Quartum, *Non furtum facies*. Quintum, *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Sextum, *Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus*. Septimum, *Non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt*.

Præter hæc decem præcepta, ſunt alia quoque moralia quæ ad Decalogum referuntur.

Ad primam quidem Tabulam referri poſſunt leges de non immolando Diis alienis, *Exod.* 22. *cap.* de evertendis falſorum deorum ſimulachris, *Exod.* 23. quæ contra Ariolos, Magos, Pythones ſtatuuntur, *Levit.* 19. & 20. tum *Deuteron.* 18. lex de non offerendo ſemine Moloch, *Levit.* 18. lex qua jubetur non eſſe jurandum per Deos alienos, *Exod.* 23. & aliæ ejuſmodi.

Ad ſecundam Tabulam aliæ referri poſſunt prope innumeræ; quædam ſunt de honorando Principe, *Exod.* 22. quædam de honorando Sene, *Levit.* 19. contra illicitos concubitus, *Exod.* 22. & *Deuter.* 23. adverſus uſuras, *Exod.* 22. *Levit.* 23. *Deuter.* 23. adverſus veneficos, parentum percuſſores, *Exod.* 21. adverſus adulteros, *Deuter.* 22. & cætera id genus.

Præcepta cæremonialia ſunt ea quibus certi ritus ad cultum divinum ordinati præ-

præſcribuntur. Ea dividuntur in Sacrificia, Sacramenta & ſacras quaſdam obſervantias.

Sacrificia ſunt præſertim triplicis generis, nempe holocauſtum, pacificum, & propitiatorium. In holocauſto tota hoſtia conſumebatur in agnitionem divinæ Majeſtatis; hujus ſacrificii ritus deſcribitur *Levit. cap.* 1. Ignis cœlitus demiſſus corripiebat aliquando victimam in holocauſtum oblatam. Sacrificium pacificum fiebat in gratiarum actionem pro acceptis a Deo beneficiis; unde dictum eſt Euchariſticum: una pars hoſtiæ incendebatur in honorem Dei; altera in uſum ſacerdotum reſervabatur; tertia in uſum offerentium, *Levit. c.* 3. Propitiatorium fiebat pro expiandis hominum peccatis; immolabantur e pecudibus boves, oves, capræ; ex avibus, columbæ, turtures, paſſeres: de fructibus terræ, panis, vinum, ſal & thus.

Sacramenta alia communia erant omnibus, hoc eſt, Sacerdotibus, Principibus & populis, ut Circuncifio, eſus Agni Paſchalis; alia vero propria Sacerdotum, ut eorum Conſecratio.

Feſtivitates ſeu ſacræ obſervantiæ fuerunt Sabbathum, Paſcha, feſtum Azymorum, Pentecoſtes, feſtum tubarum, feſtum expiationum, feſtum Tabernaculorum, quibus & decurſu temporis acceſſere quamplurimi alii dies ſolemnes.

Præcepta judicialia ſunt ea per quæ Magiſtratus rem publicam & politicam gerebant, alia erant Principum ad ſubditos; alia ſubditorum ad ſe invicem; quædam populi Judaici ad extraneos; alia ad ſuos domeſticos. In unaquaque Tribu fuit vir primarius a quo illa regeretur, qui propterea dicebatur Princeps tribus; & ita cum eſſent duodecim tribus, erant quoque duodecim Principes. *Numer. cap.* 1. & 6. Horum præcipuum fuit officium cognationes quibus præerant convocare, ad eas referre quæ ad Rempublicam pertinerent, & in bello Duces eorum eſſe. Omnium celeberrimum apud Judæos tribunal fuit Synedrium ex 71. Judicibus conflatum, in ſubſidium Moſi, qui ſolus lites dijudicabat, cooptati ſunt.

Utrum Lex vetus fuerit bona.

Legem veterem eſſe reprobandam ut in ſe malam & a malo principio latam, omnes fere docuerunt Hæretici qui primis Eccleſiæ ſæculis vixerunt; ita nimirum Cajani, Cerdoniani, Apellitæ, Marcionitæ, & Manichæi, contra quos ſit

CONCLUSIO.

Lex vetus fuit bona.

Primo, quia expreſſe laudatur ut ſancta, juſta, & bona ab ipſis auctoribus ſacris, Pſal. 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis. Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Eodem modo de eadem lege loquitur Apoſtolus ad Rom. c. 7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum;* & rurſus I. ad Timoth. cap. 1. *Bona eſt lex, ſi quis ea legitime utatur.*

Secundo, quia Chriſtus eam ipſe adimplevit, huic ſe ipſe ſubjecit: fuit enim circunciſus, & oblatus in templo, Agnum Paſchalem quotannis manducavit cum cæteris Judæis, cæteras accurate obſervans cœremonias, unde palam id profeſſus eſt, Matt. 5. *Non veni,* inquit, *ſolvere legem, ſed adimplere.* Quibus addideris ejuſdem legis mandata executioni demandaſſe pios omnes viros, qui ante novæ legis promulgationem vixerunt; veteres nimirum Patriarchas, Prophetas & alios ejuſmodi quorum eximia vitæ ſanctitas laudatur in Scripturis, quibus & adjungi poſſunt Joan. Baptiſta, B. V. M. & ipſi Apoſtoli.

Tertio, quia lex illa præcipit omnia virtutum genera, nullum vero non prohibet peccatum & ſcelus; ad verum Dei cultum homines provocat, ab idololatria & falſis numinibus avertit, debitam parentibus venerationem edocet ac præcipit, juſtitiæ & ſervandæ æquitatis leges & modum ubique præſcribit; variis pœnis terrorem incutiens, omnium bonorum promiſſionibus alliciens, ut aperte conſtat ex Decalogo & cæteris præceptis lege veteri ſancitis, quæ modo commemorabimus.

Quarto demum id probari poteſt ex eo quod infra ſumus oſtenſuri, hanc legem ab ipſo Deo latam fuiſſe; tum vero ut ſingulare Dei beneficium erga Judæos, Deuter. 4. cap. *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut noſter Deus adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia & univerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros.* Legitur inſuper ſancita in fœdus Deum inter & homines initum, Deuteron. 26. *Dominum elegiſti hodie, ut ſit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & cuſtodias cæremonias illius, & mandata, atque judicia, & obedias ejus imperio. Et Dominus elegit te hodie ut ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius.* Quæ profecto legis veteris dotes & tituli manifeſte indicant eam eſſe bonam, ſanctam, & juſtam.

His accedit Patrum omnium, qui in prima Eccleſiæ ætate adverſus citatos Hæreticos ſcripſerunt, unanimis ſuper ea re conſenſus; conſuli poſſunt S. Juſt. dialogo cum Triphone. S. Irenæus l. 4. adverſus Hæreſes cap. 31. & 32. Tertullianus in libris adverſus Marcionem conſcriptis, ac præſertim lib. 1. c. 26. lib. 2. cap. 15. & 18. Origenes l. 5. contra Celſum. S. Clemens Alex. lib. 1. Pædagogi cap. 11. S. Gregor. Nazianz. orat. 42. S. Auguſt. in locis prope innumeris, tract. 3. in Joan. ſingulis fere ac integris libris contra Fauſtum, lib. 1. cap. 19. de Serm. Domini in monte, &c.

Objicies: Lex illa non eſt bona & juſta, quæ in multis locis Scripturarum expreſſe dicitur mala: atqui lex vetus expreſſe dicitur mala in multis Scripturæ locis.

1. Sic de populo ſuo Judaico loquitur Deus apud Ezechielem cap. 20. *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona & judicia in quibus non vivent. Et pollui eos in muneribus ſuis, cum offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta ſua, & ſcient quia ego Dominus.*

2. Lex dicitur cauſa peccati, dicitur operari in hominibus peccatum, ad Rom. cap. 5. *Lex autem ſubintravit ut abundaret delictum*, cap. 7. *Occaſione autem accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam: ſine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam ſine lege aliquando. Sed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit.* Et cap. 8. Lex vetus dicitur lex peccati & mortis, verſ. 2. *Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati & mortis.* Ubi per legem Spiritus intelligitur lex gratiæ, lex nova; per legem vero peccati & mortis, intelligitur lex vetus, lex Moſaica. Idem dixerat c. 7. *Nunc autem*, inquit, *ſoluti ſumus a lege mortis in qua detinebamur.*

3. Idem Apoſtolus verba faciens de veteri Teſtamento ad Hebræos cap. 8. ſic habet: *Nam ſi illud culpa vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.* Lex porro quæ culpa non vacat, mala eſt & iniqua; ergo.

Reſpondeo, ex illis Scripturæ teſtimoniis neutiquam colligi poſſe legem antiquam fuiſſe malam.

Ac primo quidem Ezechiel eo loci per *præcepta non bona* haud intelligit legem ipſam Dei a Moſe promulgatam, quæ nimirum præcepta aut injuſta, aut noci-

nociva impoſuerit hominibus; ſed quoſdam falſos & vitioſos Judæorum ritus, quos ſibi ex Gentilium commercio & conſuetudine accerſiverant. Scilicet Judæis objicit Propheta & in deſerto & in aliis poſtea ſæculis patres eorum fere ſemper a vero Dei cultu receſſiſſe, Idololatriæ, & aliis innumeris identidem mancipatos ſuperſtitionibus; qua ex cauſa ait Dominus, *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona:* hoc eſt, paſſus ſum, ut in vindictam contemptus legis meæ, ſic ad varias Idololatriæ & ſuperſtitionum ſpecies ſe projicerent, meis beneficiis plane indigni; quamobrem Deus dicitur dediſſe *præcepta non bona:* quibus verbis ſignificare voluit Propheta Dei vindictam & pœnam, qua quidem ob præcedentia peccata Judæos afflixit, eo plane modo quo dicitur ab Apoſtolo Rom. 1. tradidiſſe impios in reprobum ſenſum.

Atque his verbis *dedi eis præcepta non bona*, non intelligi legem datam a Deo, ſed aſcititias quaſdam vivendi regulas, adventitios & ſuperſtitioſos quoſdam ritus, manifeſte colligitur, ex eo quod ejuſmodi *præcepta non bona* opponit Deus ſuis præceptis, ſuæ legi; ait enim verſiculo præcedenti, *Eo quod judicia mea feciſſent, & præcepta mea reprobaſſent, & ſabbatha mea violaſſent, & poſt Idola patrum ſuorum fuiſſent oculi eorum. Ergo & ego dedi eis præcepta non bona;* ubi legem ſuam comparat cum Gentilium ſuperſtitionibus, quas appellat *præcepta non bona*.

Aliter reſpondet S. Auguſt. Epiſt. 82. num. 14. Scilicet præcepta legis antiquæ eo loci dici non bona, non quia mala erant, ſed quia nullius virtutis qua potuerint homines juſtificari: *Forte enim*, inquit, *propterea non dixit mala, ſed tantum non bona, id eſt non talia, ut illis homines boni fiant, aut ſine illis boni non fiant*.

Ad ſecundum reſpondeo, id unum his locis docere Apoſtolum, per legem peccatum abundaſſe per accidens & occaſione inde accepta; ita ut nempe lex Judæis annuntiata occaſionem illis dederit & gravius & frequentius peccandi; non autem ita ut fuerit ipſa lex aut cauſa aut incitamentum peccati. Id conſtat quia ſic expreſſe mentem ſuam aperit Apoſtolus c. 7. *Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? abſit. Sed peccatum non cognovi niſi per legem, nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces. Occaſione aute accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*. Scilicet adeo per legem ablatum non eſt peccatum, ut magis per eam ſit auctum vitio quidem hominum & præter ipſius legis ſcopum, ſed occaſione accepta ex lege; quatenus ſcilicet per legem cognitio peccati data fuit hominibus, ut ait ibidem Apoſtolus, *peccatum non cognovi niſi per legem*, eo vero gravius peccatum quo magis explicite innoteſcit: & ſubinde peccatum niſi deleatur, in nova peccata hominem pertrahit; quia, inquit Toletus, peccatum vires gratiæ & bonorum habituum, quibus peccato reſiſtimus, vel imminuit in homine, vel ab eo penitus adimit, idque magis data lege per quam peccatum veluti canis excitatus exarſit in omnem concupiſcentiam.

At eo loci mentem Apoſtoli non eſſe legem per ſeſe malam eſſe & veram peccati cauſam, abunde intelligitur ex verbis immediate ſequentibus: *itaque lex quidem ſancta & mandatum ſanctum, & juſtum & bonum*. Quibus notis tria indicare videtur legis præcepta ſuperius a nobis recenſita: ſcilicet cæremonialia, quibus ſanctus in Deum cultus præſcribitur; judicialia, quibus juſtitia erga proximum commendatur; denique moralia, quibus bonitas, ſeu vitæ bonæ integritas unicuique præcipitur: Lex porro ſancta, juſta, & bona, non eſt per ſeſe peccati cauſa.

Quod autem objicitur e cap. 8. verſ. 2. Epiſt.

Epiſt. ad Rom. nullius plane roboris eſt; ſiquidem per legem peccati & mortis non intelligit Apoſtolus legem antiquam, ſed concupiſcentiam, quæ plerumque dicitur lex peccati, lex membrorum; quaſi dixiſſet, Lex gratiæ & charitatis per Chriſtum liberavit me a concupiſcentia, hoc eſt, a reatu concupiſcentiæ quam ſentio, ſed cui non conſentio, ut explicat S. Auguſtinus, lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelag. c. 10. quod idem reſponderi debet ad verba e cap. 7. deprompta.

Ad tertium quod ſpectat, ex cap. 8. Epiſtolæ ad Hebræos petitum, dico Apoſtolum per *culpam* non intelligere peccatum, quaſi lex vetus aliquid mali contineret; fuit enim, ut modo relatum eſt ex Epiſtola ad Rom. cap. 7. ſancta, juſta, & bona; ſed per *culpam* intelligit defectum & infirmitatem, eo quod nempe lex illa per ſe non poterat homines juſtificare & ad vitam æternam perducere. Colligitur hæc interpretatio ex propoſito divi Pauli qui totus eſt eo loci, ut Chriſti Sacerdotium tanto legali & Judaico præſtantius eſſe doceat, quanto novum Teſtamentum, cujus Chriſtus mediator eſt, antecellit veteri; unde ait legem antiquam *culpa* non vacaſſe, hoc eſt, quodammodo fuiſſe reprehenſibilem, quatenus infirma & egena habebat elementa, quia ſi nullus in ea fuiſſet defectus, *non utique ſecundi locus inquireretur*, id eſt, non debuiſſet ſecundum Teſtamentum, ſcilicet novum, in ejus locum ſubrogari.

Inſtabis: Lex illa fuit per ſe mala, quæ tulit præcepta juſtitiæ & æquitati contraria: atqui lex vetus tulit præcepta juſtitiæ & æquitati contraria: 1. enim Levit. 25. & Deut. 15. ſtatuit annum Jubilæi in quo debita omnia remittebantur, quod fieri non poterat citra manifeſtam injuſtitiam; 2. Deuter. 23. uſuram permittit ab alienigena repetendam; 3. Ibidem unicuique facultatem dat ſumendi e vinea proximi quantum voluerit; 4. demum cap. 24. ejuſdem libri, Lex vetat ne pignus a debitore accipiatur, quod profecto in damnum creditoris vergebat; ergo in veteri Teſtamento leguntur nonnunquam præcepta æquitati contraria.

Neg. min. quoad ſingulas ejus partes. Ac primo quidem lex Jubilæi, qua remittebantur debita, in gratiam pauperum lata eſt, unde hujus legis occaſione dicitur Deuteron. cap. 15. *Cave ne dicas in corde tuo, Appropinquat ſeptimus annus remiſſionis, & avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod poſtulat, mutuum commodare; ſed dabis ei, nec ages quippiam callide in ejus neceſſitatibus ſublevandis*. Quæ verba manifeſte oſtendunt in gratiam pauperum conditam fuiſſe legem de remiſſione debitorum; quamobrem additur futurum ut Deus eum abunde compenſaturus ſit, qui hanc legem remiſſionis debitorum ſervabit, in pauperes ſcilicet, *ut benedicat tibi Dominus Deus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miſeris*. Unde poſt allatam hanc legem Deuter. 15. verſ. 2. & 3. ſtatim legitur, verſ. 4. *& omnino indigens & mendicus non erit inter vos*. Quem locum ita vertunt nonnulli, *Præterquam ſi non ſit pauper in te*. Quaſi dicatur, pauperibus fratribus remittes pecuniam creditam; ſed divites fratres excipio, quibus non remittes, cum habeant unde reddere poſſint.

Ad aliud objectionis caput, quod ſecundo loco ponitur, abunde jam reſponſum eſt ſuperiori quæſtione, ubi diximus eatenus conceſſam non fuiſſe Judæis diſpenſationem a præcepto legis naturalis, quatenus eis permiſit Deus ab alienigenis uſuram repetere; quia nimirum tunc ipſis Judæis, pro ſuo in bona omnia jure, dedit Dominus id pecuniæ quod ſupra ſortem exigebant; unde nihil iniquum & injuſtum permiſit hac lege; quæ proinde injuſta cenſeri non debet.

Ad-

Addunt quamplurimi Scripturæ Interpretes Judæis permiſiſſe Deum pecunias ſuas dare ad uſuram ob duritiem cordis eorum, ne lucro inhiantes Judæi, a fratribus ſuis repeterent uſuram; permiſit autem, inquiunt, id eſt, non punivit: Nam uſuras quaſvis etiam illa lege veteri abſolute & abſque ullo fratris & extranei diſcrimine vetitas fuiſſe maniſeſte colligitur ex Pſal. 14. Pſal. 54. & Ezechiel. 18. Sed ſatis idonea mihi non videtur iſta reſponſio, qua nempe negatur Deum proprie permiſiſſe Judæis ut ab extraneis uſuram repeterent, id enim apertum eſt ex objecto Scripturæ teſtimonio.

Ad tertium dico in publica commoda datam fuiſſe unicuique facultatem ſumendi e vinea proximi, ad ſitim ſcilicet aut ad famem depellendam, id autem nihil nocumenti cuipiam videbatur afferre, quia ex uvis nihil foras deportare licebat: *Ingreſſus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum. Si intraveris ſegetem amici tui, franges ſpicas & manu conteres, falce autem non metes*.

Denique quod quarto loco objicitur nullius plane momenti eſt; hæc enim ſtatuta fuit lex in gratiam pauperum, ne a divitibus opprimerentur, ſi pignus quodpiam dare tenerentur, quando urgente neceſſitate mutuo aliquid accipiebant, ſic enim habetur: *ſin autem pauper eſt, non pernoctabit apud te pignus, ſed ſtatim reddes ei ante ſolis occaſum, ut dormiens in veſtimento ſuo benedicat tibi, & habeas juſtitiam coram Domino*.

Atque ita ſine ullo plane negotio explicantur nonullæ aliæ leges veteris Teſtamenti, quæ ad politiam & regimen Judæorum primario pertinebant; quatenus nimirum habita ratione circunſtantiarum loci, temporis, & perſonarum, nihil continebant æquitati contrarium.

Sic cum legitur Exodi 21. nulli pœnæ ſubjacuiſſe dominos qui ſervos interficiebant, modo iſti percuſſi uno die aut duobus ſupervixiſſent: in hoc ſane miſera ſpectari debet famulorum apud Judæos conditio, qui nempe reſpiciebantur tanquam mancipia quæ poſſidebat herus, velut equum vel bovem; ut conſtat ex ipſo Scripturæ contextu: *Sin autem uno die vel duobus ſupervixerit, non ſubjacebit pœnæ, quia pecunia illius eſt*, id eſt quia poſſidetur ab hero percutiente, tanquam ſervus pecunia emptus. Quibus addideris ea lege tum temporis dominis mancipatos fuiſſe ſervos; volenti autem non fit injuria.

Et deinde cum ibidem legitur parentibus datam fuiſſe facultatem filias ſuas in ancillas venundandi, eo fine tantum id factum eſt, ut filiabus Hebræis pauperibus de nuptiis & fortuna provideretur: unde cum dicitur, *Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam*, intellige cum promiſſione deſponſationis, qua herus filiam Hebræam emens in famulam, promiſit ſe eam ducturum in uxorem ſaltem ſecundariam.

Denique cum prohibetur Deuter. 23. cap. ne ſervus profugus reſtituatur domino, tametſi animalium reſtitutio præcipiatur cap. 22. id profecto æquiſſimum fuit, quia nonniſi cum ſummo ejus vitæ diſcrimine ſervus adduci potuiſſet ad dominum; in commoda vero publica peccaviſſent ii, qui animalia errabunda domino non reſtituiſſent.

Objicies iterum: Ea lex improbari debet tanquam mala, quæ tulit præcepta vindictam & crudelitatem aperte ſpirantia: atqui leguntur in lege veteri præcepta quæ vindictam & crudelitatem præ ſe ferunt. Inſignis eſt præ cæteris lex Talionis quæ legitur Exodi cap. 21. his verbis: *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore*.

2. A Judaica religione ejiciuntur in æternum Ammonites & Moabites propter vindictam, ut patet ex Deut. c.23.

Am-

Ammonites & Moabites etiam poſt decimam generationem non intrabunt in Eccleſiam Domini in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via, quando egreſſi eſtis de Egypto, & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia Syriæ, ut male diceret tibi ... Non facies cum eis pacem, nec quæres eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in ſempiternum. Addi poſſet plus æquo duram fuiſſe legem Circuncifionis, quæ plerumque infantibus mortem inferebat.

Reſpondeo, nec in illis duobus præceptis quidquam eſſe, quod vel vindictæ vel iniquitatis ſpeciem præ ſe ferat.

Ac primo quidem quod ſpectat legem Talionis, qua licitum erat oculum pro oculo, & dentem pro dente repetere, certum eſt æquiſſimam fuiſſe ejuſmodi legem; adeo ut neceſſe fuerit in quovis imperio eam vel aliam ſimilem condere, & promulgare ad conſervandam tranquillitatem publicam: unde Tertullianus de iſta lege verba faciens lib. 2. contra Marcionem cap. 18. ſic habet: *Non enim injuriæ mutuo exercendæ licentiam ſapit, ſed in totum cohibendæ violentiæ proſpicit; ut quia duriſſimo & infideli in Deum populo longum vel etiam incredibile videretur a Deo expectare defenſam, edicendam poſtea per Prophetam, Mihi defenſam & ego defendam, dicit Dominus; interim commiſſio injuriæ metu vicis ſtatim occurſuræ repaſtinaretur; & licentiæ retributionis prohibitio eſſet provocationis, ut ſic improbitas aſtuta ceſſaret*. Clarius vero longe S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum, cap. 25. *vindictæ & furoris non fomes, ſed limes eſt juſtus*. Cæterum locum non habebat ejuſmodi lex, niſi cum perſonæ ejusdem ſortis & æqualis conditionis erant; ibidem enim excipitur percutiens ſervum, quod quidem hujus legis æquitatem manifeſte indicat.

Ad ſecundum dico, nonniſi juſte Deum a religione & templis arcere Moabitas & Ammonitas, quia videlicet timendi locus erat ne populum ad Idololatriam & impietatem pertraherent. Hæc porro lex aut videtur ad tempus ſolummodo lata, aut per deſuetudinem abrogata, aut tandem, ut conjiciunt nonnulli interpretes, nonniſi pro maſculis, ita ut excipi deberent fœminæ. Ruth enim Moabitis Iſraeliticam religionem amplexa eſt, cum Booz nupſit, Ruth. 4. cap.

Ad tertium vero quod ſpectat, nego crudelitatis quidquam redolere legem Circuncifionis, fiebat enim ejuſmodi carnis præciſio abſque ullo vitæ diſcrimine; tum quia non circuncidebantur infantes ante octavum diem, tum quia juſta ex cauſa poterat Circunciſio differri poſt octavum diem, uti dilata eſt in deſerto per quadraginta annos ob continuam peregrinationem. Hæc porro Circunciſio ſignaculum fuit fœderis Deum inter & Abraham initi, ut moneret ejus poſteros jam tranſiiſſe in jus Dei tanquam ejus populum & peculium.

Objicies: Lex illa non eſt bona quæ in multis fuit ſuis ritibus ſuperſtitioſa, & ab omni ratione aliena: ſed vetus Teſtamentum eſt ejuſmodi; eſt quippe ſuperſtitioſum quoſdam ſeligere cibos tanquam licitos, aliorum vero uſum condemnare, quaſi eſſent mali principii creaturæ. Superſtitioſum eſt eum recenſere immundum qui mortui cadaver tetigerit. Denique & in ipſis ſacrificiis non una occurrebat ſuperſtitio: non licebat enim certa quædam animalia offerre quaſi fuiſſent a malo Deo creata; præterea arcebatur mel ab illis ſacrificiis tanquam impurum, ſal vero adhiberi poterat; in comeſtione Agni Paſchalis ritus innumeri præſcribuntur plane ſuperſtitioſi, & ſic de cæteris quæ mores, vivendi rationem, cultum & religionem Judæorum ſpectabant.

Reſpondeo in ejuſmodi ciborum delectu, tum & in aliis diverſis ritibus qui videntur in lege antiqua ſuperſtitioſi

atque

atque omnino inutiles, cum ſcilicet ratio & animus inſtituentis non reſpicitur, nihil tamen vituperio dignum eſſe; quin potius certum eſt cum ſumma ſapientia inſtitutas fuiſſe iſtas leges. Sic, v. g. ſeligendos quoſdam cibos, a quibuſdam abſtinendum carnibus præſcribitur, ut videlicet, inquiunt nonnulli e SS. Patribus, inde frænum poneretur gulæ & incontinentiæ, ita Tertul. lib. 2. cap. Marc. cap. 18. ut Judæi hoc diſcrimine nullum cum Gentilibus ſervarent commercium, inquit Euſeb. lib. 8. de præpar. cap. 9. Inter ſacrificiorum ſolemnia innumeri prope occurrunt ritus, ut ſcilicet rudiores illi populi in vero Dei cultu facilius continerentur. Præterquamquod totidem erant futurorum novæ legis myſteriorum umbræ & figuræ.

Objicies: Ea lex probari non poteſt, quæ plurimos Prophetas & Patriarchas magnis paſſim laudibus extollit, tanquam piiſſimos & ſanctiſſimos, qui tamen graviſſima commiſerunt flagitia: atqui in veteri Teſtamento plurimi & Prophetæ & Patriarchæ paſſim commendantur tanquam ſanctiſſimi, quanquam in graviſſima ſcelera prolapſi fuerint; ejuſmodi eſt Abraham, qui quidem, ut ſcribit Fauſtus apud S. Auguſtinum lib. 22. cap. 5. *Habendæ prolis inſana flagrans cupidine, & Deo, qui id jam ſibi de Sara conjuge promiſerat, minime credens, cum pellice volutatus ſit ſub conſcientia (quo ſit inhoneſtius) uxoris. Tum matrimonii ſui infamiſſimus nundinator, idem avaritiæ ac ventris cauſa duobus Regibus Abimelech & Pharaoni diverſis temporibus, memoratam Saram conjugem ſuam ſororem mentitus, quæ erat pulcherrima, in concubitum venditavit. Loth ipſius frater de Sodoma liberatus cum duabus filiabus ſuis in monte concubuit. Iſaac eadem patri ſuo geſſit ac paria erga Rebeccam conjugem ſuam fingens & ipſe eam ſororem, quo per ipſam viveret turpiter. Jacob filius ejus inter Rachel & Liam duas germanas ſorores, earumque ſingulas famulas quatuor uxorum maritus tanquam hircus erravit. Item Judas filius ejus cum Thamar nuru ſua. David poſt tot numero uxores, mulierculam quoque Uriæ militis ſui mœchatus eſt, ipſumque perdidit in bello. Salomon filius ejus trecentas uxores & ſeptingentas concubinas habuit & Regum filias ſine numero. Quid quod Ozee Prophetarum primus de fornicaria muliere filios fecerit, cui turpitudini quo ſit deterius, aſcribitur & conſilium Dei? Quid denique quod Moyſes homicidium fecerit, quod ſpoliaverit Ægyptium, quod bella geſſerit, quod crudelia multa & mandarit & fecerit, quod ne ipſe quidem uno contentus matrimonio fuerit.*

Hinc objectioni reſpondemus, non omnia & ſingula Sanctorum geſta, quæ deſcribuntur in veteri Teſtamento, eſſe laudanda; idcirco autem vitio verti non debet legi & divinis litteris, quod hæc facta vel etiam vituperanda referant, quia nempe illa neutiquam ut recte facta defendunt; ita S. Auguſtinus lib. 22. cap. 26. ubi præfatæ objectioni reſpondet dedita opera. *Quapropter*, inquit, *ne in quaque laudanda vel vituperanda, accuſanda vel defendenda, coercenda vel relaxanda, damnanda vel abſolvenda, appetenda vel vitanda temere irruamus, in quibus omnibus peccata ſeu recte facta verſantur, prius quid ſit peccatum conſiderare debemus; tunc deinde inſpicere facta Sanctorum libris conſcripta divinis, ut ſi qua & ipſorum invenerimus, ad quam utilitatem ſint etiam ipſa condita litteris, memoriæque mandata, diligenti quantum poſſumus ratione videamus.... de illis ergo poteſt eſſe quæſtio, quæ vel inaniter ſcripta videri poſſunt, ſi nec recte facta apparent, nec peccata ſunt, vel etiam pernicioſe, ſi peccata eſſe convincuntur, ne valeant ad imitationem, ſive in ipſis libris reprehenſa non ſint, & ideo putari etiam poſſint non eſſe peccata, ſive illic quoque reprehenſa ſint,*

ſint, *ſed ſub facili ſpe veniæ committantur*, *quia in ſanctis inventa ſunt*. Ubi cum S. Auguſtinus his exemplis a Fauſto adductis reſpondere incipit, aperte ſupponit plurima in ipſis Scripturis deſcribi Sanctorum facta, quæ ab omnibus utique condemnari debent & a nemine defendi; ita ut tamen nihil inde vitii redundare debeat in ſacras litteras quibus inſerta ſunt ejuſmodi facta; unde ſic habet cap. 42. *Nec ideo tamen*, inquit, *hoc factum vel ipſius Loth*, *vel ejus filiarum juſtificamus*, *quia ſignificavit aliquid quod futuram quorumdam perverſitatem prænuntiaret*. *Aliud enim illæ ut hoc facerent intenderunt*; *aliud Deus qui hoc fieri permiſit*, *ut etiam inde aliquid demonſtraret*, *manente recto judicio ſuo ſuper peccatum hominum tunc præſentium*, *& vigilante providentia ſua pro ſignificatione futurorum*. *Proinde illud factum cum in ſacra Scriptura narratur*, *prophetia eſt; cum vero in illorum vita qui hoc commiſerunt conſideratur*, *flagitium eſt*. & cap. 45. *Nos tamen Scripturas ſanctas in hominum peccata defendimus; non ſic autem de hujus facti purgatione ſatagimus*, *quaſi hoc Deus noſter aut fieri juſſerit*, *aut factum approbaverit*, *ita juſti homines in illis libris appellentur*, *ut ſi voluerint peccare non poſſint*. *Cum ergo in litteris*, *quas iſti reprehendunt*, *Deus huic facto nullum juſtitiæ teſtimonium perhibuerit*, *qua dementia temeritatis hinc illas litteras accuſare contendunt*, *cum aliis earum locis apertiſſime inveniantur divinis præceptis iſta prohiberi*. Ex quibus perſpicuum fit nullius eſſe momenti ejuſmodi exempla Patriarcharum, quæ objici ſolent ad elevandam auctoritatem veteris Teſtamenti & præceptorum quæ in eo continentur; quandoquidem illorum hominum flagitia, ſi quæ fuerunt, & ab auctoribus ſacris non approbantur, & in aliis locis apertiſſime condemnantur.

Jam vero qui præfatas Fauſti Manichæi in veteres recenſitos calumnias, quam eleganter tam copioſe depulſas legere voluerit, conſulat quæ toto lib. 22. ſcribit S. Auguſtinus, horum enim accurata diſquiſitio non eſt præſentis operis, nec otii.

An Lex vetus fuerit imperfecta.

LEX vetus quanquam bona & in omnibus ſuis præceptis ſancta, fuit tamen imperfecta. Siquidem hæc fuit conſtans S. Pauli doctrina, qui omnibus ac ſingulis fere ſuis Epiſtolis docet legem fuiſſe per ſe infirmam, inſufficientem & imperfectam.

Epiſt. ad Rom. cap. 4. *Quia*, inquit, *ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro*. Legem veterem intellige, ſecluſa nimirum fide & gratia Chriſti: ut inde ſignificet illam per ſe ſe nullius fuiſſe virtutis; addit enim verſ. 22. *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum*. Cap. 4. pergit probare exemplo Abrahæ non per opera legis, ſed per fidem Chriſti omnes juſtificari; quod idem docet fuſius cap. 7. & 8. verſu 2. iſtius capitis, ubi ſic habet: *Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati & mortis*. *Nam quod impoſſibile erat legi*, *in quo infirmabatur per carnem; Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*, *& de peccato damnavit peccatum in carne*.

Epiſtola ad Galatas totus eſt divus Paulus ut legem veterem rejiciat tanquam vacuam & inutilem; hos enim redarguit in illa Epiſtola, quod veluti ſpreto Chriſti Evangelio ad Judaiſmum ſe iterum abduci ſinerent, cap. 2. verſ. 16. *Scientes quod non juſtificabitur homo ex operibus legis*, *niſi per fidem Jeſu Chriſti & nos in Chriſto Jeſu credimus ut juſtificemur ex fide Chriſti*, *& non ex operibus legis; propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro*... *Si enim per legem juſtitia*, *ergo gratis Chriſtus mortuus eſt;* quaſi dixiſſet mortis

tis ſuæ pretium fruſtra impendiſſe Chriſtum Dominum, ſi ex lege juſtitiam conſequi poteramus; unde ex iſtis poſterioribus Apoſtoli verbis merito colligitur, non modo vacuam & plane infirmam fuiſſe legem veterem poſt Chriſti Evangelii prædicationem, ſed etiam antea, quandiu nempe ipſa viguit, aliter nullum eſſet divi Pauli argumentum. Cap. 3. idem probat: 1. ab experientia, qua nempe noverant Galatæ ſe non in Circunciſione, ſed in Baptiſmo Spiritum ſanctum accepiſſe, verſ. 2. *Hoc ſolum a vobis volo diſcere, ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?* 2. ab exemplo Abrahæ qui per fidem juſtificatus eſt: *Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*. 3. quia qui ſunt ſub lege, ſub maledicto ſunt: *Quicunque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt*. 4. ex Habacuc qui teſtatur juſtum ex fide vivere. 5. demum, quia lex vetus fuit ſolum Pædagogus quo Judæi ducerentur ad Chriſtum, per quem ſolum data eſt hominibus fides & juſtitia: *Si enim*, inquit verſ. 21. *data eſſet lex quæ poſſet vivificare, vere ex lege eſſet juſtitia*. & verſ. 24. *Itaque lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut in fide juſtificemur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub Pædagogo*. Quod idem ſcribit cap. 4. & 5. ejuſdem Epiſtolæ.

Poſſem vero hic multa alia divi Pauli teſtimonia exſcribere, ſed ea ipſa quæ dixi ſentio eſſe longiora, in re ſcilicet adeo clara & omnibus obvia, conſuli poſſunt quæ ſcribit in Epiſtola ad Hebræos, ubi probat abolitam eſſe legem veterem, ex eo quod Sacerdotium vetus per novum Chriſti abolitum ſit; cur vero Deus legem olim a ſe inſtitutam abrogaverit, alia cauſa non eſt ex Apoſtolo, quam legis ipſius infirmitas & inutilitas, cap. 7. verſ. 18. *Reprobatio quidem fuit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex*, id eſt, neminem potuit ad beatitudinem, quæ ſumma eſt hominis perfectio, perducere, quæ nimirum lex erat timoris, non amoris, quæ gratiam promittebat, ipſa vero non conferebat, ut eleganter diſſerit S. Auguſtinus Tract. 3. in Joannem, num. 14. his verbis: *Lex minabatur, non opitulabatur; jubebat, non ſanabat; languorem tamen oſtendebat, non auferebat; ſed illi præparabat medico venturo cum gratia & veritate; tanquam ad aliquem, quem curare vult medicus mittat primo ſervum ſuum, ut ligatum illum inveniat: ſanus non erat, ſanari nolebat, & ne ſanaretur, ſanum ſe eſſe jactabat; miſſa lex eſt, ligavit eum, invenit ſe reum, jam clamat de ligatura... gratia & veritas per Chriſtum facta eſt*. Quæ profecto eadem tradere ſolet vel clarius libris ſuis adverſus Pelagianos, ubi ſimul & Chriſti gratiæ neceſſitatem docet, & veteris legis inutilitatem.

Eadem vero doctrina legitur paſſim apud alios ſanctos Patres, qui veteris legis ejuſque mandatorum & ſacrificiorum infirmitatem ubique paſſim agnoſcunt, ita S. Juſtinus Dialogo cum Tryphone. S. Irenæus lib. 4. adverſ. Hæreſ. cap. 31. Tertull. lib. contra Judæos cap. 2. S. Clemens Alex. lib. 1. Pædag. cap. 11. S. Greg. Nazianz. Orat. 42. S. Ambroſ. lib. 1. de Offic. cap. 18. S. Hieronymus Dialogo 1. contra Pelag. cap. 9. & alii.

Objicies: Deo indignum eſſe videtur tradere legem per ſe imperfectam, inutilem & infirmam: atqui lex vetus, ut poſtea docebitur, a Deo data fuit Judæis; ergo non fuit imperfecta.

Diſt. maj. imperfectam & inutilem ſimpliciter & quoad omnia, C. ſecundum quid tantum & quoad aliqua, N. neque enim neceſſe fuit, ut Deus tametſi ſapientiſſimus & maxime providus legiſlator, hominem ſtatim & ab initio ad ſummam perfectionem adduceret, debuit prius minari quam opitulari, jubere quam ſanare, languorem oſtendere

quam auferre; atque is demum qui curare volebat ægrotantem, debuit prius mittere ſervum qui præpararet ad medicinam, quam medicum; unde ſequitur non debuiſſe Deum, (ſi tamen ita loqui fas eſt, quis enim conſiliarius ejus?) dare primum hominibus legem undequaque perfectam.

Jam vero lex vetus non fuit imperfecta & inutilis ſimpliciter: 1. quia per illam legem edocti ſunt Judæi præ cæteris orbis univerſi nationibus Dei magnitudinem & ſapientiam. Pſal. 147. *Qui annuntiat verbum ſuum Jacob, juſtitias & judicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. & Rom. 3. *Quid ergo amplius Judæo eſt? Aut quæ utilitas Circumciſionis? Multum per omnem modum; primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei;* 2. quia ſuis ſapientiſſimis inſtitutis lex illa ad omne genus virtutum excitabat, & ab omnibus peccatis deterrebat, ut manifeſtum eſt ex nonnullis præceptis quæ ſuperius a nobis laudata ſunt; 3. quia ſi non fuit lex amoris, fuit ſaltem lex timoris, *Initium autem ſapientiæ timor Domini*, inquit Pſalmiſta. Unde S. Hieronymus in iſta verba Epiſt. ad Galatas, *Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto*, ſic habet: *Pædagogus parvulis aſſignatur, ut laſciviens refrænetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum teneris ſtudiis eruditur infantia, & ad majores diſciplinas metu pœnæ coercita præparatur. Itaque & laſcivienti populo lex Moyſi ad inſtar Pædagogi ſenioris appoſita eſt, ut cuſtodiret nos & futuræ fidei præpararet;* 4. demum, eo potiſſimum nomine utilis fuit lex vetus, quod figura fuit novæ, Chriſtum ipſum ejuſque leges mandata & Sacramenta præfigurans, Judæis quippe *omnia contingebant in figura*, inquit Apoſtolus I. ad Corint. cap. 10.

Objicies: Ea lex non fuit imperfecta quæ plures tulit viros ſanctiſſimos, qui ſub ea ſanctitatem & juſtitiam conſecuti ſunt: atqui lex vetus fuit ejuſmodi; ergo.

Diſt. maj. Juſtitiam conſecuti ſunt vi ipſius legis, C. ſub lege, non autem per legem, ſed vi meritorum Chriſti venturi, N. Porro juſti qui ſub veteri Teſtamento vixerunt, non vi legis ipſius, ſed per merita Chriſti ſanctitatem ſuam conſecuti ſunt: *Bibebant illi de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus*. I. ad Corinth. cap. 10. quia nempe nullum bonum opus exercere poterant ſine beneficio divinæ gratiæ per Chriſti merita ipſis collatæ, ut docet paſſim S. Auguſtinus contra Pelagianos, ut, v. g. lib. de perfectione juſtitiæ cap. 19. *Unus Deus & unus mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus, ſine cujus gratia nemo a condemnatione liberatur, ſive quam traxit ex illo, in quo omnes peccaverunt, ſive quam poſtea ſuis iniquitatibus addidit*. Qua ex cauſa potiſſimum docent Theologi legem antiquam fuiſſe imperfectam.

Neque tamen iis aſſentiri facile poſſum, qui legem hanc eo nomine imperfectam eſſe dicunt, quod in ſingulis ſuis libris ne minimam quidem injiciat mentionem futuræ vitæ, in qua juſtis æterna proponatur merces, impii vero ſimiliter æternis deterreantur ſuppliciis, quaſi ſolum bona temporalia Judæis promittantur, ut patet ex Deuteron. 7. verſ. 12. Iſaiæ 1. verſ. 19. Aggæi. 2. verſ. 20. Malachiæ 3. verſ. 3.

Id confirmant auctoritate S. Auguſtini, cujus hæc ſunt verba in Tractatu 3. in 1. cap. 1. Joan. num. 19. *Expellite de cordibus veſtris carnales cogitationes, ut vere ſitis ſub gratia, ut ad novum Teſtamentum pertineatis. Ideo vita æterna promittitur in novo Teſtamento. Legite vetus Teſtamentum & videte quia carnali adhuc populo ea quidem præcipiebantur quæ nobis. Nam unum Deum colere & nobis præcipitur ..... jam illa omnia præcepta nobis magis præcipiuntur*

tur & obſervanda ſunt. Non occides. Non mœchaberis. Non furaberis. Non falſum teſtimonium dices. Honora patrem & matrem. Non concupiſces rem proximi tui. Non concupiſces uxorem proximi tui. Nonne iſta omnia & nobis præcipiuntur? ſed quære mercedem & invenies ibi dici, Ut expellantur hoſtes a facie tua & accipiatis terram quam promiſit Deus patribus veſtris. Quia non poterant capere inviſibilia, per viſibilia tenebantur. Quare tenebantur? Ne penitus interirent & ad Idola laberentur; & poſtea: *Ea ibi jubentur in Decalogo legis quæ & nobis, ſed non ea promittuntur quæ nobis. Nobis quid promitmittitur? vita æterna. (Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te unum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum) cognitio Dei promittitur, ipſa eſt gratia pro gratia.* Idem docere videtur lib. 1. Retract. cap. 22. *Regnum Cœlorum*, inquit, *illi populo fuiſſe promiſſum non legimus in iis quæ promiſſa ſunt lege data per Moyſen in monte Sina, quod proprie dicitur vetus Teſtamentum*. & rurſus in Pſal. 73. *Deus*, inquit, *ſe utriuſque Teſtamenti voluit eſſe auctorem, ut æterna promitteret in veteri, & cœleſtia in novo.*

Mirum eſt, inquam, quibuſdam adeo placuiſſe illud commentum; ſiquidem innumeris prope Scripturarum teſtimoniis evinci facile poteſt, Deum mercedis æternæ promiſſionibus ad accuratam mandatorum obſervationem Judæos incitaſſe, eoſdemque ſimiliter æterni ſupplicii metu ab omnibus vitiis deterruiſſe. Levitici cap. 18. *Cuſtodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis*. Id eſt, ut vertit Bibliorum Regiorum interpres, *vivet vita ſempiterna*. Job 19. cap. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*. quæ quidem verba fidem reſurrectionis corporum & alterius vitæ futuræ manifeſte exhibent. Tobiæ 2. cap. *Sicut beato Job inſultabant Reges, ita iſti parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes: Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas & ſepulturas faciebas? Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui, quoniam filii Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his qui fidem ſuam unquam mutant ab eo.*

Hanc eandem æternæ vitæ & mortis doctrinam legimus paſſim apud Prophetas. Pſal. 91. *Cum exorti fuerint peccatores ſicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur juſtitiam, ut intereant in ſæculum ſæculi*. Iſaias de æterna mercede loquitur cap. 64. *A ſæculo*, inquit, *non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te*. Tum vero de pœnis æternis cap. ultimo. *Veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur & videbunt cadavera virorum qui prævaricati ſunt in me; vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Daniel. 7. verſ. 18. *Hæ quatuor beſtiæ magnæ quatuor ſunt regna quæ conſurgunt de terra. Suſcipient autem regnum ſancti Dei altiſſimi, & obtinebunt regnum uſque in ſæculum & ſæculum ſæculorum*. Ubi manifeſte indicatur regnum Sanctorum in cœlis, quatuor enim magnæ Monarchiæ non durarunt in ſæculum ſæculorum; unde ſimiliter loquitur ibidem verſ. 27. *Regnum autem & poteſtas & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cœlum, detur populo ſanctorum Altiſſimi, cujus regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes Reges ſervient ei & obedient.*

Quo pertinent luculentiſſima quæ l. 2. Machab. de fortiſſimis illis viris narrantur, cap. 7. *Propter quod & iſte ſequenti loco primi tormenta ſuſcepit, &*

in

in ultimo ſpiritu conſtitutus ſic ait, Antiochum alloquens : *Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis , ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit . Poſt hunc tertius illuditur , & linguam poſtulatus cito protulit & manus conſtanter extendit , & cum fiducia ait : E cœlo iſta poſſideo , ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio , quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero* , & quartus , *cum jam eſſet ad mortem , ſic ait : Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem exſpectare a Deo , iterum ab ipſo exſuſcitandos*. Denique frater junior ſic loquitur verſ. 39. ejusdem capitis : *Fratres mei modica nunc dolore ſuſtentato , ſub teſtamento æternæ vitæ effecti ſunt , tu vero judicio Dei juſtas ſuperbiæ tuæ pœnas exolves*.

Quamobrem id unum loco citato contendit Auguſtinus , plerumque vel ſæpius propoſitam Judæis mercedem temporalem , ut ad præceptorum obſervationem incitarentur : ſed ita demum intelligi non debet , quaſi futura altera vita nunquam ipſis propoſita fuerit , id enim agnoviſſe Davidem, ſcribit ibidem ſanctus Doctor his verbis : *Nam quidam ſuſpirans amator in Pſalmis ait : Unam petii a Domino , hanc requiram ; & quæris quid petat ? Forte enim terram petit fluentem lacte & melle carnaliter , quamvis ſpiritaliter iſta quærenda ſit & petenda ..... videamus quid petat ? Unam petii a Domino hanc requiram ; quid eſt hoc quod requirit ? Ut inhabitem , inquit , in domo Domini per omnes dies vitæ meæ . Et puta quia habitas in domo Domini , unde ibi erit gaudium tuum ? Ut contempler , inquit , delectationem Domini .*

An Lex vetus a Deo data fuerit.

LEgem veterem *non eſſe a Deo Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti* docuit olim Cerdo , a quo Cerdoniani , inquit S. Irenæus lib. 1. cap. 28. ubi & cap. ſequenti docet Marcionem Ponticum blaſphemaſſe , *eum qui a lege & Prophetis annuntiatus eſt Deus malorum factorem , & bellorum concupiſcentem , & inconſtantem quoque ſententia , & contrarium ſibi ipſum dicens , Jeſum autem qui eſt a Deo Patre ſuper mundi fabricatorem Deum , diſſolventem Prophetas , & legem & omnia opera ejus Dei qui mundum fecit , &c.* Idem ſenſerunt Manichæi teſte Auguſtino Hæreſi 46.

Ex quodam Ptolomæo , referente S. Epiphanio lib. 1. tom. 2. Hæreſi 33. quæ eſt Ptolomaitarum , non manavit a Deo , nec ipſi tribui debet univerſa atque integra lex Moſis , ſed partim Deo , qui Decalogum & nonnullas alias leges ſanctiſſimas præſcripſit , partim Moyſi qui alias tulit leges , non ita rectæ rationi conſonas , ut quæ ad libellum repudii & legem Talionis pertinent ; partim denique Senioribus populi , qui & alias inſtitutiones voluerunt vim legis obtinere , quales ſunt nonnullæ traditiones , de quibus ſermo habetur Matth. cap. 15. in illos autem Hæreticos ſit

CONCLUSIO.

Lex vetus eſt a Deo vero Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti , idque contra Cerdonem . Is Deus legis auctor non habuit Chriſtum ſibi adverſum & legis mandata diſſolventem , eſt contra Marcionem . Denique univerſa lex quoad ſingula præcepta Deo ſoli ut legislatori tribui debet , & Moſi ſolum ut miniſtro ; contra Ptolomæum .

Primo quidem lex vetus fuit a vero Deo inſtituta . Siquidem ubique in novo Teſtamento tribuitur vero Deo , ejus præcepta dicuntur eſſe Dei , referuntur ad Deum , Lucæ 1. cap. ſic loquitur Zacharias , *Benedictus Dominus Deus Iſrael , quia viſitavit & fecit re-*

dem-

demptionem plebis ſuæ ...... *ſicut locutus eſt per os Sanctorum*, *qui a ſæculo ſunt Prophetarum ejus*. Quod idem teſtatur B. Virgo Maria ibidem in ſuo Cantico his verbis: *Suſcepit Iſrael puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ*. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros*, *Abraham & ſemini ejus in ſæcula*. Chriſtus ipſe legem Deo tribuit Matth. 15. cap. *Deus autem qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Chriſtum ſuum*, *ſic implevit*. Ac denique S. Paulus tum ad Rom. cap. 1. *Vocatus Apoſtolus ſegregatus in Evangelium Dei*, *quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo*. Tum vero clarius ad Hebr. cap. 1. *Multifariam*, inquit, *multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*. Quibus vel aliis ſimilibus Scripturæ teſtimoniis S. Iræneus contra Cerdonem.

Secundo, lex vetus non fuit a Deo inſtituta tanquam malo principio, cui Chriſtus adverſus fuerit in nova lege: 1. Quia, ut mox diximus, Chriſtus ejuſmodi legis præcepta commendans, eam refert ad Deum, *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*: 2. Quia diſerte affirmat ſe in illa lege prænuntiatum fuiſſe Lucæ ult. *Oportet impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege*, *& in Pſalmis*, *& in Prophetis de me*. Et Joan. cap. 5. *Si crederetis Moyſi*, *crederetis forſitan & mihi*, *de me ille ſcripſit*. 3. Quia huic legi ultro ſe ſubjecit Chriſtus, eamque uſque ad mortem adimplevit; unde ait Matth. 5. cap. *Non veni ſolvere legem*, *ſed adimplere*. 4. demum, quia teſtatur Apoſtolus finem legis eſſe Chriſtum, ad Rom. cap. 10. *Finis enim legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti*, *Moyſes enim ſcripſit quoniam juſtitiam quæ ex lege eſt*, *qui fecerit homo vivet in ea*. Quæ quidem vel ſimilia argumenta paſſim uſurpat Tertullianus adverſus Marcionem.

Tertio, lex vetus tota atque integra eſt a Deo, non autem partim a Moſe & partim a Senioribus. Id aperte conſtat ex ipſis Scripturis, quæ Deum teſtantur totius legis & omnium mandatorum auctorem. Exodi 24. cap. *Moyſes narravit plebi omnia Domini verba atque judicia*; *reſponditque populus una voce*: *Omnia verba Domini quæ locutus eſt faciemus*. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini* ...... *aſſumenſque* Moyſes *volumen fœderis legit audiente populo qui dixerunt*; *Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus*. Unde cum in novo Teſtamento mentio quædam injicitur de lege veteri, hæc tribuitur Deo, dicitur lex Dei, quemadmodum intelligimus e Lucæ 2. cap. *Tulerunt illum in Jeruſalem ut ſiſterent eum Domino*, *ſicut ſcriptum eſt in lege Domini*.

Hinc eſt etiam quod Moſes, ut religioſiſſimus erat Dei miniſter, nihil ſe ex arbitrio ſuo, ſed omnia de mandato Dei annuntiare profitetur: *Scitis*, inquit ad Iſraelitas Deuter. 4. *quod docuerim vos præcepta*, *atque juſtitias*, *ſicut mandavit mihi Dominus meus*, & cap. 6. *Hæc ſunt præcepta & ceremoniæ*, *& judicia quæ mandavit mihi Dominus Deus veſter*. Quæ quidem agendi ratio fuit ſimiliter Joſue, ut patet ex ejus lib. cap. 11. *Sicut præceperat*, inquit, *Dominus Moyſi ſervo ſuo*, *ita præcepit Moyſes Joſue*, *& ille univerſa complevit*, *non præterit de univerſis mandatis*, *nec unum quidem verbum*, *quod juſſerat Dominus Moyſi*.

Objicies: Mandatum divortii, lex ſcilicet qua licitum fuit dare libellum repudii, ipſi Moſi tribuitur, non Deo, ut legimus Matth. cap. 19. dicunt enim Pharisæi, *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii & dimittere?* & ait poſtea Chriſtus, *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras*; Ergo revera hæc lex fuit a Moſe non a Deo conſtituta.

Re-

Reſpondeo, id unum colligi poſſe ex illo Matthæi teſtimonio, Moſem hujus legis fuiſſe præconem, neutiquam vero illam propria auctoritate inſtituiſſe; id enim certo perſuadent adducta Scripturæ loca, quæ univerſam atque integram legem ad Deum referunt; tum vero & illa, ne dicam, rigidior Moſis religio, qua nec minimum privata auctoritate & Deo inconſulto mandatum Iſraelitis præſcribere auſus eſt, ut conſtat ex Numer. cap. 15. ubi legitur eum, ut quid de viro, qui ligna die Sabbathi collegerat, ſtatuendum eſſet, Deum conſuluiſſe. Quamobrem cum dicitur, *Moyſes permiſit*, *Moyſes dixit*, perinde eſt ac ſi diceretur, Moyſe jubente, præſcribente Deo, permiſit, &c. Aliter inde ſequeretur Moſem eſſe quoque auctorem Decalogi, quod nec ipſi volunt adverſarii; nam Marci cap. 7. & Moyſi tribuitur Decalogus, *Moyſes enim dixit*, *Honora patrem tuum*, *&c.*

Nec plus virium habet quod objicebat Ptolomæus, & a ſenioribus editas fuiſſe nonnullas leges, ut colligi poſſe putabat ex Matth. cap. 15. ubi cum Phariſæi Chriſto dixiſſent, *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum?* reſpondit Chriſtus Dominus, *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Siquidem ejuſmodi traditio de lavandis manibus lex non fuit veteris teſtamenti, ſed mera Scribarum & Phariſæorum conſuetudo & traditio; non dicunt, inquit Chryſoſtomus Homil. 52. legem tranſgredi, quia nihil de ea re lex præcipiebat, ſed traditionem ſeniorum: *Phariſæi*, inquit, *& Judæi niſi crebro laverint manus*, *non manducant*, *tenentes traditionem ſeniorum*, *& a foro niſi baptizentur*, *non comedunt*, *& alia multa; &c.*

An Lex vetus data fuerit per Angelos.

Ambigitur quiſnam fuerit is quem immediate alloquebatur Moſes in promulgatione legis, & a quo proinde hanc legem immediate acceperit Iſraelitis publicandam; dubitatur an fuerit Deus ipſe, quemadmodum indicare videntur hæc verba Exodi cap. 31. *Apparuit ei Dominus*. Cap. 20. *Ego ſum Dominus tuus:* & cap. 33. *Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem*, & alia id genus; vel fuerit ſolummodo Angelus, ut aperte legitur Act. 7. v. 53. *Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum;* & ad Galat. cap. 3. *Lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris.*

Varia eſt ſuper ea re SS. Patrum opinio. Nonnulli exiſtimarunt Deum ipſum & ſpecialiter Verbum divinum interdum apparuiſſe Patribus in veteri Teſtamento; ſic Tertull. in ſuis paſſim libris contra Marcionem, & præſertim lib. 3. cap. 9. lib. 4. cap. 10. & 21. lib. adverſus Judæos c. 9. & lib. contra Praxeam c. 16. ubi ait veritatem carnis induiſſe Verbum divinum quaſi præludens, ut futuræ Incarnationis ſuæ veritatem præſtrueret. Origenes Homil. 1. in cap. 6. Iſaiæ S. Gregor. Nazianz. Orat. 49. S. Hilarius lib. 4. de Trin. S. Chryſoſt. Homil. 16. in Acta Apoſt. & Theodor. q. 91. in Geneſim.

Altera ſententia eſt ſancti Aug. qui ejuſmodi apparitiones cenſet factas fuiſſe per Angelos, non autem per ipſum Deum immediate, quod apprime luculentis argumentis oſtendit lib. 3. de Trin. cap. 11. Eum hac in parte ſecuti ſunt alii Patres, quorum loca ſumus mox adducturi, tum vero omnes fere ac ſinguli Doctores Scholaſtici, quibus & nos lubenter aſſentimur, quoad nimirum ſpectat præſentem difficultatem de promulgatione legis: quid enim & de aliis apparitionibus quæ commemorantur in veteri Teſtamento, ſentiendum

ſit;

ſit; an Deo ipſi vel Angelis tantum tribui debeant, fuſius tractare præſentis non eſt otii.

CONCLUSIO.

Lex vetus olim data fuit Moſi, non per Deum ipſum, ſed per Angelos.

Probatur 1. ex Scripturis Act. 7. cap. v. 53. diſertum eſt quod ait S. Stephan. *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum*, quæ verba id unum ſignificant Angelos recto ordine legem diſponentes tradidiſſe Moſi; eſt autem obſervatione digniſſimum hic legem dici datam diſpoſitione *Angelorum* in plurali, non autem *Angeli* in ſingulari, unde profecto colligitur de Verbo Dei non poſſe id accipi, tunc enim dixiſſet Stephanus in diſpoſitione *Angeli*; quomodo ab Iſaia Filius Dei dicitur, *magni conſilii Angelus*. Idem docet Apoſtolus ad Galat. cap. 3. *Quid igitur lex?* inquit, *propter transgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris*. Id eſt, in certo quodam ordine diſpoſita ab Angelis & tradita Moſi, ut ipſe eam populo Dei promulgaret. Quapropter Epiſt. ad Hebr. c. 1. Angelos dicit Dei adminiſtratores: *Nonne omnes ſunt*, inquit, *adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis*. Ubi nempe adminiſtratores debent ſolum intelligi, ut ait S. Thomas, ii Angeli qui miſſi ſunt ad legem Hebræis publicandam.

Luculentum vero eſt momentum quod petitur ex propoſito S. Pauli in hac Epiſtola ad Hebr. ubi legem novam eo nomine ait veteri longe præſtantiorem, quod iſta nonniſi per Angelos, illa vero per ipſum Chriſtum Filium Dei fuerit annuntiata, cap. 1. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio quem conſtituit hæredem univerſorum ... & ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos flammam ignis. Ad Filium autem, Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi*. Et cap. 2. verſ. 2. *Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio & omnis inobedientia accepit juſtam retributionis mercedem; quomodo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem, quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis*. Hoc autem argumentum Apoſtoli nullius plane roboris erit, ſi lex antiqua quemadmodum & nova, a Verbo Dei fuit data hominibus; jam tum enim inter utramque nihil erit hac in parte diſcriminis; igitur lex vetus dici debet data per Angelos.

Probatur 2. auctoritate S. Auguſtini, qui lib. 3. de Trinit. cap. 11. dedita opera probat hanc ſententiam: *Quapropter*, inquit, *eſſentia Dei nullo modo poteſt ipſa per ſemetipſam eſſe viſibilis. Proinde illa omnia quæ patribus viſa ſunt, cum Deus illis ſecundum ſuam diſpenſationem temporibus congruam præſentaretur, per creaturam facta eſſe manifeſtum eſt. Et ſi nos latet quomodo ea miniſtris Angelis fecerit, per Angelos tamen eſſe facta, non ex noſtro ſenſu dicimus, ne cuiquam videamur plus ſapere, ſed ſapimus ad temperantiam, ſicut Deus nobis partitus eſt menſuram fidei, & credimus propter quod & loquimur. Extat enim auctoritas divinarum Scripturarum, unde mens noſtra deviare non debet, nec relicto ſolidamento divini eloquii per ſuſpicionum ſuarum abrupta præcipitari, ubi nec ſenſus corporis regit, nec perſpicua ratio veritatis elucet. Apertiſſime quippe ſcriptum eſt in Epiſtola ad Hebræos, cum diſpenſatio novi Teſtamenti a diſpenſatione veteris Teſtamenti ſecundum congruentiam ſæculorum ac temporum diſtingueretur, non tantum illa viſibilia, ſed ipſum etiam ſermonem per Angelos factum. Sic enim dicit: Ad quem autem Angelorum*

lorum dixit aliquando, &c. . . . Sed propter eos, qui cum Scriptura illic Angelum nominat, ipſum per ſeipſum Filium Dei volunt intelligi, quia propter annuntiationem paternæ ac ſuæ voluntatis a Propheta dictus eſt Angelus: propterea voluit ex hac Epiſtola manifeſtius teſtimonium dare, ubi non dictum eſt per Angelum, ſed per Angelos. Nam & Stephanus in Actibus Apoſtolorum eo more narrat hæc, quo etiam in libris veteribus conſcripta ſunt. Ne quis autem arbitraretur tunc Deum gloriæ per id quod in ſe ipſo eſt cujuſquam oculis apparuiſſe mortalium, in ſequentibus dicit, quod Moyſi Angelus apparuerit (fugit Moyſes in verbo iſto, &c.) & infra. *Sed quid ultra differimus ora eorum evidentiſſimo atque graviſſimo alio documento oppilare, ubi non Angelus ſingulariter, nec viri pluraliter, ſed omnino Angeli dicuntur, per quos ſermo non quilibet factus, ſed lex ipſa manifeſte oſtenditur, quam certe nullus fidelium dubitat Deum dediſſe Moyſi ad ſubjugandum populum Iſrael, ſed tamen per Angelos datam. Ita Stephanus loquitur, Dura cervice, &c. Qui accepiſtis legem in edictis Angelorum, nec cuſtodiſtis. Quid hoc evidentius, quid tanta auctoritate robuſtius? in edictis quidem Angelorum lex illi populo data eſt . . . per Angelos ergo tunc Dominus loquebatur, per Angelos Filius Dei, Mediator Dei & hominum futurus ex ſemine Abrahæ ſuum diſponebat adventum, ut inveniret a quibus reciperetur confitentes ſe reos, quos lex non impleta fecerat tranſgreſſores. Unde & Apoſtolus ad Galatas dicit: Quid ergo lex? tranſgreſſionis gratia poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſſum eſt, diſpoſitum per Angelos in manu Mediatoris; hoc eſt, diſpoſitum per Angelos in manu ſua.*

Eodem plane modo hunc locum Epiſtolæ ad Galatas interpretatur S. Hieron. ſic enim habet: *Quod ait Apoſtolus, (lex per Angelos) hoc vult intelligi quod in omni veteri Teſtamento, ubi Angelus primum viſus refertur, & poſtea quaſi Deus loquens inducitur, Angelus quidem vere ex miniſtris pluribus quicunque ſit viſus: ſed in illo Mediator loquatur qui dicit, Ego ſum Deus Iſaac, Deus Jacob.*

Quin & S. Cyrillus Alexandr. lib. 8. Theſauri cap. 2. contendit ex Paulo novam legem veteri præſtare hoc titulo, quod nova data eſt per Dei filium, vetus autem per Angelos: *Cum voluiſſet Paulus*, inquit, *legis mandatis longe meliora Evangelica demonſtrare, adminiſtratores conſideravit, & ex differentiis ipſorum adminiſtratorum negotiorum differentiam oſtendit*. Et poſtea, *quamvis etiam lex Dei eſt*, vetus nempe, *tamen per Angelos data fuit*.

Tum vero S. Gregorius Magn. in præfatione ad librum Job. *Angelus*, inquit, *qui Moyſi apparuiſſe deſcribitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur; Angelus videlicet, propter hoc quod exterius loquendo ſerviebat. Dominus autem dicitur, quia interius præſidens loquendi efficaciam miniſtrabat. Cum ergo loquens exterius ab interiori regitur, & per obſequium Angelus, & per inſpirationem Dominus nominatur.*

Idem docet Magiſter Sent. lib. 2. diſt. 8. ubi laudat ſententiam S. Auguſt. mox citatam. Idem & S. Thomas q. 6. de potentia Dei art. 7. ad 3. his verbis. *Dicendum quod ſicut dicit Auguſtinus in tertio de Trinitate; Omnes Dei apparitiones quæ in veteri Teſtamento leguntur, factæ ſunt miniſterio Angelorum qui aliquas ſpecies vel imaginarias, vel corporeas formant, per quas animam hominis videntis in Deum reducerent, ſicut ex ſenſibilibus figuris poſſibile hominem in Deum reduci. Corpora ergo apparentia in apparitionibus prædictis Angeli aſſumpſerunt. Sed in eis Deus apparuiſſe dicitur, quia ipſe Deus erat finis in quem per repræſentationem hujuſmodi corporum Angeli mentem hominis elevare intendebant. Et ideo in illis apparitionibus*

Scri-

Scriptura quandoque commemorat Deum apparuiſſe , quandoque Angelum . Hos ſecuti ſunt cæteri deinceps Scholaſtici , Alexander Alenſis qui 2. p. q. 34. n. 7. ait eandem apparitionem interdum tribui in Scripturis & Deo & Angelo , *ſed differenter , Deo per auctoritatem* , *Angelo per miniſterium* . Ricardus & S. Bonaventura in expoſitione contextus Magiſtri , dubio 3. Abulenſis, & nobilis Scripturarum interpres Cornelius a Lapide paſſim in ſuis Commentariis.

Objicies: Is ipſe qui apparuit Moſi, qui ſæpius illum alloquitur ore ad os & facie ad faciem, Deum & Dominum ſe ipſe appellat, Exodi 3. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi . . . cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum vocavit eum* . Exodi 20. *Locutuſque eſt Dominus cunctos ſermones hos* . *Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti , de domo ſervitutis : Non habebis Deos alienos* . Et cap. 33. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem , ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum* . Hæc porro neutiquam Angelo congruere poſſunt; ſiccine enim loqui potuiſſet Angelus, *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti* , *Non habebis Deos alienos ?* Igitur debent hæc omnia intelligi de Deo ipſo , non de Angelis.

Atque id duobus potiſſimum validiſſimis momentis confirmari poteſt .

Primum eſt , quia juxta regulam a S. Auguſtino traditam, & ab omnibus deinceps Theologis receptiſſimam , verba Scripturæ ſacræ litteraliter accipi debent, quando nihil efferunt vel fidei , vel moribus contrarium : atqui nec fidei , nec moribus quidquam repugnat præfata Scripturæ teſtimonia litteraliter accipi de ipſo Deo , qui , ut multi teſtantur ſancti Patres, anticipata quadam incarnatione hominibus interdum apparere voluerit ; ergo , &c.

Secundum momentum eſt , quia ſi ſupponerentur Angeli in his apparitionibus locuti , falſa omnino eſſent quæ ab illis proferrentur : Angelus enim non eſt Deus Jacob , Angelus non eduxit Iſraelitas de Ægypto , &c.

Diſt. ant. Vocat ſe Deum eo quod vices Dei gerebat , perſonam Dei repræſentabat, C. quod ipſe Deus erat qui loquebatur . N. Quoniam ergo Angelus qui apparebat & Moſem alloquebatur perſonam Dei referebat ejus vices gerens, mirum nemini videri debet , ſi adeo confidenter dicat , *Ego ſum Dominus Deus tuus :* ſic enim legatus alicujus Principis ſolet ejus nomen & auctoritatem veluti uſurpare , aut ſaltem ejus nomine & auctoritate loqui & agere; id recte obſervat S. Auguſt. lib. contra Adimantum cap. 9. *Quemadmodum* , inquit, *Verbum Dei , quod eſt Chriſtus, in Propheta loquitur veritatem , ſic in Angelo ipſe loquitur , quando veritatem Angelus nuntiat , & recte dicitur , Deus dixit , & Deus apparuit : & item recte Angelus dixit , Angelus apparuit , cum illud dicatur ex perſona inhabitantis Dei, hoc ex perſona ſervientis creaturæ* . Idem ſcribit lib. 3. de Trin. mox citato non aliter præfatæ objectioni reſpondens .

Neque vel minima ſupereſt difficultas in duobus illis momentis quæ in confirmationem objectionis proponuntur . Quoad primum enim , dico eandem S. Auguſtini regulam ipſis merito retorqueri poſſe ; ſi enim litteraliter accipiantur verba Scripturæ ſacræ , ut fert illa regula , profecto non Deo ſed Angelis tribui debent apparitiones in antiquo Teſtamento factæ ; id enim apertum eſt ex cap. 7. Actorum , ex cap. 7. Actorum , ex 3. cap. Epiſtolæ ad Galatas , ex cap. 1. & 2. Epiſtolæ ad Hebræos. In his enim ſingulis locis lex vetus dicitur data per Angelos ; quoniam vero id concedere nolunt adverſarii , inde manifeſte colligitur in præſenti materia locum habere non poſſe præfatam S. Auguſt. regulam : quominus

autem litteraliter de Deo ipſo ſumantur illa Scripturæ loca quæ nobis objiciuntur, obſtant certe hæc alia quæ opponimus, quæ recte explicari non poſſunt in hypotheſi adverſariorum; cum contra in noſtra ſententia nullo negotio concilientur, quatenus nempe, ut dictum eſt, Angelus vices Dei gerens dicere potuit, *Ego ſum Dominus Deus tuus, &c.* Unde facilis reſponſio patet ad ſecundum momentum, cum enim nomine Dei loquebatur Angelus in ejuſmodi apparitionibus, propoſitiones neutiquam falſas efferebat.

Utrum lex vetus ſolis Judæis data fuerit.

QUæſtio eſt, an ita ſolis Judæis data fuerit Moſaica lex, ut cæteri in orbe univerſo præter Judæos hac lege non tenerentur.

Dico ſolis Judæis datam fuiſſe Moſaicam legem; id enim aperte legitur in Scripturis, Deuteron. cap. 4. *Quæ eſt alia gens tam inclyta quæ habeat cæremonias ac juſta judicia?* Pſalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Unde Apoſtolus ſcribit ad Rom. cap. 7. *Quid ergo amplius Judæo eſt? multum quidem per omnem modum, primum quidem quia credita ſunt eis eloquia Dei.* Quæ quidem adeo clara ſunt & liquida, ut ad ejuſdem veritatis confirmationem multa Patrum loca huc arceſſere nihil omnino neceſſe ſit.

Atque hinc merito colligitur cæteros homines a Judæis huic legi nequaquam fuiſſe obnoxios; ſiquidem poſitiva lex eos tantum obligare poteſt quibus imponitur: lex enim in imperio tota eſſentialiter poſita eſt; adeoque nonniſi eos obſtringit quibus imponitur, intimatur: atqui ſolis Judæis impoſita fuit lex vetus, ut modo dictum eſt; ergo alios a Judæis non obligabat.

Porro cum dicimus cæteros homines Judaica lege non fuiſſe obſtrictos, id intelligimus ſi ſermo ſit de illis præceptis quæ ad legem naturæ non pertinebant, hoc eſt de præceptis judicialibus & cæremonialibus; nemo enim immunis unquam fuit ab obſervantia præceptorum legis naturæ: quo pacto hanc concluſionem ſtatuit S. Thomas 1. 2. qu. 118. art 5. *Quoniam*, inquit, *lex vetus ad legem naturæ quædam Judæis propria ſuperaddebat, populus Judaicus ad omnia legis veteris præcepta, reliquæ autem nationes ad ea tantummodo quæ naturæ legem concernebant, obligabantur.* Quam ſententiam ex eo probat, quod lex *vetus data eſt populo Judæorum, ut quandam prærogativam ſanctitatis obtineret, propter reverentiam Chriſti, qui ex illo populo naſciturus erat. Quæcunque autem*, inquit, *ſtatuuntur ad ſpecialem aliquorum ſanctificationem, non obligant niſi illos, ſicut ad quædam obligantur* Clerici *qui mancipantur divino miniſterio, ad quæ Laici non obligantur; ſimiliter & Religioſi ad quædam perfectionis opera obligantur, ex ſua profeſſione, ad quæ ſæculares non obligantur: Et ſimiliter ad quædam ſpecialia obligabatur populus Iſraeliticus, ad quæ alii populi non obligabantur.*

Objicit ſibi S. Thomas, quicunque Regi ſubditur, ſubditur & ipſius legi: ſed lex vetus data fuit a Deo Rege orbis univerſi; ergo.

Huic objectioni ſic reſpondet: *Ad primum dicendum quod quicunque ſubduntur Regi obligantur ad legem ejus obſervandam, quam omnibus communiter proponit: ſed ſi inſtituat aliqua obſervanda a ſuis familiaribus miniſtris, ad hæc cæteri non obligantur.*

Objicit ſibi inſuper, ſi Judæi ſalvari non poterant niſi hanc ſuam legem obſervarent, ſalvari autem potuerunt Gentiles; profecto pejor fuit Judæorum quam aliorum hominum conditio: abſurdum conſequens, ut liquido conſtat

ex

ex teſtimoniis Scripturæ mox adductis; igitur, &c.

Reſpondet Sanctus Thomas hominem quanto magis Deo conjungitur, tanto effici melioris conditionis, proindeque populum Judæorum divino cultui addictiſſimum, hoc titulo aliis nationibus digniorem, *Et ſimiliter*, inquit, *quantum ad hoc ſunt melioris conditionis Clerici, quam Laici, & Religioſi quam ſæculares*.

Objicies: Lex vetus diſponebat ad ſalutem quæ futura erat per Chriſtum: ſed ſalus illa per Chriſtum futura omnes gentes reſpiciebat, non ſolos Judæos; ergo lex vetus non ſolis Judæis dari debuit, ſed & omnibus hominibus.

Reſpondet S. Thomas art. 4. *Ad primum*, inquit, *dicendum quod quamvis ſalus futura per Chriſtum eſſet omnibus gentibus præparata, tamen oportebat ex uno populo Chriſtum naſci, qui propter hoc præ aliis prærogativas habuit ſecundum illud Rom. 9. (quorum) ſcilicet Judæorum (eſt adoptio filiorum, & teſtamentum & legislatio, quorum patres & ex quibus Chriſtus eſt ſecundum carnem.)*

Ergo, inquies, fuit ex parte Dei acceptio perſonarum: atqui tamen Actor. 10. *Non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet eum, & operatur juſtitiam acceptus eſt illi*; ergo.

Reſpondet S. Thomas ibid. *Ad ſecundum dicendum quod acceptio perſonarum locum habet in his quæ ex debito dantur. In his vero quæ ex gratuita voluntate conferuntur, acceptio perſonarum locum non habet: non enim eſt perſonarum acceptor qui ex liberalitate de ſuo dat uni & non alteri; ſed ſi eſſet diſpenſator bonorum communium, & non diſtribueret æqualiter ſecundum merita perſonarum, eſſet perſonarum acceptor: Salutaria autem beneficia Deus humano generi confert ex ſua gratia; unde non eſt perſonarum acceptor ſi quibusdam præ aliis conſerat. Unde Auguſtinus dicit in libro de prædeſtinatione Sanctorum: omnes quos Deus docet, miſericordia docet; quos autem non docet, judicio non docet, hoc enim venit ex damnatione humani generis pro peccato primi parentis*.

Ex quibus manifeſte colligitur ex ſola & mere gratuita Dei liberalitate, ſine ullis præcedentibus meritis hunc populum potius legem accepiſſe quam cæteras nationes, ut expreſſe dicitur Deuter. 9. cap. *Scito ergo*, inquit Deus, *quod non propter juſtitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in poſſeſſionem, cum duriſſimæ cervicis ſis populus*. Quod idem paſſim docet S. Paulus, & poſtea S. Auguſtinus.

Quæres utrum aliæ nationes, quibus annuntiata non fuerat lex antiqua, potuerint tamen æternam ſalutem conſequi.

Reſpondeo affirmative, modo tamen veram habuerint fidem in Chriſtum mediatorem venturum; nam ejusmodi fidem medium fuiſſe ad ſalutem conſequendam abſolute neceſſarium, fuſius longe atque uberius oſtendemus in Tractatu noſtro *De fide*.

Quæres inſuper, an potuerint olim Gentiles fidem Judæorum ſuſcipere; an vero & Judæis licitum fuerit hujus ſuæ legis illos participes facere?

Rreſpondeo utrumque fuiſſe licitum, ut aperte legitur Exodi 12. cap. ubi poſtquam legem & cæremoniam de manducatione Agni Paſchalis & azymorum multo ritu peragendam præſcripſit Moſes, hæc ſubjungit verſ. 48. *quod ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam & facere phaſe Domini, circuncidetur prius omne maſculinum ejus, & tunc rite celebrabit, eritque ſicut indigena terræ; ſi quis autem circunciſus non fuerit, non veſcetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos*. Unde patet

prius

prius debuiſſe quempiam ex Gentilibus maſculum circuncidi, quam ad manducandum cum Judæis Agnum Paſchalem aggregaretur; atque inde totius legis debitores evadebant, juxta illud Apoſtoli ad Galatas cap. 5. *Teſtificor autem rurſus omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.*

Quærit S. Thomas utrum lex vetus convenienter data fuerit tempore Moſis?

Reſpondet decuiſſe tempore Moſis legem veterem hominibus dari, quo nempe infirmitatem ſuam agnoſcerent, & perfectius ad divinam gratiam ſuſcipiendam præpararentur; id fuſius explicat S. Doctor art. 6. q. 98.

Addere hic ſolent Theologi hanc Judæorum legem ſpecialiter ad Chriſtianos pertinuiſſe, quo pacto figura pertinet ad veritatem quam reſpicit, & quatenus ejusmodi lex innumeras prope continebat promiſſiones quæ in Chriſtianis & in Chriſto eorum legislatore impletæ ſunt; id egregie more ſuo ſcribit Auguſtinus lib. 4. contra Fauſtum cap. 2. *Temporalium quidem rerum promiſſiones*, inquit, *Teſtamento veteri contineri, & ideo Teſtamentum vetus appellari, nemo noſtrum ambigit; & quod æternæ vitæ promiſſio regnumque cœlorum ad novum pertinet Teſtamentum; ſed in illis temporalibus figuras fuiſſe futurorum quæ implerentur in nobis, in quos finis ſæculorum obvenit, non ſuſpicio mea, ſed Apoſtolicus intellectus eſt, dicente Paulo, cum de talibus loqueretur, Hæc omnia figuræ noſtræ fuerunt.* & iterum: *Hæc omnia in figuris contingebant illis. Scripta ſunt autem propter nos, in quos finis ſæculorum obvenit. Non ergo vetus Teſtamentum ad conſequendas illas promiſſiones, ſed ad intelligendas in eis novi Teſtamenti prænuntiationes accipimus, veteris quippe teſtificatio fidem novo conciliat. Unde Dominus ..... Oportebat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis de me. Non itaque ſpes noſtra in temporalium rerum promiſſione defixa eſt; quandoquidem nec ipſos illius temporibus ſanctos & ſpiritales viros Patriarchas & Prophetas his terrenis rebus deditos credimus; intelligebant enim ſibi revelante Spiritu Dei, quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas omnes res geſtas & dictas futura figuranda & prænuntianda decerneret.*

An jure Lex vetus abrogata fuerit.

Legem Moſaicam ut ſanctiſſimam & ab ipſo Deo, non ab hominibus profectam, ab Apoſtolis abrogari, paulo poſt Chriſti mortem ægre ferebant Judæi, qui & etiamnum pro ſervanda hac ſua Religione acriter pugnant. His accenſentur hac in parte nonnulli veteres Hæretici, nimirum Cerinthiani, Ebionitæ & Nazaræi, qui ſpreta definitione Apoſtolorum in Concilio Jeroſolymitano lata exiſtimarunt utramque legem, Chriſti nempe & Moſis, eſſe conjungendam, adeoque & hanc ſummo ſtudium & maxima veneratione ſervandam: in illos vero ſit

CONCLUSIO.

Lex vetus jure merito fuit a Chriſto Domino abrogata. Ea quippe lex merito fuit abrogata, adeo ut propterea jam nullus querimoniæ locus ſit Judæis, cujus finem & abrogationem Deus aperte prædixerat in Prophetis: ſed in veteri Teſtamento, & potiſſimum apud Prophetas, legimus aliquando futurum ut veniat Meſſias qui legem novam, novum cultum, nova ſacrificia inſtituat. Iſaiæ cap. 2. *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, & di-*

& dicent, Venite & aſcendamus ad montem Domini & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem. Ubi aperte futura Chriſti Religio præcinitur, idque eventurum dicit Propheta, *in noviſſimis diebus*: quibus verbis, ut jam a nobis obſervatum eſt, Meſſiæ tempora notari fatentur ipſi Judæi. Conſuli poſſunt luculenta Prophetarum teſtimonia quæ adverſus Judæos congeſſimus in Tractatu noſtro *de Incarnatione*, & quæ moleſtum foret hic iterum exſcribere. Ea loca quiſquis attente legerit, niſi vel volens cæcutiat, vel inveterato laboret mentis præjudicio, agnoſcat neceſſe eſt, jam tum longe ante Chriſti tempora clare & aperte prænuntiatam fuiſſe veteris legis abrogationem.

Atque ut in iſtam ſententiam deſcenderent Judæi, commoveri deberent inſigni Apoſtolorum exemplo, qui tametſi pro legis paternæ inſtitutis ardentiſſimo, quando oportuit, zelo certaverint ac ſtudio; nihilominus tamen Prophetarum oraculis non minus quam Chriſti miraculis convicti, ex Judæis lubenter facti ſunt Chriſtiani: *In veritate comperi*, inquit S. Petrus Act. 10. *quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet eum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi*. In veritate comperi, hoc eſt, & ex miraculis a Chriſto editis, & ex Prophetarum vaticiniis pene innumeris certiſſimum eſt uni Chriſto eſſe adhærendum, jam deſiiſſe ac penitus abrogatam Moſis legem, novum adveniſſe Teſtamentum; *Verbum miſit Deus filiis Iſrael*, pergit S. Petrus, *annuntians per Jeſum Chriſtum; hic eſt omnium Dominus. Vos ſcitis quod factum eſt verbum per univerſam Judæam: incipiens enim a Galilæa, poſt baptiſmum quod prædicavit Joannes, Jeſum a Nazaret, quomodo unxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos a diabolo; quoniam Deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus omnium quæ fecit in regione Judæorum & Jeruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno: hunc Deus ſuſcitavit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis a Deo: nobis qui manducavimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit a mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo & teſtificari, quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt a Deo judex vivorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum*. Sic vero & ex illis Chriſti miraculis quæ palam & in oculis omnium ediderat, & ex Prophetarum vaticiniis tam aperte Chriſtum deſignantibus, promptum erat Judæis ut & Apoſtolis, judicare veterem legem eſſe abrogatam, novo tum ſuccedente Teſtamento.

Quamobrem cum in exordio Chriſtianiſmi non levis inter fideles extorta eſſet contentio circa legis antiquæ præceptorum obſervantiam, quibuſdam ex Judæa contendentibus legem eſſe neceſſariam, ut aperte colligitur ex Act. Apoſt. cap. 15. *Convenerunt Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc*. Et re diſcuſſa ex Prophetarum oraculis, nominatim vero Amos, hoc tandem emiſerunt Decretum: *Viſum eſt enim Spiritui ſancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato & fornicatione; a quibus cuſtodientes vos, bene agetis*.

Hæc porro eadem plane monumenta, nimirum Prophetarum vaticinia & Chriſti miracula, ad ejuſdem veritatis confirmationem uſurparunt poſtea & Apoſtoli in ſuis ſcriptis, imprimis vero S. Paulus, & SS. Patres qui prioribus Ec-

clesiæ

cleſiæ ſæculis aut adverſus Judæorum pervicaciam, aut contra Cerinthianos, & Ebionitas ſcripſerunt. Conſule S. Paulum in Epiſt. ad Galatas, tum vero & ad Hebræos; S. Juſtin. Dialogo cum Tryph. Tertull. in toto lib. adverſ. Judæos & lib. de pudic. cap. 6. Origen. Homil. 10. in Levit. Homil. 17. in Num. & paſſim lib. contra Celſum; Euſeb. lib. 1. de Demonſt. Evang. cap. 6. &c.

Quæ autem teſtimonia laudari ſolent è ſcriptis Apoſtolorum, ut evincatur abrogatam fuiſſe veterem legem, tanquam luculentiſſima ſaltem haberi debent adverſus Cerinthianos, Ebionitas, & alios ejuſdem furfuris Hæreticos; hujuſmodi ſunt iſta, Epiſt. ad Galatas cap. 2. *Si per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*. Cap. 3. *Quid igitur lex? propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris*. Cap. 4. *Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti ſitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?* Cap. 5. *Nolite iterum jugo ſervitutis contineri*. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit... Nam in Chriſto Jeſu, neque Circunciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides quæ per charitatem operatur*. Idem docet Epiſt. ad Hebr. cap. 7. ubi ait deſiiſſe legem ſimul & ſacrificium: *Tranſlato enim*, inquit, *Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis tranſlatio fiat... Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*. quæ quidem, ut dixi, apertiſſima ſunt ad eam revincendam Hæreticorum ſuperſtitionem, qua contendebant utramque ſimul Religionem & Moſis & Chriſti conjungi debere.

Objicies; Lex vetus dicitur in Scripturis perpetua, Baruch cap. 4. *Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ eſt in æternum*; ergo jure non fuit abrogata, ſed contra expreſſam Prophetarum promiſſionem.

Reſpondeo, veterem legem dici æternam, vel quia ſumitur quoad præcepta moralia, quorum viget etiamnum, vigebitque ſemper obligatio; vel quia ſui obſervatores perducebat ad vitam æternam, ſi nimirum in fide & charitate Chriſti eam obſervarent; vel denique ſi æternum ſumatur pro eo quod longiſſimo tempore durat.

Quæres, quo ſenſu dixerit Chriſtus ſe non veniſſe ut legem ſolveret: *Nolite putare*, inquit, Matth. c. 5. verſ. 17. *quoniam veni ſolvere legem aut Prophetas; non veni ſolvere, ſed adimplere*. Neque enim iſtud videtur cohærere poſſe cum iſta ſententia quæ docet legem veterem fuiſſe abrogatam, & quam revera ſolvit & abrogavit Chriſtus; nam cap. 11. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem Baptiſtam*; & Epiſt. ad Hebræos cap. 7. *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis tranſlatio fiat*.

Reſpondeo, veriſſimum fuiſſe quod dixit Chriſtus, ſe non veniſſe ut ſolveret legem, ſed adimpleret; quia præcipuæ veteris legis partes erant promiſſiones & vaticinia, quæ proprie loquendo in Chriſto Domino impleta ſunt. Is quippe, quæ leges Judæorum promiſſa erant, exhibuit, quæ figuris adumbrata repræſentavit; omnia enim contingebant illis in figuris: hujus autem legis finis unus Chriſtus; quo ſpectant potiſſimum hæc quæ tam frequenter pronuntiari ſolent ab Evangeliſtis, *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas*; & quod ipſe dicit Chriſtus Lucæ 24. cap. *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum: quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis de me*. Quapropter legem abrogavit Chriſtus non ſolvendo ſed adimplendo; non violando, ſed perficiendo.

Quæres inſuper quonam præciſe tempore abrogata fuerit lex vetus?

Re-

Reſpondeo 1. eam non fuiſſe abrogatam ante Chriſti mortem; tum quia ante non debuit evaneſcere figura, quam advenisset veritas; tum quia huic legi ſemper uſque ad mortem ſe ipſe ſubjecit Chriſtus; unde ait Matth. 5. *Legem non veni ſolvere, ſed adimplere*; tum denique quia non prius facta eſt legis translatio & extinctio, quam Sacerdotii, juxta illud Apoſtoli ad Hebræos cap. 7. *Translato Sacerdotio neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat*: atqui Sacerdotium veteris legis translatum non fuit niſi in Chriſti morte, quo nimirum tempore Paſcha noſtrum tot figuris antiqui Teſtamenti prænuntiatum, immolatus eſt Chriſtus; igitur lex vetus ante Chriſti mortem non fuit abrogata.

Nec moror quod iſtud legatur Lucæ 16. capit. *Lex & Propheta uſque ad Joannem*, quaſi nempe inde ſignificetur ſtatim ad prædicationem Joannis legem deſiiſſe; id unum quippe voluit Evangeliſta finem legis & Prophetarum eo ſenſu Joannis prædicationi annectere, quod tum inceperit veluti deſinere lex, ac paulatim velut umbra evaneſcere ad præſentiam veritatis, non autem eo ſenſu quod plene & perfecte quoad omnem obligationem ceſſaverit.

Reſpondeo 2. hanc legem in morte Chriſti omnino deſiiſſe; ita ut eos ſaltem qui nova Chriſti lege imbuti erant, non amplius ad ſui obſequium & obſervantiam obſtrinxit. Id ſatis aperte comprobare viſus eſt Jeſus ipſe, quando dixit moriens, *Conſummatum eſt*, Joan. 19. quaſi dixiſſet, ut exponunt Interpretes, Impleta ſunt omnia Prophetarum vaticinia, omnia quæque ſacrificia abolita, antiquata Circumciſio, diſpelluntur umbræ, evaneſcunt figuræ; omnia demum quæ ad veterem legem pertinebant, impleta ſunt, conſummata. Quamobrem in ipſa Chriſti morte legem veterem deſiiſſe, ex eo colligunt nonnulli Patres, quod velum Templi tunc temporis ſciſſum eſt, ut certum legis reſciſſæ argumentum, ita S. Ambroſ. lib. 10. in Lucam c. 23. Leo Serm. 17. de Paſſ. Domini, & S. Thomas Lectione in Lucam. Quod tamen ita demum intelligi debet, ut ejuſmodi lex ſtatim a Chriſti morte fuerit, ut ajunt, mortua, non mortifera, ut mox ſumus oſtenſuri.

An ſtatim poſt Chriſti mortem legalium obſervatio fuerit mortifera.

Graviſſima ſuper illo negotio exorta eſt olim & magno cum æſtu utrinque propugnata contentio, S. Auguſtinum inter & S. Hieronymum. Volebat iſte ab ipſa Chriſti morte, ſtatim mortiferam fuiſſe legalium, hoc eſt, veteris legis cæremoniarum obſervationem; ita ut a nemine tunc temporis ſervari potuerint illæſa conſcientia & ſine aliqua peccati labe. Et contra vero cenſebat Auguſtinus ejuſmodi legalium obſervationem Chriſto ſemel mortuo vanam quidem ſaluti & inutilem fuiſſe, &, ut ajunt, mortua quidem tunc fuiſſe legalia, ſed non ideo mortifera; in illis ſcilicet qui ex Judæis vel Gentilibus recens converſis illas cæremonias ut minime neceſſarias obſervabant. Quid autem occaſione illius controverſiæ de ſolemni objurgatione S. Pauli in S. Petrum diſputaverint duo illi eximii Doctores, cujuſve nos partes amplectamur, quæſtione ſequenti aperiemus; interim in iſta quæſtione quæ juris eſt, in ſententiam Auguſtini lubenter deſcendimus.

CONCLUSIO.

Mortifera non fuit legalium obſervatio ſtatim ab ipſa Chriſti morte. Siquidem illud citra culpam admitti potuit quod nulla lege prohibitum erat: atqui legalium obſervatio nulla lege prohibita erat, ſive Judæis ſive Gentilibus ad Chriſtianam Religionem converſis: nulla

nulla quippe lex vel a Chriſto, vel ab Apoſtolis lata fuerat, nullam unquam produxit Hieronymus; igitur, &c.

Atque ejusmodi praxim non eſſe illicitam, &, ut ajunt, mortiferam abunde comprobavit ipſum Apoſtolorum exemplum; contingit enim non ſemel, ut nonnullos ex illis ritibus obſervaverint. Act. 16. Diſcipulum ſuum Timotheum ex parte Gentili natum circuncidit S. Paulus cap. 21. Sponte id fecit Apoſtolus ne Judæi conquererentur, quod Timotheum Gentilem ſibi aſciviſſet in ſocium prædicationis; ſed ſcelere quodam ſic eum voluiſſe Judæos demereri nemo ſanæ mentis cogitabit.

Act. 21. cap. ex conſilio S. Jacobi idem Paulus purificavit ſe in Templo, verſ. 24. *Sanctificate cum illis*, inquit Jacobus, *& impende in illis ut radant capita..... tunc Paulus, aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis intravit in Templum*. An vero in illo ritu obſervando conveniſſent ambo Apoſtoli, ſi qua tum in illo facto vel minima occurriſſet culpa?

Verum & id non exemplo tantum, ſed & verbo poſtea confirmarunt in Concilio nimirum Jeroſolymitano, quod non unius Apoſtoli, ſed ſingulorum & totius Eccleſiæ Doctrinam exhibet. Cum enim circa legalium rituum obſervationem non levis in Eccleſia facta eſſet concertatio, quibuſdam contendentibus ſine Circunciſione, & aliis Moſaicæ legis ritibus neminem ſalvari poſſe, hanc ſeditionem compeſcuerunt Apoſtoli, quatenus a fidelibus amoverunt onus & jugum legis Moſaicæ, quibuſdam tamen relictis præceptis quæ deinceps obſervari præceperunt, ut conſtat ex Actor. 15. cap. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, inquiunt, *nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione; a quibus cuſtodientes vos, bene agetis*. Ex illa Apoſtolica ſanctione merito colligitur mortiferam non fuiſſe legis præceptorum obſervationem; quandoquidem nonnulla adhuc viguerunt; vel etiam de mandato Apoſtolorum expreſſo.

Huic argumento quod ex Apoſtolorum praxi depromebat Auguſtinus in præſenti controverſia, reſpondit Hieronymus ſimulatione uſos fuiſſe Apoſtolos in præfatis occaſionibus, nec niſi ficto animo legalia ſervaſſe, ne videlicet Judæis eſſent offendiculo; ſed quam fluxa ſit & caduca ejuſmodi reſponſio, invicte, ut puto, demonſtrabimus ſequenti diſputatione.

Objiciebat S. Hieronymus hæc Apoſtoli verba ad Galatas cap. 5. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circuncidamini, Chriſtus verbis nihil proderit*. Ex quo inferebat Circunciſionem fuiſſe Chriſtianis mortiferam; ſiquidem nihil poteſt tollere fructum mortis Chriſti, niſi peccatum mortale.

Reſpondet S. Auguſtinus, excludi quidem fructum mortis Chriſti per Circunciſionem, in qua ſpes ſalutis collocetur; non autem per Circunciſionem ſimpliciter & quæ fiat ex alio fine, quo videlicet Paulus Timotheum circumcidit. En verba Auguſtini Epiſt. olim 19. nunc 82. quæ eſt ad S. Hieronymum num. 19. *Sicut ergo tu vis hic locum dare ſententiæ tuæ, ut velis ſubintelligi niſi fallaciter: ita non impudenter flagito, ut etiam nos illic intelligere eis ſinas dictum (ſi circuncidamini) qui propterea volebant circuncidi, quod aliter ſe putabant in Chriſto ſalvos eſſe non poſſe. Hoc ergo animo, hac voluntate, iſta intentione quiſquis tunc circuncidebatur, Chriſtus ei nihil omnino proderat... illos itaque arguit qui ſe juſtificari in lege credebant, non qui legitima illa in ejus honorem, a quo mandata ſunt, obſervabant, intelligentes & qua prænuntiandæ veritatis ratione mandata ſint, & quouſque debeant perdurare*.

At, inquies, non licebat poſt Chriſti mortem credere & profiteri Chriſtum mori-

moriturum; falſus enim fuiſſet ejuſmodi cultus: atqui ſi legalia ſervaſſent Chriſtiani poſt Chriſti mortem, profeſſi tum fuiſſent Chriſtum moriturum, huc enim tendebant omnes ritus, omnia ſacrificia legis Moſaicæ; igitur.

Diſt. min. Si legalia ſervaſſent Chriſtiani ad ſignificandam Chriſti mortem, C. ſi ex alio fine & motivo, N. ſcilicet nonnulla tantum legalia ſervare licitum fuit etiam poſt Chriſti mortem, & ſervarunt Apoſtoli œconomiæ gratia, ut Judæos demererentur, ut Synagogam cum honore ſepelirent; neve ſi Religionem Moſis tam ſubito reſpuiſſent, credita non fuiſſet divinitus inſtituta, atque ut egregie ait Auguſtinus, improbata potius quam terminata videretur; *Sed propterea non volebant circuncidi, quod aliter non putabant ſe in Chriſto ſalvos eſſe non poſſe.*

An ſincero animo non ficto Legalia ſervaverint Apoſtoli? ubi & de reprehenſione S. Petri.

EX præcedenti diſputatione quæ ambos Apoſtolos Petrum & Paulum inter ſe commiſit, natæ ſunt inter illos aliæ duæ facti quæſtiones. Prima eſt, an poſt Chriſti mortem ſincero animo vel ficto duntaxat legalia ſervaverint Apoſtoli, cum enim adverſus opinionem Hieronymi, qua legis obſervationem cenſebat mortuo Chriſto ſtatim fuiſſe lethiferam & ſaluti nocivam, exemplum Apoſtolorum qui nonnullas ejuſdem legis cæremonias ſervaverant, objeciſſet Auguſtinus; confidenter reſpondit ille & multa diſputatione contendit, legem hanc nonniſi ficto & ſimulato animo interdum obſervaſſe quoſdam Apoſtolos, ne ſcilicet Judæis eſſent offendiculo; contra vero omnis fictionis & ſimulationis expertem fuiſſe hanc Apoſtolorum œconomiam in retinendis quibuſdam Judæorum ritibus acerrime docuit S. Auguſtinus, cujus modo rationes & momenta ſumus allaturi.

Ex eodem fonte fluxit altera quæſtio, an ſincera fuerit illa increpatio quæ deſcribitur Epiſt. ad Galatas cap. 2. qua divus Paulus Antiochiæ reprehendit S. Petrum, quod a Gentibus converſis ſcrupuloſe recederet, ut volebat Auguſtinus, vel ficta tantum & ſimulata ex utriuſque Apoſtoli pacto & conſenſu, per accommodatam quandam diſpenſationem, quæ fuit S. Hieronymi ſententia. Nos autem in utroque hoc capite divi Auguſtini mentem amplectimur.

PRIMA CONCLUSIO.

Poſt Chriſti mortem legalia ſervarunt Apoſtoli ſincere non ſimulate. Illud quippe manifeſte oſtendunt verba S. Lucæ deſcribentis Act. 21. cap. quo pacto S. Jacobus conſilium dedit S. Paulo, ut legem purificationis ſubiret, quod revera poſt maturam deliberationem poſtera die executus eſt Paulus; eſt enim luce meridiana clarius ne vel minimam in illo facto fuiſſe ſimulationem: *Sequenti autem die introibat Paulus ... ad Jacobum, omneſque collecti ſunt ſeniores. Quos cum ſalutaſſet, narrabat per ſingula quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ipſius. At illi cum audiſſent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides, frater, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis. Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas a Moyſe eorum, qui per Gentes ſunt Judæorum, dicens non debere eos circuncidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi. Quid ergo eſt? utique oportet convenire multitudinem: audient enim te ſuperveniſſe. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe. His aſſumptis, ſanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita; & ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. De his autem, qui crediderunt ex Gentibus nos ſcripſimus, judi-*

cantes ut abſtineant ſe ab Idolis, immolato, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. Tunc Paulus, aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis intravit in Templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.

Ex illa narratione manifeſtum eſt nullam fuiſſe ſimulationem in illis Apoſtolorum geſtis: 10. enim quando Jacobus auctor eſt Paulo, ut ſe alicui præcepto vel cæremoniæ legali ſubmittat, propter exortum inter Judæos ſcandalum, eo quod diſceſſionem a Moyſe docuiſſe videretur, adeoque veterem legem tanquam malam improbare ac deteſtari; tunc, inquam, Jacobus nullam ſimulationem, nullam fictionem conſulit divo Paulo; non ait, Finge, ſimula; ſed, *Fac quod tibi dicimus*, quod ſane obſervare non omiſiſſet S. Lucas, ſi quod nempe inter Jacobum & Paulum interceſſiſſet pactum, ſi ejuſmodi ſimulationem meditati fuiſſent; 2. & idem manifeſte perſuadent hæc alia verba Jacobi Paulum alloquentis, *& ſcient omnes*, quæ ſic interpretatur Auguſtinus Epiſt. 82. num. 10. *nam ſi revera*, inquit, *ſic ea reprobaret, quemadmodum de illo auditum erat, & ideo celebranda ſuſciperet, ut actione ſimulata ſuam poſſet occultare ſententiam, non ei diceret Jacobus (& ſcient omnes) ſed diceret, & putabunt omnes, (quoniam quæ de te audierunt, falſa ſunt.) præſertim quia in ipſis Jeroſolymis Apoſtoli jam decreverant, ne quiſquam Gentes cogeret judaizare.*

Idem porro judicium ferri debet de alio Pauli facto, quo nempe Timotheum circuncidit, *Ne Judæis*, inquit ibidem Auguſtinus num. 12. *& maxime cognationi ejus maternæ ſic viderentur, qui ex Gentibus in Chriſtum crediderant, deteſtari Circuncisionem, ſicut Idololatria deteſtanda eſt, cum illam Deus fieri præceperit, hanc Satanas perſuaſerit.* & infra num. 15. *Sic autem credo Apoſtolum Paulum veraciter cuncta illa geſſiſſe, nec tamen nunc quemquam factum ex Judæo Chriſtianum, vel cogo, vel ſino talia veraciter celebrare? ſicut nec tu, cui videtur Paulus ea ſimulaſſe, cogis iſtum vel ſinis talia ſimulare. An vis, ut etiam ego dicam hanc eſſe ſummam quæſtionis immo ſententiæ tuæ, ut poſt Evangelium Chriſti benefaciant credentes Judæi, ſi ſacrificia offerant quæ obtulit Paulus, ſi filios circumcidant, ſi ſabbatum obſervent, ut Paulus in Timotheo & omnes obſervavere Judæi, dummodo hæc ſimulate & fallaciter agant? hoc ſi ita, non jam in hæreſim Hebionis, vel eorum quos vulgo Nazaræos nuncupant, vel quamlibet aliam veterem, ſed neſcio in quam novam delabimur, quæ ſit eo pernicioſior quo non errore, ſed propoſito eſt ac voluntate fallaci.*

Et certe illius ſimulationis accuſari non debent Apoſtoli quæ verum mendacium manifeſte complectitur, & quæ in animis Chriſtianorum grave peperiſſet ſcandalum: atqui ejuſmodi ſimulatio, qua uſi fuiſſent Apoſtoli, verum & proprie dictum mendacium complectitur, tum vero grave ex illa Apoſtolorum ſimulatione ortum fuiſſet ſcandalum.

Primo, in illa ſimulatione verum fuiſſet mendacium: nam mendacium in eo poſitum eſt, quod aſſumantur falſa quædam externa ſigna ad ingenerandam in aliorum animis falſam opinionem, ſiquidem ut in verbis, ita & in factis eſt mendacium: ſed in iſta hypotheſi ſigna externa adhibuiſſent Apoſtoli ad ingenerandam in animis Judæorum falſam opinionem, nimirum adhibuiſſent externam legalium obſevationem; Sacramenta & Sacrificia Moſaicæ legis, ut Judæis perſuaderent ſe per ejuſmodi cæremonias religioſe Deum colere, cum tamen id non haberent in corde, adeo ut iſtam increpationem merito incurriſſent, *Populus labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me;* igitur verum ac proprie dictum mendacium fuiſ-

ſet

ſet in illa Apoſtolorum ſimulatione.

Secundo, & fidelibus grave intuliſſent ſcandalum; in eo quippe poſitum eſt ſcandalum, quod quis in dignitate conſtitutus & auctoritatem habens in Republica, ſuo exemplo doceat rem aliquam de ſe malam, eſſe tamen licitam, ſicque alios ad rem illam faciendam veluti inducat ac provocet: atqui in ſententia divi Hieronymi id factum eſt ab Apoſtolis; nam in ejus ſententia perniciosum & mortiferum fuit ſervare legalia poſt Chriſti mortem: atqui tamen hoc ſuo exemplo docuerunt Apoſtoli ſervari poſſe legalia, quæ nimirum publice ipſi obſervabant, recta ſcilicet & abſcondita ſimulatione qua utebantur; fuiſſet igitur in illo facto apertum & perniciosum ſcandalum, quod vel ne cogitari quidem poteſt de Apoſtolis.

Qua igitur ratione Chriſtianis non licet exterius colere Idola, tametſi id non fieret ſincero animo, ſed ſimulato; unde laudantur Martyres quod nequidem exterius thus Idolis offerre voluerint, quia nempe id manifeſtum complectitur mendacium, veram irreligionem, apertum & publicum ſcandalum; eadem profecto ex cauſa licitum non fuit Apoſtolis exterius & palam legalia ſervare, ſi exiſtimarunt rem eſſe in ſe malam, perniciosam, mortiferam, ejus certe facti malitia & iniquitas quacunque reſtrictione, quacunque ſimulatione retractata non eſt.

Objicies morem fuiſſe Apoſtolorum in illis primis Eccleſiæ temporibus, non niſi pia quadam ſimulatione ritus legis obſervare, ſatis manifeſte docet divus Paulus his verbis, I. ad Corinth. cap. 9. *Factus ſum Judæis tanquam Judæus ut Judæos lucrarer. Iis qui ſub lege ſunt quaſi ſub lege eſſem (cum ipſe non eſſem ſub lege) ut eos qui ſub lege erant, lucrifacerem*; igitur.

Reſpondeo Apoſtolum factum eſſe Judæis Judæum, non ſimulantis & mentientis actu, ſed compatientis affectu; non ut politici quaſi per fas & nefas omnium moribus ſe accommodaret, ſed ut omnium morbis, quoad patiebatur Dei lex, mederi poſſet; ita reſpondet S. Auguſtinus Epiſt. 40. cap. 4. *Neque enim*, inquit, *a me docendus es, quomodo intelligatur quod idem dicit (factus ſum judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem,) & cætera quæ ibi dicuntur compaſſione miſericordiæ, non ſimulatione fallaciæ. Fit enim tanquam ægrotus qui miniſtrat ægroto, non cum ſe febres habere mentitur, ſed cum animo condolentis cogitat, quemadmodum ſibi ſerviri vellet, ſi ipſe ægrotaret. Nam utique Judæus erat, Chriſtianus autem factus non Judæorum Sacramenta reliquerat, quæ convenienter ille populus & legitimo tempore quo oportebat, acceperat.* & paulo infra: *Si propterea illa Sacramenta celebravit, quia ſimulavit ſe Judæum ut illos lucrifaceret, cur non etiam ſacrificavit cum gentibus, quia & iis qui ſub lege erant, tanquam ſub lege factus eſt, ut eos quoque lucrifaceret, niſi quia & illud fecit ut natura Judæus, & hoc totum dixit, non ut fallaciter ſe fingeret quod non erat, ſed ut miſericorditer eis ita ſubveniendum eſſe ſentiret, ac ſi ipſe in eodem errore laboraret, non ſcilicet mentientis actu, ſed compatientis affectu.* Quæ quidem ratio eſt luculentiſſima; ſi enim ſimulatione uti debuerunt Apoſtoli in rituum legis obſervatione, quia dicit S. Paulus ſe factum eſſe Judæis Judæum, ut eos lucrifaceret, eadem ratione ſacrificare debuit cum Gentibus, ut eos quoque lucrifaceret, *factus eſt enim omnia omnibus*, ut teſtatur verſiculo ſequenti.

Hæc eadem iterum vel clarius docet Epiſt. 82. cap. 3. *Quod autem dixi*, inquit, *eum factum Judæis tanquam Judæum, & tanquam Gentilem Gentilibus, non mentientis actu, ſed compatientis affectu, quemadmodum dixerim parum mihi viſus es attendiſſe: immo ego fortaſſe non ſatis hoc explanare potuerim. Neque enim hoc ideo dixi, quod miſeri-*

cor-

corditer illa ſimulaverit, ſed quia ſic ea non ſimulavit quæ faciebat ſimilia Judæis; quemadmodum nec illa quæ faciebat ſimilia Gentibus, quæ tu quoque commemoraſti: atque in eo me, quod non ingrate fateor, adjuviſti. Cum enim abs te quæſiiſſem in Epiſtola mea, quomodo putetur ideo factus Judæis tanquam Judæus, quia fallaciter ſuſcepit Sacramenta Judæorum, cum & Gentibus tanquam Gentilis factus ſit, nec tamen ſuſcepit fallaciter ſacrificia Gentium: tum reſpondiſti in eo factum Gentibus tanquam Gentilem, quod præputium receperit; quod indifferenter permiſerit veſci cibis quos damnant Judæi; ubi ego quæro utrum & hoc ſimulate fecerit: quod ſi abſurdiſſimum atque falſiſſimum eſt; ſit ergo & illa, in quibus Judæorum conſuetudini congruebat libertate prudenti, non neceſſitate ſervili, aut quod eſt indignius, diſpenſatione fallaci potius quam fideli ... hunc compatientis affectum in eadem Epiſtola ad Galatas præcipit dicens: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis intendens te ipſum, ne & tu tenteris. Vide ſi non dixit, Fiere tanquam ille ut illum lucrifacias. Non utique ut ipſum delictum fallaciter ageret, aut ſe id habere ſimularet: ſed ut in alterius delicto, quid etiam ſibi accidere poſſet, attenderet: atque ita alteri, tanquam ſibi ab altero vellet, miſericorditer ſubveniret: hoc eſt non mentientis actu, ſed compatientis affectu; ſic Judæo, ſic Gentili, ſic cuilibet homini, Paulus in errore, vel peccato aliquo conſtituto, non ſimulando quod non erat, ſed compatiendo, qaia eſſe potuiſſet, tanquam qui ſe hominem cogitaret, omnibus omnia factus eſt, ut omnes lucrifaceret.

At, inquies, ſi abſque ſimulatione, ſed ſincero animo ejuſmodi cæremonias veteris legis obſervarunt Apoſtoli, eo nempe quod erant indifferentes, quiſquis noſtrum poterit quoque nunc eas obſervare ſine ullo peccandi periculo: abſurdum conſequens; ſiquidem id vel initio Eccleſiæ hæreſeos nota inuſtum eſt in Cerintho, Ebione & Nazaræis; ergo, cum illos ritus inculpate obſervaverint Apoſtoli, dicatur neceſſe eſt illos pia quadam ſimulatione, & ut ait Hieronymus, honeſta diſpenſatione uſos.

Nego ant. quia, ut ſupra a nobis oſtenſum eſt, fuerunt iſtæ legis cæremoniæ ſtatim poſt mortem Chriſti mortuæ, ſed non mortiferæ; poſtulabat Apoſtolorum prudentia, ut Synagogam cum honore deducerent ad ſepulchrum: qua ex cauſa cum progreſſu temporis gratia fidei plene revelata, non mortua modo, ſed & omnino ſepulta ſit; inculpate nemo poſſet iterum illam celebrare: ſic vero & meo quidem judicio ingenioſe differit S. Auguſt. Epiſt. 82. jam citata num. 16. *Quod ſi reſpondeas, ut te ab hac purges ſententia, tunc Apoſtolos iſta laudabiliter ſimulaſſe, ne ſcandalizentur infirmi qui ex Judæis multi crediderant, & ea reſpuenda nondum intelligebant, nunc vero firmata per tot Gentes doctrina gratiæ Chriſtianæ, confirmata etiam per omnes Chriſti Eccleſias lectione legis & Prophetarum, quomodo hæc intelligenda non obſervanda recitentur, quiſquis ea ſimulando agere voluerit inſanire; cur mihi non licet dicere Apoſtolum Paulum & alios rectæ fidei Chriſtianos, tunc illa vetera Sacramenta paululum obſervando veraciter commendare debuiſſe, ne putarentur illæ propheticæ ſignificationis obſervationes a piiſſimis Patribus cuſtoditæ, tanquam ſacrilegia diabolica a poſteris deteſtandæ? Jam enim cum veniſſet fides quæ prius illis obſervationibus prænuntiata, poſt mortem & reſurrectionem Domini revelata eſt, amiſerant tanquam vitam officii ſui. Veruntamen ſicut defuncta corpora neceſſariorum officii deducenda erant quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulate, ſed religioſe, non autem deſerenda continuo, vel inimicorum obtre-*

tre-

trectationibus tamquam canum morſibus projicienda. Proinde nunc quisquis Chriſtianorum quamvis ſit ex Judæis, ſimiliter ea celebrare voluerit, tanquam ſopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel bajulus corporis, ſed impius ſepulturæ violator.

Secunda Conclusio.

S. Paulus vere & ſincere, non ſimulate reprehendit S. Petrum. Id primo apertum & manifeſtum eſt ex genuina ipſius facti narratione, qualis habetur ad Galatas cap. 2. his verbis: *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat; prius enim quam venirent quidam a Jacobo cum Gentilibus edebat; cum autem veniſſent, ſubſtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos qui ex Circunciſione erant. Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi; ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cum vidiſſem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus; Si tu cum Judæus ſis, gentiliter vivis & non judaice, quomodo Gentes cogis judaizare?* Ubi Sanctus Paulus ait ſe in faciem reſtitiſſe divo Petro, *quia reprehenſibilis erat*, & cum vidiſſet quod cæteri Judæi *non recte ambularent ad veritatem Evangelii:* Sed iſtam hujuſce ſuæ increpationis cauſam adducere non potuit, ſi facta eſt cum ſimulatione & ex compacto, quo nimirum conveniſſent inter ſe ambo Apoſtoli ſimulandam his primis Eccleſiæ temporibus legalium obſervationem; falſum enim fuit hoc præſuppoſito Apoſtolorum fœdere reprehenſibilem fuiſſe S. Petrum, adeoque id proferri non potuit a Sancto Paulo citra manifeſtum mendacium.

Atque hoc ipſum eſt momentum quo paſſim utitur S. Auguſtinus adverſus S. Hieronymum, præſertim vero Epiſt. 82. *De quo enim certus ſim*, inquit numero 4. *quod me ſcribendo vel loquendo non fallat, ſi fallebat Apoſtolus filios ſuos quos iterum parturiebat, donec in eis Chriſtus, id eſt veritas, formaretur, quibus cum præmiſiſſet dicens (quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior); non tamen veraciter ſcribebat, ſed neſcio qua diſpenſatoria ſimulatione fallebat, vidiſſe ſe Petrum & Barnabam non recte ad Evangelii veritatem ingredientes, ac Petro in faciem reſtitiſſe, non ob aliud niſi quod Gentes cogeret judaizare. At enim ſatius eſt credere Apoſtolum Paulum aliquid non recte aliquid egiſſe. Hoc ſi ita eſt dicamus (quod abſit) ſatius eſſe credere mentiri Evangelium, quam negatum eſſe a Petro Chriſtum.* & paulo infra: *Nam ſi hoc fecerit Petrus quod facere debuit, mentitus eſt Paulus quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem Evangelii. Quisquis enim hoc facit quod facere debet, recte utique facit. Et ideo falſum de illo dicit, qui dicit eum non recte feciſſe, quod eum novit facere debuiſſe. Si autem verum ſcripſit Paulus, verum eſt quod Petrus non recte tunc ingrediebatur ad veritatem Evangelii. Id ergo faciebat quod facere non debebat, & ſi tale aliquid Paulus ipſe jam fecerat, correctum potius ipſum credam Coapoſtoli ſui correctionem non potuiſſe negligere, quam mendaciter aliquid in ſua Epiſtola poſuiſſe, & in Epiſtola qualibet, quanto magis in illa, in qua prælocutus ait (Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia nen mentior.)*

His addo, ſi non niſi ex honeſta diſpenſatione S. Petrus hunc ſervavit Judaicum ritum, quo nempe receſſit a Gentibus, ne cum iis edens videretur, & ſi proinde non niſi ficte & ſimulate hunc reprehendit S. Paulus; hoc factum non modo citra mendacium non denarrare potuit, ſcribens ad Galatas, ſed nec ſine maxima injuria & ſcandalo erga S. Petrum, eos enim certiores fecit hunc Apoſtolum peccaſſe, fuiſſe re-

prehenſione dignum, cæteroſque hoc ſuo exemplo ad judaizandum provocaſſe, quatenus a menſa Gentilium receſſit: quod quidem ſi non vere & ſincere factum eſt, quid tandem illud ſit quam mera calumnia S. Petro impacta, ego quidem non video: Etenim quidni in illa hypotheſi potuiſſet S. Paulus ſcribere ad Galatas, non niſi in ſpeciem peccaſſe divum Petrum, quem proinde ſimulate tantum reprehendit. *Fidelis igitur diſpenſator Apoſtolus Paulus*, inquit Auguſtinus loco mox citato, *procul dubio nobis exhibet in ſcribendo fidem, quia veritatis diſpenſator erat, non falſitatis. Ac per hoc verum ſcripſit, vidiſſe ſe Petrum non recte ingredientem ad veritatem Evangelii, eique in faciem reſtitiſſe, quod Gentes cogeret judaizare.*

Hanc porro divi Auguſtini ſententiam de vera non ſimulata increpatione docuerat antea Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 3. *Sed reprehendit Petrum*, inquit, *non recto pede incedentem ad Evangelii veritatem. Plane reprehendit non ob aliud tamen quam ob inconſtantiam victus quem pro perſonarum qualitate variabat, timens eos qui erant ex Circunciſione, non ob aliquam divinitatis perverſitatem, de qua & aliis in faciem reſtitiſſet: qui de minori cauſa converſationis ambiguæ Petro ipſi non pepercit*. Et lib. de præſcript. Hæret. cap. 23. *Si prehenſus eſt Petrus, quod cum convixiſſet Ethnicis, poſtea ſe a convictu eorum ſeparabat perſonarum reſpectu, utique converſationis fuit vitium, non prædicationis*.

Item hoc idipſum ſupponit S. Cyprianus, Epiſt. 71. *Nam nec Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam: cum ſe cum Paulus de Circunciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari a novellis & poſteris ſibi potius oportere, nec deſpexit Paulum quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet; ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ quam Paulus vindicabat, facile conſenſit: documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus; ſed quæ aliquando a fratribus & collegis noſtris utiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potius noſtra ducamus;* igitur vera erant quæ ſuggeſſit S. Paulus, cum de Circunciſione diſceptavit cum S. Petro, cumque increpuit quaſi non ambulantem in veritate Evangelii; id autem ſi ex compacto utriuſque Apoſtoli factum eſt, quodnam patientiæ & concordiæ documentum tribuit, cum illud veritatis conſilium admiſit? aut profecto hac in parte noſter eſt Cyprianus, aut divi Petri patientiam laudat immeritò.

Et poſtea S. Gregorius M. Homil. 18. in Ezech. *Ecce Paulus*, inquit, *in Epiſtolis ſuis ſcripſit Petrum reprehenſibilem, & ecce Petrus in Epiſtolis ſuis aſſerit Paulum in his quæ ſcripſerat, admirandum. Certe enim niſi legiſſet Petrus Pauli Epiſtolas, non laudaſſet. Si autem legit, quia illic ipſe reprehenſibilis dicitur, invenit. Amicus ergo veritatis laudavit etiam quod reprehenſus eſt, atque ei ad hoc ipſum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter quam debuerat, ſenſit. Seque etiam minori fratri ad conſenſum dedit, atque in eadem re factus eſt ſequens minoris ſui, etiam in hoc præiret, quatenus qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet & primus in humilitate.*

Quibus accedit, omnes fere doctores Scholaſticos iviſſe in ſententiam S. Auguſtini poſt S. Thomam, qui lectione 4. in cap. 2. Epiſt. ad Galatas hoc Auguſtini argumentum approbat, ex eo ſcilicet petitum quod *Paulus manifeſte dicit, quod reprehenſibilis erat Petrus. Si ergo nefas eſt dicere, in Scriptura ſacra aliquod falſum contineri, non erit fas dicere Petrum reprehenſibilem non fuiſſe*. Unde ait ibidem, tunc *Petrum peccaſſe venialiter propter indiſcretionem quam ha-*

habuit nimis inhærendo parti Judæorum ad vitandum eorum ſcandalum. Quod utrumque aperte docet 1. 2. q. 103. art. 4. ad 2. nimirum & peccaſſe S. Petrum in præfata occaſione, cum ſe a Gentibus ſubtraxit ut vitaret Judæorum ſcandalum, & a Paulo non ſimulate reprehenſum, quia nempe, inquit, *Paulus in canonica Scriptura*, ſcilicet Galat. 2. *in qua nefas eſt credere aliquid falſum eſſe, dicit quod Petrus reprehenſibilis erat*.

Objicies: Id vere & ſincere in Petro reprehendere non potuit S. Paulus, quod ipſe prius nec ſemel fecerat: atqui S. Paulus etiam poſt Chriſti mortem quandoque legalia obſervaverat, ut enim ſupra dictum eſt, Timotheum circunciderat, ſe ipſum cum Judæis purificaverat in Templo; igitur nonniſi ſimulate S. Petrum reprehendit.

Diſt. min. Legalia ſimiliter obſervaverat S. Paulus in diverſis circunſtantiis, C. in iiſdem pane circunſtantiis, N. in iis quippe circunſtantiis legi Moſaicæ ſe ipſum ſubjecerat S. Paulus, in quibus id fieri poterat licite; unde nullius peccati reus fuit, cum in iis contra circunſtantiis ſe ſe a menſa Gentilium ſubduxerit Petrus in quibus id inculpate agere non potuit; unde utriuſque Apoſtoli par non fuit agendi ratio propter diverſitatem circunſtantiarum, è quibus actionum humanarum bonitas & malitia æſtimari ſolet. Scilicet quando legales quoſdam ritus obſervavit S. Petrus, quando Timotheum circuncidit, quando purificavit ſe in Templo, id unum hoc ſuo exemplo docuit legem Moſaicam non eſſe per ſe malam, quod veriſſimum erat; ſed quando a menſa Gentilium receſſit S. Petrus, hocque facto Judæorum morem ſecutus eſt, non modo ſignificavit ritus Moſaici obſervationem eſſe bonam & licitam; ſed & illam eſſe ſaluti neceſſariam, ut teſtatur S. Paulus, qui in illa objurgatione id criminis Petro imputat, quod Gentes a quibus receſſit, cogebat hoc ſuo exemplo judaizare, hoc eſt, docebat non ſolum legalia ſervari poſſe tanquam bona, ſed ſervari debere tanquam ſaluti neceſſaria, quod falſum erat & reprehenſione dignum. Eſt illa reſponſio S. Auguſtini Epiſt. 82. num. 8. *Ego quidem illud Petrum ſic egiſſe credo*, inquit, *ut Gentes cogeret judaizare. Hoc enim lego ſcripſiſſe Paulum, quem mentitum eſſe non credo, & ideo non recte agebat hoc Petrus. Erat enim contra Evangelii veritatem, ut putarent, qui credebant in Chriſtum, ſine illis veteribus Sacramentis ſalvos ſe eſſe non poſſe. Hoc enim contendebant Antiochiæ, qui ex Circunciſione crediderant, contra quos Paulus perſeveranter acriterque confligit. Ipſum vero Paulum non ad hoc id egiſſe, quod vel Timotheum circuncidit, vel Cenchreis votum perſolvit, vel Jeroſolymis a Jacobo admonitus, cum eis qui noverant, legitima illa celebranda ſuſcepit, ut putari videretur per ea Sacramenta etiam Chriſtianam ſalutem dari: ſed ne illa quæ prioribus, ut congruebat, temporibus in umbris rerum futurarum Deus fieri juſſerat, tanquam Idololatriam Gentilium damnare crederetur. Hoc eſt enim quod illi Jacobus ait auditum de illo eſſe, quod diſceſſionem doceat a Moyſe. Quod utique nefas eſt, ut credentes in Chriſtum diſcindantur a Propheta Chriſti, tanquam doctrinam deteſtantes atque damnantes*.

Et Num. 12. *Ergo & Timotheum circuncidit propterea ne Judæis, & maxime cognationi ejus maternæ ſic videretur, qui ex Gentibus in Chriſtum crediderant, deteſtari Circunciſionem ſicut Idololatria deteſtanda eſt, cum illam Deus fieri præceperit, hanc Satanas perſuaſerit. Et Titum propterea non circuncidit, ne occaſionem daret eis qui ſine illa Circunciſione dicebant credentes ſalvos eſſe non poſſe, & ad deceptionem Gentium hoc etiam Paulum ſentire jactarent*.

Idem vero & quidem clarius, ſi fieri poteſt, ſcribit Epiſt. 40. quæ eſt ſimili-

liter ad S. Hieronymum: *Quapropter*, inquit, *non ideo Petrum emendavit, quod paternas traditiones obſervaret; quod ſi facere vellet, nec mendaciter, nec incongrue faceret, quamvis enim jam ſuperflua, tamen ſolita non nocerent; ſed quoniam Gentes cogebat judaizare, quod nullo modo poſſet, niſi ea ſic ageret, tanquam adhuc etiam poſt Domini adventum neceſſaria ſaluti forent, quod vehementer per Apoſtolatum Pauli veritas diſſuaſit. Nec Apoſtolus Petrus hoc ignorabat, ſed id faciebat timens eos qui ex Circumciſione erant. Ita & ipſe vere correctus eſt, & Paulus vera narravit, ne ſancta Scriptura quæ ad fidem poſteris edita eſt, admiſſa auctoritate mendacii, tota dubia nutet & fluctuet.* Quare Paulus non reprehendit in Petro quod ipſe fecerat, neque enim reprehendit uſum cæremoniarum præciſe, ſed quod illas incaute & intempeſtive obſervaverat Apoſtolorum Princeps.

Inſtabis: Diſpar non fuit agendi ratio utriuſque Apoſtoli, & in iiſdem plane circunſtantiis legalia obſervarunt, ſi ſanctus Paulus, quando obſervavit legalia, ſuo ſimiliter exemplo Gentiles judaizandum eſſe docuit; id enim ſolum criminis S. Petro imputatur: atqui S. Paulus cum ſe ſe ritibus Moſaicis ſubjecit, hoc ſuo exemplo Gentiles ſimiliter docuit eſſe judaizandum, Gentes coegit judaizare: ideo quippe S. Petrus cenſetur coegiſſe Gentes judaizare, quia unum ex ritibus Moſaicis obſervavit coram oculis Gentilium, ut Judæis non eſſet offendiculo, & ex quo Petri facto inferre potuerunt Gentiles legis obſervationem eſſe ſaluti neceſſariam: ſed in illis iiſdem plane circunſtantiis legales quaſdam cæremonias obſervavit S. Paulus: Timotheum, v. g. circumcidit, quod non ignorarunt Gentiles, ut ſibi Judæos demereretur, & ex illa Pauli cæremonia colligere ſimiliter potuerunt Gentiles Circunciſionem eſſe Chriſtianis neceſſariam; igitur par utrobique ratio.

Nego utramque minorem; ſcilicet, ut mox dictum eſt, hujuſce utriuſque facti diſcrimen repeti non poteſt, niſi ex diverſitate circunſtantiarum, quæ profecto longe lateque ſunt diſſimiles; quatenus nempe Paulus non coegit Gentes judaizare, legalia ſolum obſervavit, ut Judæis perſuaderet ſe non habere illorum legem tanquam malam, idque executus eſt ſine ulla Gentilium offenſione legitima, non coram Gentilibus, ſed coram Judæis; unde, ut obſervat S. Auguſtinus, Epiſt. 82. num. 12. Timotheum circuncidit, quia ex matre Judæus erat, Titum vero non circuncidit, quia ex utroque parente Gentilis erat: *ne occaſionem daret eis, qui ſine illa Circunciſione dicebant credentes ſalvos eſſe non poſſe, & ad deceptionem Gentium, hoc etiam Paulum ſentire jactarent; quod ipſe ſatis ſignificat, ubi ait (ſed neque Titus qui mecum erat cum eſſet Græcus, compulſus eſt circuncidi, propter ſubintroductos autem falſos fratres, qui ſubintroierant perſcrutari libertatem noſtram, ne nos in ſervitutem redigerent.)* At vero S. Petrus manifeſte coegit Gentes judaizare, ut quam vere tam ſincere ait S. Paulus, non ſolum quia unum ex ritibus legis obſervavit coram Gentibus, ſed quia his legitimam præbuit anſam exiſtimandi hanc legis obſervationem eſſe neceſſariam; cum illis enim Gentilibus converſcens ſcrupuloſe ab eorum menſa ſe ſubduxit; unde colligere debuerunt Gentiles non eſſe licitum Chriſtianis edere cum Gentibus, eo quod nempe illud præcipiebat lex Moſaica; proindeque non modo legem eſſe bonam, ſed & ſaluti neceſſariam.

At, inquies, & idem colligere poterant Gentiles ex facto S. Pauli, quando Timotheum circuncidit; iſte quidem Judæus fuit ex genere materno, ſed ex patre Gentili, & ideo Gentilis ipſe; deinde notum erat Gentilibus legalia nonnunquam obſervata fuiſſe a S. Paulo; an inde ſuſpicati fuerint hunc docuiſſe lega-

legalia ſaluti neceſſaria, plane incertum; ſed nihil certi proferri poteſt de facto S. Petri; ignoratur utrum Gentiles qui tunc temporis Antiochiæ commorabantur, ob illum Petri diſceſſum ſcandalo quodam permoti fuerint; ſupereſt igitur ſolummodò difficultas de metu & periculo ſcandali: atqui certe non majus fuit ſcandali periculum in facto S.Petri, non magis hoc ſuo exemplo provocavit Gentes ad judaizandum, quam S. Paulus quando legalia obſervavit; ergo fictitia eſt præfata diſparitas.

Diſt.ant. Idem quoque ex facto S.Pauli colligere poterant Gentiles; nimirum exiſtimare Circuncifionem Chriſtianis eſſe neceſſariam; ſed immerito & ſine legitima cauſa, C. merito & ex legitima cauſa, N. Scilicet S. Paulus nullam Gentibus præbuit legitimam cauſam exiſtimandi legem Moſis eſſe neceſſariam, qui ſine ullo ſcrupulo, ſine ulla affectata religione unum aut alterum ex illius legis ritibus obſervavit; quemadmodum qui apud nos in diebus ferialibus Sacrum audiunt ſine ulla affectatione, eo præciſe non docent ejuſmodi praxim eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti. Namque, quod in præſenti controverſia diligentiſſime obſervandum eſt, aliud eſt legem aliquam obſervare, aliud eſt illam obſervare ſcrupuloſe, ex conſcientia ſcrupuloſa, ita ut ſapientes non modo judicent ejuſmodi praxim eſſe bonam, ſed & putent illam eſſe neceſſariam, ex eo nimirum modo quo ſe gerit agens, & ex circunſtantiis in quibus agit. Jam vero S. Paulus legalia nonnunquam obſervavit, ſed ſine ulla prorſus affectatione, nullam injiciens ideam ſe putare ejuſmodi cæremonias eſſe ſaluti neceſſarias; ac proinde immerito & citra legitimam cauſam ex illius factis collegiſſent Gentiles legem Moſaicam eſſe neceſſariam... Sed non eodem plane modo judicari poteſt de facto S. Petri, is quippe ſcrupuloſe legi Moſaicæ fuit addictus, cum affectata quadam Religione ſeceſſit a menſa Gentilium, prius cum illis edens, adeoque ſuum prius factum ipſe veluti correxit tanquam malum, manifeſte ſignificans licitum non eſſe cum Gentilibus edere; & ita longe diſpar fuit ratio agendi utriuſque Apoſtoli.

Inſtabis: Culpandus non fuiſſet S. Petrus ſi a menſa Gentilium tunc ſe non ſubduxiſſet, tametſi propterea offenſi fuiſſent Judæi; ergo ſimiliter quando ſe a menſa Gentilium ſubtraxit cum illorum offendiculo, idcirco culpari non debet.

Nego conſ. Ratio diſcriminis eſt, quia ſi a menſa Gentilium non receſſiſſet S. Petrus, nullam offenſionis cauſam legitimam præbuiſſet Judæis, neque enim ab illis recedere debuit quos prius inculpate frequentabat. Sed contra legitima fuit Gentilium offenſio, ſcandalum fuit ex parte Petri, qui hac ſua ſcrupuloſa diſceſſione palam docuit legales cæremonias ſaluti eſſe neceſſarias.

Inſtabis: Quando S. Petrus a menſa Gentilium ſe ſubduxit, ſimulate tantum agebat, ut aperte colligimus ex ipſius Pauli teſtimonio ſic loquentis: *Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem*; ergo & ſimulate S. Paulus reprehendit S. Petrum, quia nempe ex compacto agebant illi Apoſtoli, quando legalia obſervabant.

Nego conſeq. Eſto nimirum quod S. Petrus in illo caſu ſe ſe geſſerit cum aliqua ſimulatione, ut loquitur divus Paulus, id eſt, hoc ſuo facto ſimulare voluerit legis Moſaicæ obſervationem, quam procul dubio non putabat ſaluti Chriſtianorum neceſſariam, & quam ſerio non intendebat obſervare; quo ſenſu ejus actio ſimulationis nomine donari poterit, quaſi ita ſe geſſerit ac ſi cum Judæis cibos diſcerneret & Gentium converſionem abhorreret; non ideo tamen ſequitur & ſimulatam fuiſſe eam increpationem qua in eum uſus eſt

S.Paulus, quaſi nempe ex quodam pacto profecta fuerit, tanquam honeſta quædam diſpenſatio cogitata prius & præparata, ut volebat Hieronymus: quin potius propter ejuſmodi ſimulationem quæ ab omni culpa non vacat, ut abunde oſtendimus, Petrum acriter reprehendit quia vere reprehenſibilis erat, adeoque ex parte divi Pauli nulla prorſus fuit ſimulatio.

Objiciebat Hieronymus Epiſt. quæ eſt 75. apud Auguſtinianas, multorum veterum auctoritatem: *Origenis*, inquit, *commentarios ſequutus ſum, ſcripſit enim ille vir in Epiſtolam Pauli ad Galatas quinque proprie volumina, & decimum Stromatum ſuorum librum, commatico ſuper explanatione ejus ſermone complevit, tractatus quoque varios & excerpta quæ vel ſola poſſent ſufficere, compoſuit. Prætermitto Didymum videntem meum & Laodicenum de Eccleſia nuper egreſſum, & Alexandrum veterem Hæreticum, Euſebium quoque Emiſſenum & Theodorum Heracleotem, qui & ipſi nonnullos ſuper hac re commentarios reliquerunt... Quid dicam de Joanne qui dudum in Pontificali gradu Conſtantinopolitanam rexit Eccleſiam, & proprie ſuper hoc capitulo latiſſimum exaravit librum, in quo Origenis & veterum ſententiam eſt ſequutus? Si igitur me reprehendis errantem, patere me quæſo errare cum talibus, & cum me erroris mei multos ſocios habere perſpexeris, tu veritatis tuæ ſaltem unum aſtipulatorem proferre debebis.*

Reſp. S. Auguſtinus Epiſt. 82. n. 23. *His verbis flagitas a me ut aliquem ſaltem unum oſtendam, cujus in hac re ſententiam ſim ſequutus, cum tu tam plures nominatim commemoraveris, qui te in eo quod aſtruis præceſſerunt; petens ut in eo, ſi te reprehendo errantem, patiar te errare cum talibus, quorum ego fateor neminem legi; ſed cum ſint ferme ſex vel ſeptem, horum quatuor auctoritatem tu quoque infringis. Nam Laodicenum cujus nomen taces, de Eccleſia dicis nuper egreſſum, Alexandrum autem veterem Hæreticum. Origenem vero ac Didymum reprehenſos abs te lego in recentioribus opuſculis tuis & non mediocribus quæſtionibus, quamvis Origenem mirabiliter ante laudaveris. Cum iis ergo errare puto, quia nec te ipſe patieris, quamvis hoc perinde dicatur, ac ſi in hac ſententia non erraverint. Nam quis eſt qui ſe velit cum quolibet errare? Tres igitur reſtant, Euſebius Emiſſenus, Theodorus Heracleotes, & quem paulo poſt commemoras Joannes, qui dudum in Pontificali gradu Conſtantinopolitanam rexit Eccleſiam. Porro ſi quæras vel recolas quid hinc ſenſerit noſter Ambroſius, quid noſter itidem Cyprianus, invenies fortaſſe nec nobis defuiſſe, quos in eo quod aſſerimus, ſequeremur.*

Ex quibus manifeſte patet in hac controverſia veterum auctoritate non eſſe pugnandum, quia nempe in varias ſuper ea re iverunt ſententias; Euſebio enim Emiſſeno, Theodoro & Chryſoſtomo opponit Auguſtinus Cyprianum & Ambroſium, poterat & adjungere Tertullianum. *Verumtamen*, inquit ibidem num. 24. *ipſe mihi pro his omnibus, immo ſupra hos omnes Apoſtolus Paulus occurrit. Ad ipſum confugio, ipſum ab omnibus qui aliud ſentiunt litterarum ejus tractatoribus provoco.*

Hanc porro ſuam ſententiam correxit ipſe Hieronymus Dialogo primo adverſus Pelagianos cap. 8. ubi ſic habet: *Vult certe Deus tales eſſe Epiſcopos ſive Presbyteros, quales vas electionis decet. Primum quod dixit, irreprehenſibilis aut nullus, aut rarus. Quis eſt enim qui non quaſi in pulchro corpore, aut nævum, aut verrucam habeat? Si enim ipſe Apoſtolus dicit de Petro, quod non recto pede inceſſerit in Evangelii veritate, & in tantum reprehenſibilis fuerit, ut & Barnabas adductus ſit in eandem ſimulationem; quis indignabitur id ſibi denegari, quod Princeps Apoſtolorum non habuit?*

Ne-

Neque latuit S. Auguſtinum ejuſmodi retractatio, ut colligimus ex ejus Epiſtola 186. *Sed quid hinc diutius*, inquit, *cum de hac quæſtione inter nos, ego & prædictus venerabilis Frater Hieronymus ſatis litteris egerimus, & in hoc opere recentiſſimo, quod ſub nomine Critobuli adverſus Pelagianum modo edidit, tandem de iſta re geſta dictiſque Apoſtolicis ſententiam tenuit, quam beatiſſimi Cypriani etiam nos ſecuti ſumus*.

Cæterum ſilentio hic perimere non poſſumus Cardinalis Baronii oſcitantiam, qui in ſuis Annalibus ad an. 51. ſcribit, S. Auguſtino hac in controverſia non ſatis exploratam fuiſſe Hieronymi ſententiam; quia nempe, inquit Baronius, ſupponit S. Doctor Hieronymum affirmaſſe Paulum eſſe mentitum, quod falſum eſt: neque enim Hieronymus dicit Apoſtolum narrare facta eſſe quæ facta non ſint, vel aliter quam facta ſint; id unum vero adverſus Auguſt. contendit, ea quæ ſunt ut vera narrata, nimirum B. Petri factum & objurgationem Pauli ſimulate & ex compacto facta; quo certe poſito Aug. mentem Hieronymi non eſt aſſecutus.

Verum pace dixerim & in hac ſua ſubtiliori obſervatione ſupine fallitur Eminentiſſimus Annalium parens, qui nec ipſe mentem attigit S. Auguſtini: ſcilicet & S. Auguſtinus non ſupponit S. Hieronymum affirmaſſe Paulum fuiſſe mentitum; & licet id videretur ſupponere, non ideo ab ipſius Hieronymi mente & doctrina longe fuiſſet alienus.

Primum quidem conſtat, quia id ſolum probare nititur Auguſt. adverſus Hieronymum, manifeſte colligi ex ejus ſententia Paulum eſſe mentitum: hæc enim una fuit Auguſtini ratiocinatio: ſi Petrus non peccavit, ut dicis Hieronyme, profecto mentitus eſt Paulus; dicit enim illum peccaſſe: *Si hoc fecit Petrus quod facere debuit*, inquit Ep. 82. *mentitus eſt Paulus, quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem Evangelii. Quiſquis enim id facit, quod facere debet, recte utique facit, & ideo falſum de illo dicit qui dicit eum non recte feciſſe, quod eum novit facere debuiſſe*. Ubi certe Auguſtinus ait ſolummodo Hieronymum S. Paulo mendacium tribuiſſe ex conſequentia ducta ex ea opinione, qua docebat S. Petrum non peccaſſe.

Alterum vero & aperte ex eo colligitur quod Hieronymus mendacium officioſum ex quadam diſpenſatione licitum tunc fuiſſe Apoſtolis revera opinatus fuerit; unde non ita male ejus mentem aſſecutus eſt Auguſtinus, cum eum hoc nomine arguit, quod officioſo mendacio patrocinaretur.

Quod autem ait Clemens Alexandr. apud Euſeb. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 12. Cepham, huic reſtitit in faciem divus Paulus, unum fuiſſe e ſeptuaginta Diſcipulis, non autem Petrum Apoſtolorum Principem, merum eſt commentum; neque enim alium Cepham interpretati ſunt cæteri Patres, quem & aperte ibidem deſignaverat ipſe Paulus: verſu enim nono, ubi Cepham cum Jacobo & Joanne Apoſtolis accenſet, vocat eos columnas, *qui videbantur columnæ eſſe*. Quod profecto manifeſte indicat hunc Cepham eſſe unum ex Apoſtolis, adeoque S. Petrum Apoſtolorum Principem.

Quonam præciſe tempore ſaluti nociva fuerit Legalium obſervatio.

Nonnulli exiſtimarunt id referendum eſſe ad quadrageſimum circiter annum poſt Chriſti paſſionem, cum ſcilicet a Romanis ſubverſum fuit Jeroſolymitanum Templum, in quo non licebat Judæis offerre ſacrificia; certum eſt enim ſine ſacrificiis ſuis ſtare non poſſe quamlibet legem.

Conjiciunt alii non ita omnino finem feciſſe cæremonias legis Moſaicæ, ut eas obſervantis ſaluti nocivæ fuerint ante

ante tertium ſæculum, eo nempe quod S. Juſtinus Dialogo cum Tryphone non damnat eos qui legalia ſervabant, modo in eorum obſervantiam ex Gentibus converſos adducere non conarentur.

Alii denique fatentur ingenue id eſſe valde incertum, nec firma ulla ratione conſtare poſſe, quanquam, inquiunt, hoc certum ſit tunc temporis & dudum non licuiſſe ejuſmodi cæremonias aſſumere, aut illis uti quacunque ex cauſa.

Ego quidem exiſtimo id primis ſtatuendum eſſe in hac controverſia, eorum ſaluti nociva fuiſſe legalia, qui ea obſervabant poſtquam ſufficienter affulſerat lux Evangelii, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 103. art. 4. Sed cum omnibus & ſingulis ſimul & ſemel annuntiata non fuerit lex nova, ſed citius in quibuſdam locis, & in aliis tardius; inde manifeſte ſequitur, nec certo ſtatui poſſe quod præciſe anno hic & illic nociva fuerit legis Moſaicæ præceptorum & cæremoniarum obſervatio.

Atque legem antiquam ſui cultores peccati reos feciſſe facta ſufficienti Evangelii promulgatione, ex iis momentis conſtare debet, quæ ſuperius a nobis laudata ſunt, ut oſtenderemus hanc legem fuiſſe abrogatam, novum cultum fuiſſe inſtitutum, mutatum veterem. Quo pertinent tot inſignia Prophetarum oracula, quibus per Moſem & alios Prophetas promiſerat Deus legem veterem mutatum iri, venturum Salvatorem, novum fœdus reſciſſo priori ſtabiliendum; hæc enim & alia prope ſimilia ſignificabant non fore aliquando licitum utramque ſimul legem conjugere, quocirca id vitio vertebatur vel in primis Eccleſiæ temporibus & Cerinthianis, & Ebionitis, & Nazaræis, quod legem Moſaicam ſervari poſſe & debere acriter contendebant.

Objicies: Si lex vetus ſaluti Chriſtianorum nociva fuiſſet, ubicunque ſufficiens facta eſt Evangelii promulgatio nonnullas illius legis cæremonias nuſpiam renovaſſent Apoſtoli: ſed nonnullas veteris legis cæremonias inſigni decreto renovarunt Apoſtoli, etiam multo poſt Chriſti Domini mortem, quod quidem decretum religioſe per orbem univerſum & diutiſſime ſecuti ſunt Chriſtiani; extat celebre illud decretum, & legitur Act. cap. 15. his verbis: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, a quibus cuſtodientes vos bene agetis.*

Ab immolatis ſimulachrorum. Hoc eſt, ab Idolothytis, puta cibis qui immolati erant Idolis, quocirca contaminati cenſebantur & Idololatriæ participes, qui ejuſmodi cibos comedebant. Hic vero magis proprie intelliguntur Idolothyta quam ſacrificia, quæ abſque ulla dubitatione penitus abhorrebant a vera & Chriſtiana Religione.

Et ſanguine, quod accipi non debet tropologice pro homicidio, ut nonnulli interpretantur: Apoſtoli enim de iis præcipiunt quæ apud Gentiles nefaria non habebantur, ut homicidium, quod natura ipſa horret vehementer & ſatis prohibet, ſed pro eſu quocunque ſanguinis, ſive ſit contentus adhuc in animali, ſive extractus.

Et ſuffocato, ſive a ſtrangulatis, quorum non ante fuſus ſit ſanguis: quæ prohibenda duxerunt Apoſtoli, tum quia ejuſmodi cibos ſuperſtitioſe uſurpabant Gentiles; tum quia religioſe ab iis abſtinebant Judæi propter divinum præceptum.

Et fornicatione, ubi fornicatio prohibita eſt, quia Gentes putabant fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum; unde etiam frequentiſſima leguntur Pauli teſtimonia adverſus ſimplicem fornicationem, nimirum I. Cor. 6. ad Epheſ. cap. 5. Galat. cap. 5. Hebr. 13. I. ad Timoth. I. &c. Propter errorem Philo-

ſophorum Gentilium, qui eam putabant licitam eſſe, ut teſtatur S. Hieronymus in cap. 5. Epiſt. ad Epheſios.

Atque hoc Apoſtolicum decretum diutiſſime vim legis apud Chriſtianos obtinuiſſe in Eccleſia, aperte demonſtrant permulta Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonia.

S. Irenæus inter Gnoſticorum errores id annumerat lib. 1. cap. 1. *Idolothyta indifferenter manducant, nihil inquinari ab iis putantes, & in omnem diem feſtum Ethnicorum pro voluntate in honore eorum factum primi conveniunt*. Cap. 23. id crimini vertit Saturnino & aliis quibuſdam Hæreticis, quod Idolothytis ſine ulla trepidatione, ut ait, utebantur.

Tertullianus Apologetici cap. 9. ſic in Ethnicos inſurgit: *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in eſculentis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis & morticinis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum, botulos etiam cruore diſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porro quale eſt ut quos ſanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis?*

Origenes Homil. 16. in Num. *Cum tam validis præceptis*, inquit, *cibus ſanguinis interdicatur a Deo, ut etiam nos qui ex Gentibus vocati ſumus, neceſſario jubeatur abſtinere, ſicut iis quæ Idolis immolantur, ita & a ſanguine*.

S. Cyprianus lib. de lapſis acriter invehitur in aliquos qui guſtaverant ſimulachris immolata, ubi & profert divinæ animadverſionis exemplum, etiam in parvulam nondum rationis uſu præditam.

Conſtat hoc idem ex Minutio Felice in Octavio: *Nobis*, inquit, *homicidium nec videre fas, nec audire, tantumque ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum ſanguinem in cibum noverimus*.

Tum ex teſtimonio cujuſdam Biblia-dis Martyris, quæ apud Euſeb. lib. 5. Hiſt. cap. 1. ſic Ethnicos alloquitur: *Qui fieri poſſet*, inquit, *ut infantes comederent* Chriſtiani, *quibus ne ſanguinem quidem animantium deguſtare liceret?*

Ex Concilio Gangrenſi quod habitum cenſetur an. 324. can. 2. *Si quis*, inquit, *carnem edentem (præter ſanguinem & Idolis immolatum & ſuffocatum) cum Religione & fide condemnat, velut ſpem propter hujuſmodi perceptionem non habentem, anathema ſit*.

S. Auguſtinus idem docet in quibuſdam locis. Epiſt. 47. quæ eſt ad Publicolam, quæſtioni ſibi propoſitæ *de viatore Chriſtiano famis neceſſitate victo, ſi nihil uſpiam invenerit niſi cibum in Idolio poſitum;* ſic reſpondet: *Aut certum eſt*, inquit, *eſſe Idolothytum, aut certum eſt non eſſe, aut ignoratur. Si ergo certum eſt eſſe, melius Chriſtiana virtute reſpuitur. Si autem vel non eſſe ſcitur, vel ignoratur, ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo in uſum neceſſitatis aſſumitur*. Et lib. de bono conjugali cap. 16. *Satius eſt*, inquit, *mori fame quam Idolothytis veſci*.

Item S. Hieronymus Comment. in Matth. cap. 15. cum ſibi hunc locum objeciſſet, *Si quod intrat in os non coinquinat hominem, quare Idolothytis non veſcimur?* Sic reſpondet: *Sciendum quod ipſi quidem cibi & Dei creatura per ſe omnis munda ſit, ſed Idolorum ac Dæmonum invocatio ea faciat immunda*. Et clarius in Comment. in cap. 44. Ezechelis: *Omni generi electo*, inquit, *& Regali & Sacerdotali (quod proprie ad Chriſtianos refertur, qui uncti ſunt oleo ſpirituali) hæc præcepta conveniunt, ut morticinum non comedat, tam de avibus quam de pecoribus, cujus nequaquam ſanguis effuſus eſt, quod in Actibus Apoſtolorum de Jeruſalem Epiſtola*

mo-

monet, & captum a beſtia, quia & ipſum ſimiliter ſuffocatum eſt, & condemnat Sacerdotes qui in turdis, ficedulis, gliribus & cæteris hujuſmodi hæc aviditate gulæ non cuſtodiunt.

S. Leo Papa Epiſtola 129. cap. 5. graviori cenſura percellit eos, qui cibis immolatitiis erant polluti, *Sive hoc terror extorſerit, ſive fames ſuaſerit.*

His omnibus accedit eandem doctrinam in Galliis expreſſe definitam ſexto ſæculo, ut videre eſt in Can. 20. Concilii Aurelianenſis an. 533. ubi ſic habetur: *Catholici qui ad Idolorum cultum non cuſtodita ad integrum Baptiſmi gratia revertuntur, vel qui cibis Idolorum cultibus immolatis guſtu illicitæ præſumptionis utuntur, ab Eccleſiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi qui beſtiarum morſibus extincta, vel quolibet morbo aut caſu ſuffocata veſcuntur.*

Quod idem apud Germanos ſancitum fuit an. 868. in quodam Concil. Vormatienſi Can. 64. his verbis: *Animalia quæ a lupis ſeu a canibus lacerantur, non ſunt comedenda, nec cervus, nec capra, ſi mortui inveniantur . . . . . aves vero & alia animalia, ſi in retibus ſtrangulantur, non ſunt comedenda.*

Zacharias ſummus Pontifex rem prope ſimiliter ſcribit in Epiſt. 13. quæ eſt ad Bonifacium Moguntinum Archiepiſcopum: *Imprimis*, inquit, *de volatilibus, id eſt de graculis & corniculis, atque ciconiis quæ omnino cavendæ ſunt ab eſu Chriſtianorum, etiam & fibri, atque lepores, & equi ſylvatici multo amplius cavendi*. Quæ quidem manifeſte oſtendunt univerſam & conſtantem ſuper illa re Latinorum conſuetudinem.

Scilicet, hanc præfatam Apoſtolorum legem dudum renovaverat Leo Imperator in Novell. Conſtitut. 58. his verbis: *Simul olim legislatori Moyſi ſanguine non eſſe veſcendum præcepit Deus: ſimul ab iſtiuſmodi cibo abſtinere debere a præconibus gratiæ eſt conſtitutum. Et quanquam tum veteris tum novæ gratiæ tempore illa res vilis habita ſit ac nefaria, eo tamen contumaciæ, immo vecordiæ homines proceſſere, ut neutri legi aurem præſtent morigeram. At contra alii lucri, alii gulæ cauſa, ſumma cum impudentia mandatum contemnunt, in eſcamque qua veſci vetitum eſt ſanguinem convertunt. Perlatum eſt enim ad aures noſtras quod inteſtinis tanquam tunicis illum infartum, velut conſuetum aliquem cibum ventri præbeant. Quod tolerari non debere Imperatoria noſtra Majeſtas rata, neque tam impio ſoli gulæ inhiantium hominum invento, nunc præcepta divina, nunc Reipublicæ noſtræ honeſtatem dedecore affici ſuſtinens, jubet ne quis id ſcelus neque ad uſum ſuum, neque ut emptores deteſtando cibo contaminentur, ullo modo exercere audeat. At ſciat quicunque debinc divinum mandatum contemnere, ſanguinemque in cibum convertere, ſive vendat, ſive emat, deprehenſus fuerit, ſe bonorum publicationi ſubjiciendum, & ubi acerbum in modum flagris cæſus, ac cute tenus fœde detonſus erit, perpetuo patriæ auxilio mulctandum eſſe.*

Quapropter eandem conſuetudinem ſemper tenuerunt; atque etiamnum religioſe obſervant Græci, lege inſuper expreſſe lata tum in Concilio Gangrenſi, ut ſupra diximus, tum vero in Synodo Trullana ſub finem ſæculi ſeptimi Can. 69. *Divina nobis Scriptura mandavit*, inquiunt Patres, *a ſanguine ſuffocato, & fornicatione abſtinere. Eos ergo qui propter lautum & delicatum ventrem cujuſque animalis ſanguinem arte aliqua eſculentum condiunt ac inſtruunt, atque ita illo veſcuntur, convenienter punimus. Si quis ergo deinceps animalium ſanguinem quovis modo comedere aggrediatur, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſin autem Laicus, ſegregetur.*

Ergo lex vetus quoad nonnulla ſaltem præcepta, renovata fuit ab Apoſtolis hac lege ab ipſis lata, quæ mul-

tis

tis ſæculis obſervata fuit in Eccleſia, atque etiamnum vim obtinet apud Græcos, proindeque legalium obſervatio ſaluti Chriſtianorum noxia non fuit, ubicunque ſufficiens facta eſt Evangelii publicatio.

Nego maj. dico ex illo Apoſtolorum decreto, quo una aut altera Judæorum cæremonia videtur quaſi renovata, neutiquam colligi poſſe hanc eandem legem non fuiſſe abrogatam, & Chriſtianis omnino prohibitam. 1. Quia in illo celebri Apoſtolorum decreto, nec Circunciſio, nec alia Sacramenta & Sacrificia, in quibus potiſſimum poſita erat lex vetus, minime probantur; eorum obſervatio non injungitur, non continuatur, quin potius aperte abrogatur: *Viſum eſt nihil ultra imponere vobis quam hæc, &c.* Quibus verbis evacuatur Circunciſio, evacuantur omnia Sacrificia, totaque lex penitus ſubvertitur. 2. Quia ejuſmodi præcepta, quæ in præfato Apoſtolico decreto continentur, quibus videlicet abſtinentia ab Idolothytis, a ſanguine, ſuffocato, & fornicatione, ad ſummum ſpectari deberent ut pertinentia ad legem novam, nimirum ab Apoſtolis emiſſa, neque inde colligi debet renovatam fuiſſe legem veterem. 3. demum, quia lex illa abſtinentiæ ab Idolothytis &c. nonniſi ad tempus quoddam lata eſt ab Apoſtolis, ut Judæi qui ab ejuſmodi cibis abhorrebant, facilius cum Gentibus conciliarentur; quo pacto vitaretur omne ſcandalum, Judæis offenſioni non eſſent Gentiles, & ita utraque gens in unam ſocietatem coaleſceret fœdere indiſſociabili; unde uſu abolita fuit hæc lex abſtinentiæ, ceſſante Judæorum & Gentium diſſidio, cum utrique plane in unam Eccleſiam adunati ſunt.

Atque ex his ſolum vel ſimilibus cauſis, & nonniſi ad tempus hanc legem editam fuiſſe ab Apoſtolis, ex variis SS. Patrum teſtimoniis manifeſte colligitur; nonnulla tantum ex innumeris adducam, ne longius quam par eſt, producatur hæccе diſſertatio.

Origenes lib. 8. contra Celſum ſic habet: *Suffocata fuerunt ſanguine non expreſſo de mortuo; quem quia dæmonum eſſe cibum vigebat opinio inter Gentiles, ideo ut ex ejus nidore illi paſcantur, propterea inhibita ſunt, ne illorum nutrirentur cibo, neu nobiſcum iſtiuſmodi ſpiritus coalerentur, ſi ſuffocatis veſceremur.*

Omnium vero diſſertiſſime S. Auguſtinus lib. 32. contra Fauſt. cap. 13. *Si hoc tunc Apoſtoli*, inquit, *præceperunt ut ab animalium ſanguine abſtinerent Chriſtiani, ne præfocatis carnibus veſcerentur, elegiſſe mihi videntur pro tempore rem facilem & obſervantibus nequaquam oneroſam, in qua cum Iſraelitis etiam Gentes, propter angularem illum lapidem duos parietes in ſe condentem aliquid communiter obſervarent: ſimul & admonerentur in ipſa arca Noe, quando Deus hoc juſſit Eccleſiam Gentium fuiſſe præfiguratam, cujus facti Prophetia jam Gentibus ad fidem accedentibus incipiebat impleri. Tranſacto vero illo tempore quo illi duo parietes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen ſuis quibusdam proprietatibus diſtinctius eminebant. At ubi Eccleſia Gentium talis effecta eſt, ut in ea nullus Iſraelita carnalis appareat, quis hoc jam Chriſtianus obſervat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt, aut leporem non edat, ſi manu a cervice percuſſus nullo cruento vulnere occiſus eſt? Et qui forte pauci adhuc tangere iſta formidant, a cæteris irridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit illa ſententia veritatis*, (Non quod intrat in os veſtrum vos coinquinat, ſed quod exit.)

Aliam cauſam hujus præcepti de ſuffocato & ſanguine quod ab Apoſtolis latum eſt, & ab Epiſcopis identidem renovatum, aſſignat S. Cyrillus Jeroſolymitanus in 4. Catecheſi his verbis: *Scripſerunt Apoſtoli & Presbyteri ad omnes*

mnes Gentes Catholicam Epiſtolam, præcipientes abſtinere ab Idolothytis, tum vero a ſanguine & ſuffocato & fornicatione. Multi enim feri homines & more canum viventes ſanguinem quidem ſæviſſimarum belluarum in modum lambebant; ſuffocata vero crudeliter vorabant.

Quibus adde hanc legem Apoſtolorum, ac præſertim quatenus eſt de abſtinentia a cibis immolatis, apud Chriſtianos diu non viguiſſe niſi propter ſcandali periculum; ne ſcilicet ſi ejuſmodi cibos manducaſſent, falſorum Numinum quibus conſecrati erant, cultores haberentur; quo pacto ſecum conciliatur Auguſtinus, qui loco mox citato nihil eſſe immundum probat ex iſto Scripturæ teſtimonio: *Non quod intrat in os coinquinat hominem*, qui tamen dixerat lib. de bono conjugali cap. 16. *Satius eſt mori fame quam Idolothytis veſci*. Si nempe id fieret cum aliquo ſcandalo, ut ipſe declarat lib. 32. contra Fauſtum cap. 15. ubi examinans cur *non expediat Chriſtianis immolatitio veſci*, hanc rationem adducit, *ne dæmonibus communicaſſe videantur*. In quem plane ſenſum intelligi debent quæ ſuperius objiciuntur teſtimonia SS. Cypriani, Hieronymi & Leonis Papæ.

Denique & ingenue fatendum eſt ejusmodi diſciplinam vi hujus decreti Apoſtolici introductam, diutiſſime in nonnullis retentam Eccleſiis, non quod eam putarent abſolute neceſſariam, ſiquidem non improbant œconomiam aliarum quæ ab illo inſtituto receſſerant; ſed ut vel ſuam erga Apoſtolos reverentiam ſignificarent, vel ſingularis temperantiæ ſpecimen exhiberent; id colligitur ex Humberto Cardinali, qui in quodam Dialogo qui habetur tom. 4. Bibl. Patrum, ſic reſpondet ad objectiones Græcorum, qui ex hac decreti Apoſtolici reſciſſione inferebant Latinos in ipſas Apoſtolicas ſanctiones ſibi poteſtatem arrogare: *Nos ergo*, inquit, *quamvis a Domino & ab Apoſtolis licentiam habeamus manducare omnia, quæ nec noſtræ, nec fraternæ ſaluti officiunt; conſuetudine tamen Provinciarum & præceptis majorum noſtrorum hactenus detenti devitamus comedere nulla, non quia mala, aut immunda ſunt, ſed quia aut nobis aliquo modo non expediunt, aut longo uſu in naturam jam verſo horrent.*

De Lege nova.

De Lege nova quæ aliis nominibus dicitur lex gratiæ, lex fidei, lex amoris, lex Evangelica, Teſtamentum novum, fuſe diſſerit S. Thomas 1. 2. p. 106. quapropter quæſtiones, quas ſibi ſuper illo negotio, proponit, operoſius expendere neceſſarium non duxi; unum duntaxat aut alterum verbum de ſingulis ſigillatim dicemus.

Ac primo legem Evangelicam in ſe ipſa conſiderat S. Doctor, & de ea quatuor inſtituit quæſtiones totidem articulis.

Articulo primo quærit utrum lex nova ſit lex ſcripta.

Reſpondet legem novam principaliter ſcriptam eſſe in cordibus fidelium; ſecundario autem ſcriptam extrinſecus. Primum oſtendit, quia nimirum id quod eſt potiſſimum in lege novi Teſtamenti, & in quo tota virtus ejus conſiſtit, eſt gratia Spiritus ſancti, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 8. cap. *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati*. Alterum vero ſic explicat divus Thomas in corpore articuli: *Habet tamen lex nova quædam ſic diſpoſitiva ad gratiam Spiritus ſancti & ad uſum hujus gratiæ pertinentia, quæ ſunt quaſi ſecundaria in lege nova, de quibus oportuit inſtrui fides Chriſti & verbis & ſcriptis, tam circa credenda, quam circa agenda*, nimirum quæcumque leges a Chriſto præſcriptæ ſunt hominibus.

Articulo 2. quærit utrum lex nova juſtificet. Re-

Reſpondet Legem Evangelicam, cum ſit ipſa Spiritus ſancti gratia, hominem juſtificare; licet ea quæ ſcriptis traduntur, nimirum præcepta, ipſum hominem juſtificare non poſſint. Primum aperte conſtat, ut oſtendimus in Tractatu noſtro de Gratia Dei & Juſtificatione: alterum autem ex eo manifeſte evincitur quod dicit Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 3. *Littera occidit, Spiritus autem vivificat*. Per litteram enim intelligitur quælibet Scriptura Dei extra homines exiſtens, quæ quidem, ut paſſim exponit S. Auguſtinus lib. de Spir. & litt. occideret, niſi adeſſet interius gratia fidei ſanans.

Articulo 3. inquit S. Thomas, utrum lex nova debuerit dari a principio mundi.

Reſpondet triplici ex cauſa legem novam dari non debuiſſe a principio mundi. *Prima eſt quia lex nova*, inquit, *principaliter eſt gratia Spiritus ſancti, quæ abundanter dari non debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur conſummata redemptione per Chriſtum*. Secundam rationem repetit ex ipſius legis novæ perfectione; non enim aliquid ad perfectum adducitur ſtatim a principio. Tertiam demum ſumit ex eo quod putat oportuiſſe primum, ut homo ſibi relinqueretur per aliquod tempus, & gratia ſe indigere agnoſceret.

Articulo 4. utrum lex nova duratura ſit usque ad finem mundi.

Reſpondet affirmative; ſiquidem idcirco ſolum concipi poſſet legem novam aliquando mutatum iri, quia huic altera ſuccedet longe perfectior: atqui legi Evangelicæ non ſuccedet altera perfectior; quia tanto eſt unumquodque perfectius, quanto eſt ultimo fini propinquius: ſed nihil poteſt eſſe propinquius fini ultimo, quam lex nova: ſiquidem per ſe & immediate, hoc eſt, per ſua præcepta & per gratiam Chriſti ducit homines ad ultimum finem; igitur lex nova duratura eſt usque ad finem mundi.

Quæſtione 107. agit S. Thomas de lege nova collata cum veteri, & quatuor ſimiliter inſtituit articulos.

In primo quærit utrum lex nova ſit alia a veteri.

Reſpondet legem novam ſpectari poſſe dupliciter, nimirum quoad finem & quoad modum quo ducit ad finem. 1. Si lex nova ſpectetur quoad finem, profecto non differt a veteri; ſiquidem utriusque legis unus idemque eſt finis; ad eundem finem, nempe ut homines Deo ſubdantur, utraque tendit; unde ait Apoſtolus Rom. 3. *Unus Deus eſt qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*. 2. Si lex nova ſpectetur quoad modum, quo ducit ad finem ultimum, alia eſt a lege veteri; alia enim fuerunt præcepta veteris legis, alia ſunt novæ: fuit illa lex infirmorum, lex figurarum & timoris; iſta vero lex perfectionis, veritatis & charitatis: illa homines veluti per umbras & figuras diſponebat, erat enim, ut docet Apoſtolus ad Galatas 3. capite, veluti *Pedagogus*; hæc vero ſalutem noſtram & Chriſtum ipſum ſalutis auctorem per Prophetas & umbras præfiguratum exhibet.

In ſecundo articulo inquirit, utrum lex nova veterem impleat.

Reſpondet affirmative: 1. Quia lex nova ſupplet id quod veteri legi deerat, puta hominem juſtificat, quod lex vetus efficere non poterat; quemadmodum dicit Apoſtolus ad Rom. cap. 8. his verbis: *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis*. 2. Quia lex nova exhibet præſens, quod vetus figurabat; unde illa dicitur lex veritatis, hæc vero dicitur umbra futurorum.

In tertio articulo quærit ſanctus Doctor, utrum lex nova in lege veteri contineatur.

Reſpondet legem novam in veteri contentam fuiſſe ſaltem implicite, quatenus omnia novæ legis præcepta ſub aliqua veteris figura latebant; quemadmodum in ſpica continetur frumentum, arbor in ſemine.

In quarto quærit, an lex nova ſit veteri gravior.

Reſpondet legem veterem nova graviorem fuiſſe præceptorùm multitudine; at vero contra novam veteri fuiſſe graviorem quoad exercitium interiorum actuum virtutis. Primum quidem oſtendit ex eo quod veriſſimum eſt legem veterem plura longe numero impoſuiſſe præcepta, quibus ad opera externa obligabantur Judæi, qualia præſertim fuerunt præcepta cæremonialia numero pene infinita. Alterum vero ex eo colligit, quod *in nova lege*, inquit, *prohibentur interiores motus animi, qui expreſſe in veteri lege non prohibebantur in omnibus, etſi in aliquibus prohiberentur, in quibus tamen prohibendis pœna non apponebatur*. Quanquam ſimpliciter dici debeat legem novam veteri leviorem eſſe, juxta illud Matth. 11. cap. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*.

Quæſtione demum 107. de his tractat quæ continentur in lege nova, idque pariter in quatuor diſtinctis articulis.

In primo quærit, utrum lex nova aliquot exteriores actus debeat præcipere vel prohibere.

Reſpondet decuiſſe in lege nova exteriores actus Sacramentales inſtitui ad gratiæ ſuſceptionem, tum exteriores actus virtutum præcipi & vitiorum prohiberi, ut gratia juſtificati, Chriſto interius in nobis operanti cooperemur ad promerendam vitam æternam. Scilicet ad id primum in lege nova homo tendere debet, ut gratiam Spiritus ſancti, quæ manifeſtatur in fide per dilectionem operante, conſequatur; qua ex cauſa decuit ut quidam externi actus præciperentur, qui nimirum non parum conferunt ad gratiam ſuſcipiendam: alii vero actus prohiberentur, qui ejuſdem gratiæ ſuſceptioni impedimento ſunt.

In ſecundo quærit, utrùm lex nova ſufficienter exteriores actus ordinaverit.

Reſpondet legem novam exteriores actus Sacramentales & Morales, qui de ſe ad rationem virtutis pertinent, præcipiendo vel prohibendo ſufficienter determinaſſe; ita ut tamen cæterorum actum exteriorum quoſdam ſingulorum hominum, quoſdam Eccleſiæ Præſulum reliquerit arbitrio. Scilicet cum Chriſtus inſtituit Sacramenta per quæ gratiam conſequimur, & præcepta moralia Decalogi renovavit, eatenus lex nova dicitur actus exteriores qui de ſe ad rationem virtutis pertinent, determinaſſe; cum autem dicit S. Thomas cæterorum actuum inſtitutionem hominum arbitrio relictam, id intelligit de præceptis cæremonialibus & judicialibus, quorum determinatio poſita eſt in hominum poteſtate & arbitrio.

Quærit art. 3. utrum lex nova hominem circa interiores actus ſufficienter ordinaverit.

Reſpondet affirmative, idque ex eo maxime probat quod teſte S. Auguſtino, vel unicus ſermo quem Dominus in monte propoſuit, totam Chriſtianæ vitæ informationem continet, & interiores hominis motus perfecte ordinat, tum in ordine ad Deum, tum in ordine ad proximum, tum denique in ordine ad ſe ipſum.

Quarto demum articulo quærit S. Thomas, utrum convenienter in lege nova conſilia quædam determinata ſint propoſita.

Reſpondet affirmative, quia nempe lex nova lex libertatis eſt; unde in ea præceptis addi debuerunt conſilia, non autem in veteri lege quæ fuit lex ſervitutis. Conſilia porro oportet eſſe de

iis

iis per quæ melius & expeditius poteſt homo conſequi vitam æternam; ut ſi divitiæ abdicentur per paupertatem, deliciæ carnis per caſtitatem, ſuperbia per obedientiæ ſervitutem; in iis quippe tribus fundatur omnis Religio quæ ſtatum perfectionis profitetur, inquit ibidem S. Doctor.

De Lege humana.

LEx humana, ut jam diximus, eſt ea quæ ab hominibus auctoritatem habentibus præſcribitur; ea duplex eſt, Eccleſiaſtica quæ a Paſtoribus Eccleſiæ: Civilis quæ a Principibus ſancitur. Priuſquam autem de hac utraque legis humanæ ſpecie dicamus, nonnullas inſtituemus quæſtiones, quæ ad legem humanam in genere ſpectatam attinent. Ac 1. inquiremus, an ſit in hominibus poteſtas condendi leges, quæ ſcilicet conſcientiam obliget. 2. Utrum id ſimiliter dici poſſit de lege pœnali. 3. Utrum leges obligent cum periculo vitæ ad ſui obſervationem. 4. Utrum juſti etiam & perfecti ſubjiciantur legi. 5. denique, an & quomodo leges humanæ mutari poſſint.

An ſit in hominibus poteſtas condendi Leges quæ obligent in conſcientia.

INter eos qui poteſtatem condendi leges hominibus abjudicarunt, illos merito recenſere poſſumus Hæreticos, qui poſtremis Eccleſiæ temporibus ex veſana quadam & maligna de Epiſcopis & Paſtoribus maledicendi prurigine, ita in ipſam Pontificiam & Eccleſiaſticam auctoritatem inſurrexerunt, ut aperte negarent ullam eſſe in Eccleſia poteſtatem condendi leges, rati poſſe tantum legitimos Paſtores aliquem ordinem externum conſtituere, qui conſcientiam obliget ratione ſcandali. Hoc ipſum docuerunt Waldenſes teſte Anton. p.4. Theol. tit.11. c. 7. Joannes Wiclefus, ut aperte colligitur ex Conc. Conſtantienſi ſeſſ. 8. item Joannes Hus, ut conſtat in articulo 15. illius errorum in eodem Conc. Conſtant. ſeſſ. ultima: Tum Lutherus in lib. de captivitate Babylonica cap. de Bapt. Philippus Melanchton in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ art. 28. & Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 10. & ſequentibus. Quin & Lutherus aliique poſtea nonnulli eandem poteſtatem quibuslibet Principibus ſecularibus ſuſtulerunt.

Scilicet fatentur poſſe homines in dignitate conſtitutos, ita præſcribere ſubditis quæ ſunt legis divinæ, ſive quoad doctrinam, ſive quoad mores, ut ipſis neceſſario ſit obtemperandum, ad idque ſubditi cogi poſſint metu pœnæ; unde & ſuas habent excommunicationes. Item concedunt ab Eccleſiæ Miniſtris nonnulla ſtatui poſſe circa cultum & cæremonias, quæ propter rectum ordinem ſervari debeant; ſed negant in hominibus poteſtatem eſſe condendi leges in materia alioqui non præſcripta per legem divinam: quæ tamen leges obligent in conſcientia & ſub pœna peccati. Atque hic præciſe ſtatus eſt propoſitæ quæſtionis, ut diligentiſſime eſt obſervandum, quem ſane plerique e noſtris Theologis minus bene attigerunt; contenti ſi hoc in negotio velut perfunctorie oſtenderint, ineſſe hominibus poteſtatem condendi leges, quæcunque tandem ſint, quod non inficiantur Hæretici.

Atque ut res melius pateſiat, indeque ſtatus quæſtionis clarius innoteſcat omnibus, referam ipſiſſima Calvini verba, quo nullus ex citatis hæreticis in Eccleſiaſticas leges ſcripſit intemperantius; ſic vero ſtatum quæſtionis proponit lib. 4. Inſtitut. cap. 10. num. 1. *Hæc poteſtas tractanda nunc eſt, an Eccleſiæ liceat conſcientias obſtringere ſuis legibus, in qua diſputatione non attingitur ordo politicus, ſed tantum hoc agitur ut rite colatur Deus ſecundum præſcriptam a ſe regulam, & ſpiritualis libertas quæ Deum reſpicit, ſalva nobis maneat. Uſus obti-*

nuit

nuit ut traditiones humanæ vocentur, quæcunque de cultu Dei præter ejus verbum profecta ſunt ab hominibus edicta. Contra has nobis eſt certamen, non contra ſanctas & utiles Eccleſiæ conſtitutiones, quæ vel ad diſciplinam, vel honeſtatem, vel pacem conſervandam faciunt. Num. 2. *Hujus generis ergo conſtitutiones hic impugnare animus eſt, quæ in hoc feruntur, ut animas intus coram Deo ligent, & Religionem injiciant ac ſi de rebus ad ſalutem neceſſariis præciperent.* & num. 30. *Sed quia hic periculum eſt*, inquit, *ut ab una parte Pſeudo-epiſcopi prætextum inde captent ad impias ſuas & tyrannicas leges excuſandas, ab altera ſint quidam nimis meticuloſi, qui ſuperioribus malis admoniti, nullum quemlibet ſanctis legibus locum relinquant, hic teſtari operæ pretium eſt, eas demum humanas conſtitutiones me probare, quæ & Dei auctoritate fundatæ & ex Scriptura deſumptæ, adeoque prorſus divinæ ſint: exemplum ſit in geniculatione quæ fit, dum ſolemnes habentur precationes. Quæritur ſitne humana traditio quam repugnare vel negligere cuivis liceat. Dico ſic eſſe humanam, ut ſimul ſit divina: Dei eſt quatenus pars eſt decoris illius, cujus cura & obſervatio nobis per Apoſtolum commendatur: hominum autem, quatenus ſpecialiter deſignat quod in genere fuerat judicatum magis quam expoſitum.* Quid porro de Gerſonii hac in re & quorumdam aliorum Catholicorum opinione ſentiendum ſit, in fine diſputationis aperiemus.

Conclusio.

Eſt in hominibus æqua & legitima poteſtas condendi leges, ſeu civiles ſeu Eccleſiaſticas, quæ obligent in conſcientia.

Probatur 1. ex Scripturis ſacris; & quidem primum de poteſtate Eccleſiaſtica. Matth. 16. cap. ampliſſimam divo Petro adeoque ejus ſucceſſoribus poteſtatem tradit Chriſtus his verbis: *Et tibi dabo claves regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Ex quibus non modo colligitur poteſtas remittendi peccata, ſed & puniendi, ligando nempe per leges Pœnitentiæ, quam poteſtatem traditam fuiſſe Eccleſiæ Paſtoribus abunde patefecit perpetua Eccleſiæ praxis; qua quidem edocti ſumus innumeras leges totidem canonibus in adminiſtratione Pœnitentiæ conditas, quarum infractio cenſebatur veram peccati rationem habere.

Atque hæc judiciaria poteſtas Apoſtolis & conſequenter Epiſcopis a Chriſto tradita clarius legitur c. 18. his verbis: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus, Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo.* Quæ verba manifeſte indicant poteſtatem puniendi, excommunicandi, pœnas infligendi; unde Apoſtolus 1. ad Timoth. 5. id genus auctoritatis judiciariæ commemorat. *Adverſus Presbyterum*, inquit, *accuſationem noli recipere niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Ubi docet aperte Epiſcopos eſſe judices, & conſequenter legum condendarum poteſtatem habere.

Quapropter Act. 15. in Concilio Jeroſolymitano pronuntiare non dubitarunt Apoſtoli. *Viſum Spiritui ſancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine & ſuffocato, & fornicatione, a quibus cuſtodientes vos bene agetis.* Ubi certe non agitur de qualicunque conſtitutione, cui liberum ſit obtemperare & obliget tantum ratione ſcandali; ſed de vera lege quæ ſaltem ad aliquod tempus obſtringat. 1. Quia ejuſmodi lex dicitur onus, *nihil oneris*. 2. Quia quæ ſtatuuntur,

untur, dicuntur neceſſaria, *quam hæc neceſſaria*. 3. Id aperte declarant hæc Apoſtolorum verba, *Nihil ultra imponere vobis*, & alia quæ ſub finem capitis leguntur, ubi de Paulo: *Perambulabit autem Syriam & Ciliciam confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum*. Quonam vero pacto decretum hoc Apoſtolicum in Eccleſiis vim legis obtinuerit, ſatis, ut puto, a nobis ſuperius expoſitum eſt.

Hinc & nomen præcepti, quod nimirum ab Apoſtolis datum fuerit, paſſim occurrit in Scripturis. 1. ad Corinth. *Laudo vos*, inquit Paulus, *quod præcepta mea tenetis*. Et 1. ad Theſſal. cap. 4. *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum*. Ubi & videre eſt hanc poteſtatem imponendi præcepta eſſe a Deo, *Per Dominum Jeſum*; unde paulo poſt ait ibidem, *Itaque qui hæc ſpernit non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſanctum in nobis*.

Secundo idem aperte legitur in iiſdem Scripturis de poteſtate ſeculari, hanc datam Principibus docet Chriſtus Lucæ 20. cap. *Reddite*, inquit, *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*. Et S. Paulus ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt; itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt ... ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus tributa; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*. Quæ quoniam expreſſiſſima ſunt, nulla plane indigent explicatione; ibi enim & poteſtas ferendi leges aſcribitur Principibus, & obediendi neceſſitas imponitur ſubditis, *Non tantum propter iram, ſed propter conſcientiam*.

Eandem doctrinam tradit S. Petrus 1. Epiſt. cap. 2. his verbis: *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam maleficiorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei, ut bene facientes obtumeſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem. Sed ſicut ſervi Dei, omnes honorate. Fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorificate. Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis*. Hoc idem ſtatuerat Deus in veteri Teſtamento 1. Reg. cap. 8. ſic alloquitur Samuelem, *Non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*. Et Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*.

Probatur 2. SS. Patribus & conſtanti totius Eccleſiæ doctrina, tum quoad ſpectat leges Eccleſiaſticas, tum quoad poteſtatem in Principibus ferendi leges civiles.

Ac primo univerſam Eccleſiam ſemper & in quavis ætate hanc in Paſtoribus agnoviſſe poteſtatem condendi leges quibus obedire tenerentur Chriſtiani, vel ex eo maxime liquet, quod omnia fere Concilia ab ipſis Apoſtolorum temporibus aliquos Canones tulerunt, ut fideles ad aliqua obſervanda obligarent: ſeu enim ejuſmodi canones in aliquo Concilio generali conderentur & ad univerſam dirigerentur Eccleſiam; ſeu in aliquo Concilio nationali tantum, aut provinciali editi, nonniſi aliquod regnum vel provinciam ſpectarent; certum eſt tamen eos habuiſſe vim legis proprie dictæ, ſiquidem ſatis eſt ad legem, ſi feratur communitati perfectæ, qualis eſt vel una civitas.

Hic vero infinitum eſſe me oporteat, ſi vel compendio referam omnia Patrum teſtimonia, qui pro reverentia his canonibus

nibus neceſſario debitâ ſcripſerunt; ſic, v. g. legitimam eſſe legem Eccleſiaſticam quæ jejunium Quadrageſimæ præſcribit, diſerte ſcribunt S. Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam de erroribus Montani; S. Ambroſ. Sermone 25. S. Auguſtinus Serm. 62. de tempore; S. Chryſoſtom. Hom. 3. in Geneſim ad populum Antioch. S. Baſil. Orat. 2. de jejunio; S. Epiphan. Hæreſi 75. adverſus Aerium; S. Leo Serm. 2. de jejunio.

Unus inter alios audiatur Cyprianus cum loquitur de Eccleſiaſtica poteſtate, & de iis qui Eccleſiæ legibus non obtemperant, Epiſt. 55. quæ eſt ad Cornelium: *Legi litteras tuas, Frater chariſſime, quas per Saturum Fratrem noſtrum Acolytum miſiſti, & dilectionis fraternæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ & Sacerdotalis cenſuræ ſatis plenas, quibus ſignificaſti feliciſſimum hoſtem Chriſti non novum, ſed jam pridem ob crimina ſua plurima & graviſſima abſtentum, & non tantum mea, ſed plurimorum Coepiſcoporum ſententia condemnatum, rejectum a te illic eſſe, &c.* Et circa medium ait inde obortas Hæreſes, quod Sacerdotibus Eccleſiæ non obtemperatur: *Neque enim*, inquit, *aliunde Hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur; cui ſi ſecundum magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſum Sacerdotum collegium quidquam moveret; nemo poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, judicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret.*

Uti nec ſimiliter, quoniam res nemini obſcura eſſe poteſt, congeram hoc loco omnia Patrum teſtimonia, qui quidem unanimi conſenſu docent Principibus vel etiam Ethnicis & Hæreticis debitam eſſe obedientiam; hæc indicare ſatis ſit: nimirum conſuli poſſunt verba S. Polycarpi apud Euſeb. lib. 5. Hiſtor. cap. 15. S. Juſtinus Apolog. ad Antoninum; Athenagoras in Apolog. ad Imperatorem Marcum Aurelium Antoninum; Theophilus Antioch. lib. 1. ad Autolicum; S. Irenæus lib. 5. c. 24. Tertull. Apologetici cap. 30. S. Clemens Alexand. lib. 7. Strom. Origenes lib. 2. & 4. contra Celſum, S. Dionyſius Alex. apud Euſeb. lib. 4. cap. 10. S. Athanaſ. Apolog. ad Conſtant. Optatus Milev. lib. 3. S. Chryſoſtomus Homil. 23. in cap. 13. Epiſt. ad Rom. S. Auguſtinus lib. 4. de Civit. Dei cap. 33. S. Bernardus lib. 3. de Conſider. cap. 4. & alii paſſim.

Denique & ad id demonſtrandum aperte favet ipſa ratio: ſcilicet ineſt hominibus poteſtas condendi leges quæ obligent in conſcientia, ſi lege humana tam civili quam Eccleſiaſtica multa ſemper fuerunt demandata & quidem juſte & legitime, quæ quidem antea nec lege naturali, nec lege divina ulla præſcripta fuerant, in hoc enim, ut ſupra monuimus, tota verſatur hæc quæſtio: atqui extant ejuſcemodi conſtitutiones quibus ea præſcribuntur, quæ nec dictat ratio naturalis, nec ulla lege divina ſancita prius fuerant, quale nimirum eſt jejunium Quadrageſimæ; quod neque ex naturali lege deduci poteſt, nec a Chriſto unquam præſcriptum fuit; qualis & confeſſio auricularis, prout annua, quæ ſimiliter, nec jure naturali, nec lege divina præcepta eſt; igitur ineſt hominibus poteſtas condendi leges, quæ obligent in conſcientia.

Atque has & alias ſimiles Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quæ dudum in Eccleſia vim legis obtinuerunt, tum vero omnium & ſingulorum Chriſtianorum conſcientias ligant, legitime ab Eccleſiæ Paſtoribus fuiſſe editas, in univerſum oſtenditur adverſus Hæreticos (neque enim de illis ſigillatim plenius tractare præſentis eſt inſtituti) ex iis omnibus Scripturæ teſtimoniis, quæ

legi-

legitimis Eccleſiæ Paſtoribus præcipiendi, ordinandi, judicandi, & ſolvendi poteſtatem ubique tradunt, & ex aliis inſuper quæ fidelibus Chriſtianis obedientiam, & ſubjectionem injungunt; fruſtra enim Eccleſiæ Paſtores toti Eccleſiæ gubernandæ a Chriſto Domino præfecti ſunt; fruſtra dicuntur Paſtores, Præpoſiti, Superintendentes, Rectores, Principes, niſi leges ſtatuere poſſint; quemadmodum fruſtra Reges eligerentur a populis, niſi auctoritatem haberent legum condendarum pro ſuo nutu & arbitrio (intellige quæ cum æquitate non pugnent); poſtulat enim ratio naturalis, ut ſuperior alicujus Reipublicæ ſubditis ſuis præcipere poſſit in iis quæ ſunt licita & honeſta: adeoque ut illis ſubditi obtemperent.

Sileo quæ ad legum humanarum utilitatem plura & luculentiſſima commemorare poſſem; certum eſt enim nullam plane hominum ſocietatem ſine legum adminiculo conſtare poſſe; quibus nempe aliqua prohibeantur, alia vero præcipiantur, ut lex ipſa naturalis, uti & divina melius obſervetur; ea enim eſt rerum humanarum conditio & fragilitas, ut coram oculis præſentem Dei legem ſemper non habeant homines; ita ut ſi in arbitrium cujuslibet relinqueretur hujuſce legis obſervatio, propiori oblivione deleretur; quia ex cauſa, v. g. ne omnis in Deum cultus, vel ipſa Dei cognitio in ſingulorum hominum animis obliteraretur, neceſſe fuit ut Eccleſiæ Paſtores pro ſuo munere ſtatuerent certis diebus orationi eſſe vacandum; quotannis ſaltem una vice ad ſacram Menſam accedendum; per aliquod tempus, puta per Quadrageſimam, jejunandum; & alia id genus, quæ non ſine magna Reipublicæ Chriſtianæ utilitate fidelibus impoſita ſunt.

Objicies: Hæc ſemper fuit inconcuſſa Dei voluntas, verbo divino nihil quicquam eſſe addendum, ſufficere mandata Dei, nec alia hominibus injungi debere, ut aperte ſignificatur in utroque Teſtamento. Deuteron. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque minuetis ex eo; cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Et cap. 12. *Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Prov. 30. *Omnis Sermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe, ne addas quidquam verbis illius & arguaris, inveniariſque mendax.* Matthæi ultimo ſic alloquitur Apoſtolos Chriſtus: *Euntes docete Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti; docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis.* Unde ſequitur non alia mandata præter divina baptizatis eſſe proponenda: proindeque haud ineſſe hominibus poteſtatem condendi leges, quæ animas coram Deo intus ligent.

Reſpondeo, nec vel leviter innui his Scripturæ ſacræ teſtimoniis legum condendarum auctoritatem datam non fuiſſe hominbus. Quod enim vetatur in antiquo Teſtamento, ne quid addatur ad Dei verbum, nequaquam ſignificat novum aliquod præceptum ſuper leges a Deo latas ad meliorem populi gubernationem imponi non poſſe; & debere idcirco exulare omnes Traditiones, Canones Conciliorum, Sanctiones Pontificum, uti vult Calvinus.

1. Quia hæc ſolum dicta ſunt pro Judæis qui cum legem haberent innumeris prope cæremoniis & præceptis oneratam, novis fortaſſe legibus & præceptis non indigebant; cum contra aliter ſe res habeat in lege Chriſti Domini, qui, quoniam pauciora præſcripſit mandata, curæ Paſtorum reliquit, ut alia deinceps pro bono communi ſtatuere poſſent. Unde ex illo Moſis teſtimonio nihil colligi poſſet adverſus Chriſtianorum conſtitutiones.

2. Secum pugnaret Moſes, ſi in ſenſum Calvini acciperentur ejus verba: jubet enim cap. 17. ſub pœna mortis, ut obtemperetur Sacerdotibus verſ. 9.

Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore ; quæreſque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem . Et facies quodcunque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus , & docuerint te juxta legem ejus . Quæ verba non debent ſolum intelligi , quaſi hac conditione acquieſcendum ſit Sacerdotum judicio, ſi videlicet litigantibus judicatum videatur juxta legem Dei, propter iſthæc verba, *& docuerint te juxta legem ejus*. Fruſtra enim a Deo conſtituerentur ejuſmodi Judices , quia ſemper exciperet pars damnata non judicaſſe Sacerdotes juxta Dei legem : unde abſolute ſumi debet illa poteſtas, quaſi ſubditi judicio Sacerdotis abſolute debeant obtemperare ; intellige tamen niſi manifeſte proculcata videatur divina lex .

Quamobrem hæc verba , *Non addetis ad verbum* , *&c.* in hunc tantummodum ſenſum intelligi debent , quod legi & præceptis divinis nihil plane detrahatur , *Neque minuetis ex eo ;* quaſi dicat , volo ut lex iſta integre ſervetur , ita ut nihil ex ea addendo vel minuendo vitietur , aut mutiletur ; & ait cap. 5. *Cuſtodite & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis , non declinabitis neque ad dexteram , neque ad ſiniſtram .* Quemadmodum etiam S. Paulus ad Galat. 1. cap. iis anathema pronuntiat , qui aliud evangelizant præter id quod ipſe evangelizavit , *præter* , id eſt *contra ;* in eos etenim ſcribit qui Chriſtianiſmo addere volebant Judaiſmum . Vel *non addetis ad verbum* , quod tanquam meum , a me dictum , a me præceptum dicatis ; nulli enim homini licet proprios ſermones velut Dei verbum venditare . Neque in alium plane ſenſum exponi debet teſtimonium ex Proverbiis depromptum , ut per ſe patet .

Quod autem ad Matthæi locum attinet , id unum ibi Apoſtolis injungit Chriſtus , his nempe verbis ; *Docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis* , poſt fidem & baptiſmum alia etiam præcepta ſervanda eſſe ; ita ut fides & baptiſmus ad æternam ſalutem conſequendam minime ſufficiant ; nec vel unico verbo inſinuat cujusvis alterius præcepti imponendi poteſtatem , non ineſſe Paſtoribus Eccleſiæ.

Objicies alia Scripturæ loca , in quibus conqueritur Deus , quod populus humanis conſtitutionibus & doctrinis ſubſerviat , Iſaiæ 29. *Appropinquat populus iſte , ore ſuo & labiis ſuis glorificat me : cor autem ejus longe eſt a me , & timuerunt me mandato hominum & doctrinis* . Quæ verba uſurpavit Chriſtus Matthæi 15. *Populus hic labiis me honorat , cor autem eorum longe eſt a me . Sine cauſa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum* .

Reſpondeo , his in locis mandata hominum nihil aliud eſſe quam falſa hominum præcepta legi divinæ contraria , in quibus ſummam Religionis ſuæ conſtituebant Judæi , cætera hypocritæ , uti ex utroque teſtimonio conſtat ; ait enim Iſaias , *Cor autem ejus longe eſt a me ;* & Chriſtus Dominus , *Cor autem eorum longe eſt a me* , quia nempe falſam doctrinam contra Domini præcepta introducebant , *coluerunt me* , non juxta id quod a me præceptum eſt , ſed juxta hominum & Scribarum ſuorum traditiones partim futiles , partim perverſas & meæ legi contrarias , ut vulgo docent Interpretes .

Objicit Calvinus alia loca , in quibus Deus paſſim dicitur unus & ſolus legislator . Iſaiæ 33. *Dominus enim judex noſter , & Dominus Legifer noſter , Dominus rex noſter ipſe ſalvabit nos* . Jacobi cap. 4. *Unus eſt enim legislator , & judex qui poteſt perdere & liberare* . Unde ſequitur non alium eſſe legislatorem præter Deum ; proindeque haud ineſſe hominibus legum condendarum auctoritatem .

Reſpondeo , nec plus virium habere

duo

duo hæc Scripturæ teſtimonia. In priori enim Deum dicit Iſaias legiferum, quia Judæorum legem condiderat, *Dominus legifer noſter;* ſed neutiquam innuit Deum eſſe ſolum legislatorem; adeoque nullas ab hominibus inſtitui poſſe leges. In poſteriori vero loquitur Jacobus de primario legislatore, qui nempe ſolus ſuprema auctoritate alios perdere poſſit & liberare, quanquam alii ſint legislatores & Reges ejus miniſtri, qui ſuam condendi leges poteſtatem ab eo acceperint, juxta illud Proverb. 8. jam a nobis laudatum: *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.*

Objicit inſuper Calvinus nonnulla teſtimonia, in quibus aperte legitur Chriſtianos ab omni lege hominum eſſe liberos. I. ad Corinth. 7. *Pretio empti eſtis, nolite ſervi fieri hominum*, quaſi dicat Apoſtolus hominibus non eſſe obediendum cum formidine peccati, ſiquidem fideles a peccato liberi facti ſunt per Chriſtum: in quem ſenſum ait ad Galat. 4. cap. *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit.* & cap. 5. *State, nolite iterum jugo ſervitutis contineri.* Ex quibus merito infertur leges ab hominibus condi non poſſe, quæ ſub pœna peccati ligare poſſint.

Reſpondeo nec in iſtis Scripturæ locis mentem Apoſtoli aſſecutum fuiſſe Calvinum. Cum enim vetat in Epiſtola ad Corinth. ne quis fiat ſervus hominum, id unum monet ut qui ſemel Chriſti gratiam, & redemptionem a peccatis ſuis conſecuti ſunt, iterum ſervi peccati non fiant, *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum.* Vel ut alii volunt Interpretes, *Nolite fieri ſervi hominum*, ita videlicet, ut hominibus ſerviendo Dei obſequium negligatis. Vel denique, ut exponunt alii, cum ſitis per Chriſtum liberi, nec vos in ſervos vendatis, ut melius Chriſto ſerviatis; ſed neutiquam vetat Paulus ne obediamus Paſtoribus Eccleſiæ, eorumque præcepta ſervemus.

Quæ autem ex Epiſt. ad Galatas objiciuntur, nullius plane ſunt ponderis: laudat enim Apoſtolus libertatem a jugo ſervitutis cæremoniarum legis: totus quippe eſt in hac Epiſtola, ut oſtendat ſaluti penitus inutilem legis Moſaicæ circuncisionem, quæ profecto cum Calvini doctrina nihil habent affinitatis.

Objicies: S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. definit peccatum in genere, *Dictum, factum, & concupitum contra legem æternam Dei.* Cui ſimilem reperias apud S. Ambroſium lib. de Paradiſo cap. 8. igitur nullum eſt peccatum contra legem humanam, adeoque lex humana non ligat conſcientias ſub pœna peccati.

Nego conſeq. Eſt quippe legitima hæc Auguſtini definitio, tametſi peccata committantur in tranſgreſſione legis humanæ, quia nimirum hæc eadem peccata ſunt remote ſaltem contra legem æternam, quæ *ordinem naturalem ſervari jubet, perturbari vetat*, inquit idem Auguſtinus: ordo autem poſtulat, ut leges ferre poſſint Superiores & Præpoſiti, quibus obedire teneantur Subditi.

Inſtabis: Omnes humanas conſtitutiones expreſſe rejicit idem S. Auguſtinus Epiſt. 55. quæ eſt ad Januarium cap. 19. ubi ſic loquitur: *Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit quomodo contra fidem ſint, ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui etiamſi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur.*

Reſpondeo eo loci ab Auguſtino improbari non Epiſcoporum & Conciliorum ſtatuta, ſed quoſdam privatorum

abuſus ; ut manifeſte liquet ex verbis immediate præcedentibus : *Omnia itaque talia*, inquit, *quæ neque ſanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed pro diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur ; ita ut vix aut omnino nunquam inveniri poſſint cauſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo*. Ex quibus ſequitur Auguſtino probatas fuiſſe conſtitutiones vel in Conciliis Epiſcoporum editas, vel Eccleſiæ conſuetudine roboratas.

Objicies : Nec ſummus Pontifex, nec Concilium ipſum generale declarare poteſt aliquid eſſe de fide divina credendum, niſi id contineatur in principiis fidei, videlicet Scriptura vel Traditione ; ergo nec quicquam lege lata præcipere poſſunt, quod ſub lege divina aut naturali non contineatur.

Reſpondeo parem utrobique eſſe rationem ; ficut enim Concilium non poteſt declarare aliquid fuiſſe a Deo revelatum, adeoque credendum tanquam de fide divina, quod reapſe revelatum non ſit vel in Scriptura vel in Traditione ; ita ſimiliter nec Concilium declarare poteſt aliquid obſervandum eſſe tanquam jure divino ſtabilitum, quod revera a Deo non fuerit inſtitutum, in hac enim utraque definitione erraret Eccleſia. Sed quemadmodum Eccleſia in Concilio generali congregata aliquid credendum fide ſaltem humana ſub pœna peccati proponere poteſt fidelibus, & revera edicit in multis Canonibus, tametſi illud non contineatur in verbo Dei & ſcripto & tradito ; ita ſimiliter aliquod præceptum circa mores Chriſtianorum pure humanum, quod conſcientias liget, ſtringatque, inſtituere poteſt in materia per legem naturalem aut divinam minime præſcripta.

Objicies: Ille ſolus conſcientiam obligare poteſt, qui Dei gratia privare poteſt : ſed homo quisquis ſit gratia Dei alterum privare non poteſt, quemadmodum ejus non eſt dare gratiam, ſed ſolius Dei ; igitur.

Reſpondeo negando minor. ut enim poſſit quis alium obligare ſub pœna peccati etiam mortalis, eumque, ut ajunt, Dei gratia privare, ſatis eſt ſi poſſit ex auctoritate ſibi a Deo data præceptum aliquod inſtituere, ita ut, ſi homo illud violaverit, conſequenter Deus ſuam ſubſtrahat gratiam ; neque neceſſe eſt ut per eandem facultatem poſſit homini gratiam divinam conferre : atque in promptu eſt ratio, quia peccator quando peccat mortaliter, ſe ipſum conſequenter privat Dei gratia, quam profecto ſibi dare nunquam poteſt.

Inſtabis: Nullus vel Epiſcopus extra Sacramentum Pœnitentiæ peccata remittere poteſt ; ergo ſimiliter nemo poteſt, niſi in Sacramento Pœnitentiæ, conſcientiam alterius ligare.

Nego conſeq. & par. Ratio diſcriminis eſt, quia in ſolo Pœnitentiæ vel Baptiſmi Sacramento homo agit nomine & auctoritate Dei in ordine ad remiſſionem peccatorum ; at vero in ordine ad ligandum longe ſæpius agit, & in pluribus aliis caſibus, puta quando leges & præcepta Subditis imponunt ſuperiores.

Objicies : Saltem leges mere civiles latæ a principibus ſæcularibus non obligant in conſcientia : ſiquidem mere temporalis eſt ea Principum ſæcularium poteſtas, a qua manant leges civiles : atqui ligare conſcientiam eſt actus juriſdictionis ſpiritalis ; ergo legibus mere civilibus ligari non poſſunt hominum conſcientiæ.

Diſting. min. Eſt actus juriſdictionis ſpiritalis ligare conſcientiam directe, C. indirecte tantum, N. ſcilicet conſcientias ligant indirecte Principes ſæcula-

culares, quatenus aliqua præcipiunt quæ bono Reipublicæ congruunt, quæ quidem præcepta citra peccatum violare non poſſunt Subditi, quia videlicet eatenus Dei ordinationi reſiſtunt, ut docet Apoſtolus.

Inſtabis: Ejus eſt ſolummodo ligare, cujus eſt ſolvere: atqui Princeps ſæcularis conſcientias Subditorum ſolvere non poteſt; ergo nec ligare.

Nego maj. quia, ut mox dictum eſt, homo cum peccat, ſe ipſum ligat, nec tamen ſolvere ſe poteſt; item homo ſe ipſum voto vel contractu ligare atque obſtringere poteſt, tametſi nunquam ſeipſum ſolvere queat. Quanti fieri debeant ejusmodi argumenta nemo non videt, quocirca in illis disjiciendis diutius non immorabimur.

Quæres, an ſub peccato etiam mortali conſcientiam quandoque aſtringant leges humanæ.

Reſpondeo affirmative, idque veriſſimum eſt tum de lege Eccleſiaſtica, tum de civili: ſiquidem eo manifeſte tendunt momenta ſuperius adducta, ex quibus profecto, quoniam evincitur neminem poſſe ſine peccato leges humanas aut ſpernere aut negligere, debet enim colligi ejusmodi peccatum quandoque eſſe mortale; unde & id expreſſe legitur Matth. 18. de lege Eccleſiaſtica: *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Id eſt, ejusmodi hominem devita tanquam Hæreticum, ne ejus conſortio contagionem trahas; quod quidem ſcelus graviſſimum & mortale manifeſte indicat. Unde etiam de lege civili hæc habentur ad Roman. 13. cap. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi damnationem acquirunt*. Damnatio autem æterna ſoli peccato mortali datur; ergo & ſub peccato mortali obligant aliquando leges humanæ.

Quibus vero ſignis dignoſci poſſit, an leges humanæ ſub pœna peccati mortalis obligent, vel ſolum ſub pœna peccati venialis, non ita facile dixeris; variæ ſunt ſuper illo negotio Theologorum & Juriſtarum ſententiæ. Hæc plerique aſſignant quibus certo judicari debeat leges obligare ſub pœna peccati mortalis, vel venialis tantum. 1. Si Legislator ipſe eam eſſe ſuam intentionem perſpicue declaraverit. 2. Si legem abſolute ferat, neque ullo verbo declaret mentem ſuam quoad peccatum mortale vel veniale, tunc, ut ait Sotus lib. 1. de juſtitia quæſt. 6. art. 4. res erit penſitanda pro majori vel minori gravitate materiæ. 3. (& iſtud ſignum proprie pertinet ad leges Eccleſiaſticas) cum aliquid præcipitur, *in virtute ſanctæ Obedientiæ*, vel ſub *indignatione Dei & obteſtatione divini judicii*, ejuſmodi verba indicant intentionem Legislatoris obligandi ſub peccato mortali. 4. (quoad leges item Eccleſiaſticas) quando ſubjungitur pœna excommunicationis majoris, quæ non incurritur niſi propter peccatum mortale. 5. Cum lex fertur his verbis præceptivis, *mandamus*, *præcipimus*, *prohibemus*, effecit communis uſus, ut ejuſmodi verba obligationem ſub mortali ſignificent. Sextum ſignum, idque, ut aiunt, omnium certiſſimum, eſt communis exiſtimatio communitatis, ſi nempe legem acceptaverit ut obligantem ſub mortali peccato; optima enim legum interpres eſt conſuetudo, cum maxime per ſe quoque habeat vim legis.

Verum ut puto res omnino æſtimari non debet ex ſingulis illis ſignis, ſeparatim conſideratis: cum agitur enim de peccato mortali aut veniali, exiſtimo iſtud moraliter & ex materia ſimul & circunſtantiis examinandum; ut enim virtus definita judicio viri prudentis, ita & vitium; quamobrem ſi materia legis humanæ ſit gravis, lex obligat ſub peccato mortali; ſi ſit levis, obligat tantum ſub veniali, quemadmodum judicari ſolet de lege divina; is enim mortaliter peccat qui in materia gravi legem

legem divinam tranſgreditur, ut ſi, v. g. grave ſit mendacium; venialiter autem peccat, ſi levis ſit materia: ſi leve ſit furtum, leve mendacium. Quod autem obſervare videntur Theologi melioris notæ, is ſemper mortale peccatum incurrit qui legem infringit ex contemptu, ut enim ait S. Bernardus lib. de præcepto & diſpenſatione cap. 8. *Contemptus in omni ſpecie mandatorum pondere gravis, & communiter damnabilis eſt*.

Sententia Gerſonii.

QUid ſuper hoc negotio ſenſerit illuſtriſſimus Academiæ Pariſienſis Cancellarius Joannes Gerſonius, hic pluribus expendemus, ut tanti viri doctrina hac in parte ab omni errore vindicetur contra plurimos non infimæ notæ Theologos, qui quidem id ipſi aſcribere non veriti ſunt, quod aperte dixerit leges humanas ſeu Eccleſiaſticas, ſeu civiles, quatenus humanæ ſunt, non obligare in conſcientia & ſub pœna peccati mortalis. Hujus ſententiæ tanquam minus orthodoxæ Gerſonium inſimulant Almainus lib. de poteſtate Eccleſiaſtica & Laica, quæſt. 1. c. 11. Joannes Medina cap. de jejunio quæſt. 7. Joannes Driedo lib. 2. de libertate Chriſtiana cap. 1. Adrianus quodlibeto 6. concl. 1. Alphonſus a Caſtro lib. 1. de poteſtate legis pœnalis cap. 4. Dominicus a Soto, qui lib. 1. de juſtitia & jure quæſt. 6. art. 4. teſtatur Lutherum aliosque hujus ætatis Hæreticos in hac perniciosa doctrina Gerſonium, inſignem aliunde virum, ſibi patronum aſciſcere. Franciſcus a Victoria Dominici a Soto magiſter, perhibet 1. relectione de poteſtate Eccleſiæ Sect. 6. doctrinam Cancellarii eſſe, Papam poſſe duntaxat ſententia excommunicationis punire peccata, qqæ ſunt directe contra Evangelium, non autem quæ ſunt contra legem naturæ. In Gerſonium certant quoque Bellarminus libro de Laicis c. 11. & Franciſcus Suarez lib. 3. de Legibus cap. 21.

Ubi tamen ſciri oportet quosdam eſſe qui doctrinam Gerſonii ultro amplectuntur quantum ad leges civiles & politicas Principum, reſpuunt vero quantum ad leges Eccleſiaſticas & Prælatorum, quos inter numeratur jam laudatus Almainus. Item Philippus Decius in cap. *Non concupiſcentiam* de Conſtitutionibus circa finem lectionis. Joannes de Immola cap. 2. *De majoritate & obedientia*. & in cap. *Cum contingat*, de jurejurando. Ac demum Ludovicus Romanus in L. *Is qui bonus*, ff. de verborum ſignificatione, ſicut referuntur a Suarez loco mox citato. Hos porro omnes puto equidem verba doctiſſimi viri minus atrente legiſſe, ut ex mox dicendis manifeſte patebit.

Objiciunt itaque hæc Gerſonii verba, quæ leguntur in ejus *Tractatu de vita ſpirituali animæ*, quem diſtribuit in ſex lectiones, quod nomen *lectionis*, inquit Richerius, *Apologia pro Joanne Gerſonio*, a Scholæ Pariſienſis more ortum habuit, quoniam olim Doctores Theologi die Sanctæ Euphemiæ ſolebant quosdam Tractatus ſacræ Scripturæ explicandos ſuſcipere, eamque ob cauſam & nomine & privilegio Doctoris *Regentis* donabantur.

Lectione ſecunda in prooemio pollicetur Gerſonius *ſe inveſtigaturum pro viribus, qualis eſt illa lex cujus transgreſſio vitam ſpiritualem, quam dat Baptiſmus Spiritus ſancti, adimit & mortis æternæ reum facit .... Mecum*, inquit, *& cum aliis ſæpe recogito multas ex ignorantia hujus negotii ſuboriri turbationes in politiis tam Eccleſiaſticis quam temporalibus, in hominum præterea conſcientiis modo ſcrupuli vani contemnendi ſubrepunt, modo contemptus inſurgit temerarius, & audacior quam ſatis eſt: ſit inſuper (quoniam ignoratur virtus legis divinæ) frequenter irritum mandatum*

tum Dei propter traditiones hominum. *Fit amplius de levi jugo Chriſti & lege libertatis jugum ferreum & onus grave premens cervices Chriſtianorum, dum ſcilicet aliqui ſuas omnes leges, ſuas inſtitutiones, ſuas regulas & ſtatuta arbitrari volunt accipiendas eſſe, ſicut præcepta legis Dei ad æternæ mortis interitum, ſi prætereantur, mergentia: Has vero traditiones hominum quis cunctas dinumeret in Canonibus ſummorum Pontificum, in Conſtitutionibus Synodalibus Provinciarum aut Diœceſium, Religionum regulis, in Univerſitatum, Collegiorum & Eccleſiarum Statutis, in Edictis Imperatorum & Principum, in Plebiſcitis Communitatum ..... vix poteſt imbecillitas noſtra divinas leges ad numerum parvum gratuita ſub benignitate reductas implere. Viam igitur obſitam tot ſpinis Conſtitutionum ſemet involventium & obumbrantium quis inoffenſo pede tranſiliet? Scimus quid dixerit Petrus Apoſtolus Act. 15. (Quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervicem Diſcipulorum, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus?) Hoc animadvertens & pia compaſſione deplorans egregius Doctor Auguſtinus ad inquiſitionem Januarii; Ipſam*, inquit, *religionem noſtram quam manifeſtiſſimis & pauciſſimis celebrationum Sacramentis, Dei voluit miſericordia eſſe liberam, ſervilibus premunt oneribus, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui legalibus Sacramentis non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur. Si tuo tempore ſic dolebas, o ſapiens Auguſtine, quid noſtra tempeſtate dixiſſes? ubi pro varietate & motu capitum incredibilis eſt varietas & diſſona multiplicitas onerum hujusmodi ſervilium, & humanarum, prout loqueris præſumptionum.* Ubi expreſſe teſtatur Gerſonius ſe mox diſputaturum in leges humanas, in Canones ſummorum Pontificum, in Synodales Conſtitutiones, Eccleſiarum Statuta, Edicta Principum; eo quod quidam, ut ait, ejusmodi leges volunt ad interitum æternæ mortis, ſi prætereantur, adducere. Ubi & ad id probandum eadem uſurpat Scripturæ loca, eademque plane ratiocinia quibus uti ſolent Hæretici noſtri; ſolemne eſt enim Hæreticis, ut ex eo maxime leges humanas impugnent, quod frequenter irritum faciunt Dei mandatum, quod leve Chriſti jugum reddant jugum ferreum, quod in hominum conſcientiis vanos perinde ſcrupulos excitent. Hinc præfatum locum ex Actibus Apoſtolorum depromptum, & Auguſtini Epiſtolam ad Januarium ſolent in ſententiæ ſuæ confirmationem adducere; quæ ſane eadem uſurpavit Gerſonius.

Inſuper ejusdem lectionis Corollario ſecundo legem divinam in eo ſecernit ab humana, quod lex divina lata ſit pro conſecutione vitæ æternæ, ad finem ſupernaturalem; leges vero humanæ pro ſolo regimine politico & civili. *Non ideo*, inquit, *præciſe dicitur aliqua lex divina ſeu de jure divino appropriate, quia illam creatura rationalis per revelationem accepit. Itaque fieri poteſt, ſicut in antiqua lege teneo fuiſſe in pluribus, quod Deus revelet & tradat immediate aliquas leges pro ſolo regimine politico & civili; quemadmodum de obligatione Regis Iſrael, de taxatione pœnarum civilium & ſimilium diceretur... pro cujus elucidatione, & ut dicti hujus rationabilitas magis innoteſcat, advertendum eſt quod homo qui ſubſiſtit ex duplici ſubſtantia, una ſpirituali, æterna, divinaque, alia corporali & mortali, duplicem habet finem, unum ſupernaturalem, alium naturalem, qui humanus poteſt dici ſeu politicus & civilis. Nunc pro conſecutione primi finis datæ ſunt leges a Deo proportionatæ ad finem illum, de quibus eſt noſter principalis ſermo, & illas appellamus appropriate divinas, ſeu Theologicas, ſeu de jure divino; quemadmodum non omnes virtutes, ſed eas duntaxat quæ ad Deum immediate diri-*

dirigunt, *Theologicas & divinas nominamus*, *fidem*, *ſpem atque charitatem*. *Proinde ad conſequendum finem alterum qui humanus quandoque dicitur*, *quandoque civilis & politicus*, *leges aliæ lata ſunt*, *& ut plurimum per humanam inveſtigationem impoſitæ*. Leges autem quæ non ordinantur ad finem ſupernaturalem, hoc eſt, ad vitam æternam, ſane non obligant hominum conſcientias, & citra ullum peccati mortalis periculum infringi poſſunt.

Eandem doctrinam longe clarius tradit Cancellarius noſter lect. 4. in proœmio, his verbis: *Erit igitur hæc concluſio; Anima rationalis ſicut a Deo ſolo inſpirante & influente habet vitam gratiæ*, *quæ eſt Baptiſmus in ſpiritu ſancto*, *ſic ipſo deſerente ſolummodo perdit anima vitam hujusmodi præhabitam*, *dum præceptivæ legis ſuæ prævaricatrix invenitur*. *Prima pars de ſe perſpicua*, *& eſt ante deducta in ſecunda lectione*. *Secundam partem ſuademus ex hoc quod alius a Deo*, *ſicut non habet poteſtatem infundere gratiam*, *ſic nec eripere*. *Ipſe præterea ſolus habet claves vitæ & mortis æternæ*, *& nemo claudit & nemo aperit*. *Iſta vero concludunt*, *quod ſolus poteſt dare præcepta affirmativa aut negativa*, *ſub pœna mortis æternæ*, *quia illam infligere ſolus poteſt*; *nullus ergo perdet gratiam*, *nullus reatum damnationis æternæ incurret*, *niſi pro quanto divinæ legis præceptivæ transgreſſor extiterit*. *Ad hoc eſt auctoritas Auguſtini deſcribentis peccatum actuale commiſſionis*. *Peccatum*, *inquit*, *eſt dictum*, *factum*, *vel concupitum contra legem Dei æternam*.

Et Corollario primo, *Nulla*, inquit, *transgreſſio legis naturalis aut humanæ*; *ut naturalis eſt vel humana*, *eſt de facto peccatum mortale*. *Et appellamus hic peccatum mortale*, *quod pœnæ æternæ reatum operatur ſecundum curſum a Deo jam inſtitutum*, *non qui poſſet inſtitui*. *Addimus præterea*, *ut naturalis eſt vel humana*, *quia eadem lex talis ſæpe communicat cum divina*; *patet Corollarium ex præmiſſis*. *Et ex alio quia lex naturalis & humana ut tales ſunt*, *non poſſunt attingere ad cognitionem æternitatis in pœna vel præmio*; *non ergo feruntur ad finem talem ſupernaturalem & plusquam humanum*. *Rurſus fruſtra darentur leges cum appoſitione pœnarum quas legislatores infligere nequirent*, *immo nec de eis in foro ſuo cognoſcere*. *Alioquin poterit legislator omnes ferre leges ſuas ſub pœna quantalibet poſſibili vel impoſſibili*, *quam abſurditatem dicere quis auderet*? *Sic eſt de quacunque lege naturali vel humana*, *quod neque natura*, *neque homines Prælati vel Principes poſſent transgreſſores ſuarum legum plectere pœna damnationis æternæ*, *nec de ea ad examen ſuum per teſtes aut aliter deducere*. *Hac ratione fulciunt ſe Doctores*, *nominatim Durandus*, *ponentes præceptum non poſſe imponi per Prælatos aut Principes ſuper actibus intrinſecis & occultis*; *quia videlicet illos traducere nequirent ad forum judicii ſui*, *quod nonniſi publicum eſt & de manifeſtis*.

Corollario quarto, *Omiſſio*, inquit, *Horarum Canonicarum*, *transgreſſio jejuniorum Eccleſiaſticorum & generaliter omnium Statutorum*, *& Regularum*, *& Canonum*, *nunquam eſt mortale peccatum*; *niſi pro quanto divinæ legi præceptivæ diſſonans invenitur*. *Et ita quantum lex aliqua habet admixtum de lege divina præceptiva tantumdem & non amplius eſt ejus transgreſſio mortaliter vitioſa*. Ubi diſerte docet Gerſonius leges humanas quatenus humanas non obligare ſub pœna peccati mortalis.

Addit Coroll. 3. ubi inſurgit in eos, qui per novas leges durius faciunt Chriſti jugum: *Non enim*, inquit, *plus habent in poteſtate Prælati Eccleſiæ ligare ſubditos ad aliqua*, *quæ non ſunt tradita in Regula Evangelica profeſſa ab omnibus Chriſtianis*, *quam habent Abbates ſuper religioſis ſuis ad obligandum*

eos præter regularem profeſſionem ſuam, de quibus tamen eſt ſententia Sancti Thomæ, & aliorum Doctorum concorditer, quod non poteſt Abbas Monacho præcipere aliud quam in Regula ſua profeſſus fuerit.

Denique in ſexta lectione verſus finem monet Paſtores in Scripturis præceptum eſſe, ut verbo Dei nihil quicquam addant aut minuant: *Verum in cæteris*, inquit, *quæ Chriſti lege nequaquam firmata ſunt, quæ præterea magis ad civilitatem hujus vitæ proficiunt, ſtatuant ipſi quæ ſtatuenda utiliter agnoverint; ita quod ſtatuta hæc in quantum ſua ſunt haberi velint quaſi monita & factitia, quorum infirmi transgreſſores temporali non æterna mulctatione plectendi ſunt. Cæterum paralogizant qui ſic argumentantur. Non eſt poteſtas niſi a Deo, & quicquid præcipimus, vice Dei præcipimus; quicquid jubemus in terris, illud approbat Deus in cœlis. Omnia igitur præcepta noſtra divina ſunt & paris ad Evangelium auctoritatis. Plane ſic concluderet quicunque Princeps; etiam Paganus, ſeipſum habere auctoritatem æternæ vitæ & mortis. Sic concluderet omnis Licentiatus in Theologia & Decretis ſe habere poteſtatem interpretandi ſacram Scripturam & Jura non ſolum ſcholaſtice, ſed & doctrinaliter, ſed Apoſtolica auctoritate.* Hactenus Gerſonius, ex quibus verbis in forma ſyllogiſtica, ut videlicet ejus mentem melius aſſequamur, ſic colligi poteſt argumentum. Ille exiſtimavit leges humanas non obligare in conſcientia ſub pœna peccati mortalis, qui expreſſe in quosdam diſputat, qui dicebant leges humanas, hoc eſt ſummorum Pontificum Conſtitutiones, Conciliorum Canones, Eccleſiarum Statuta, & Principum Edicta nonnunquam, ſi prætereantur, ad æternæ mortis interitum homines adducere: atqui ita ſe habet Gerſonius citata ſuperius lectione ſecunda in procemio; igitur.

Diſt. min. Docet Gerſonius leges humanas non poſſe, ſi prætereantur, quemquam ad interitum mortis æternæ perducere; hoc intellecto de legibus humanis quatenus humanæ ſunt præcise, & nullam cum lege divina habent neceſſitudinem, C. de legibus humanis quæ aliquam cum lege divina habent affinitatem, N. & ſubdiſtinguo, hoc intellecto de quibuſdam legibus humanis, C. de omnibus & ſingulis, N. iterum ſubdiſtinguo, docet ejuſmodi leges non obligare, hoc eſt, eandem vim obligandi non habere ac leges divinas, C. ullo plane modo obligare conſcientias, & citra ullum peccandi periculum infringi poſſe, N. Tria ſunt in hac reſponſione, quæ, ſi veriſſima ſint, ut puto, dubio procul Gerſonii doctrinam ab omni erroris ſuſpicione puram atque immunem faciunt.

Scilicet toto in hoc Tractatu de vita ſpirituali, non ſemel quidem affirmat leges humanas neminem ad interitum mortis æternæ adducere, neminem ſub pœna peccati obligare; ſed loquitur de legibus humanis, quatenus humanæ ſunt præciſe, nullamque cum lege divina habent affinitatem. Et quoniam nunc aliquis colliget non idcirco ab omni errore purum eſſe Gerſonium, quia falſum & erroneum eſt aſſerere, leges humanas non obligare in conſcientia, quando a lege divina non manant, & aliquid præcipiunt quod lege divina non fuit præſcriptum; diximus hoc affirmare Gerſonium de quibuſdam ſolummodo legibus, non de omnibus & ſingulis. Ad cujus rei majorem elucidationem, utque plenius Cancellarii fides vindicetur, addidimus eo ſenſu illum contendere ejuſmodi leges humanas non obligare conſcientiam, quod vim eandem ſtringendi non habeant, qualem omnes agnoſcunt in lege divina: quæ quidem tria abunde conſtant ex iis quæ leguntur in eodem tractatu de vita ſpirituali, ut ex eorum fuſiori explicatione patefiet.

Ac primo loquitur Gerſonius de legibus humanis quatenus humanæ ſunt, qnando affirmat illas non obligare in foro interiori, idque centies repetit in toto Tractatu. Lectione 4. Coroll. 5. adducto exemplo eorum qui præcepta Medicorum non ſequuntur: *Non prorſus diſſimiliter eſt in propoſito. Quamvis enim leges humanæ & civiles* (*ut tales ſunt*) *ſint ſolum pro ordinatione politiæ humanæ, Eccleſiaſticæ vel civilis in eis quæ corpus reſpiciunt, & ita ſolum merentur punitionem temporalem violatores earumdem, & obſervatores præmio temporali donantur. Nihilominus ex conſequenti & mutua colligatione ac mixtione quam ad leges divinas habent, reſultat crimen faciens reos æternæ damnationis ipſos contemptores*, ubi loquitur de legibus humanis & civilibus, *ut tales ſunt*.

Corollario X. *Addimus adhuc*, inquit, quod *nulla traditio, vel regula, vel lex, vel determinatio puri hominis qui in talibus fallere poteſt & fallit, obligat,* (*ut præciſe talis eſt*) *ſubditos ad credendum eam tanquam veritatem fidei aut divinam legem*. & poſtea. *Volumus tamen*, inquit, *ut notetur vigilanter modus loquendi noſter de traditionibus hominum* (*ut talium præciſe ſunt*) *qui fallere in illis & falli poſſunt*.

Idem paulo ante dixerat Corollario primo ejusdem lectionis: *Nulla*, inquit, *transgreſſio legis naturalis aut humanæ* (*ut naturalis eſt vel humana*) *eſt de facto peccatum mortale.... Addimus præterea* (*ut naturalis eſt vel humana*,) *quia eadem lex talis ſæpe communicat cum divina, patet Corollarium ex præmiſſis. Et ex alio, quia lex naturalis & humana* (*ut tales ſunt*) *non poſſunt attingere ad cognitionem æternitatis, &c.*

Ex quibus abunde, ut puto, efficitur Gerſonium, quando ſtatuit hoc in Tractatu leges humanas non obligare in conſcientia, verba facere de legibus humanis quatenus humanæ ſunt, & nulla cum lege divina habent affinitatem.

Unum tamen, ut cordate fatear quod res eſt, præſenti loco non levem faceſcit difficultatem, quid nimirum intelligat Gerſonius per leges humanas *quatenus humanas*, leges humanas *quæ cum lege divina nullam habent affinitatem*, leges humanas *quæ præciſe humanæ ſunt*, leges humanas *quæ a lege divina neutiquam derivaatur*. Hæ ſiquidem & ſimiles locutiones apud Gerſonium non videntur certum & determinatum habere ſenſum; unde ſtatim colligitur certo ſciri non poſſe, quonam ſenſu voluerit leges humanas conſcientiam obligare non poſſe. Scilicet aliquando leges humanas quatenus humanas intelligit eas leges, quæ a divina lege nequidem remote proficiſcuntur; quo fit ut omnes leges juſtas ſeu a Principibus ſæcularibus, ſeu ab Eccleſiæ Prælatis factas putet eſſe divinas, quia ſunt a Deo, *a quo omnis poteſtas*, inquit Apoſtolus, aut ſaltem earum obligationem eſſe a Deo, quamquam lex ipſa non ſit divina, ſic loquitur lect. 1. Coroll. 5. *Non ideo dicitur*, inquit, *aliqua lex appropriate vel pure de jure divino, quia ad illam obligat Deus. Facilis eſt declaratio, quoniam ſicut nihil fit abſque Deo cauſante, & nihil eſt verum abſque prima veritate, nam omnis ſapientia a Domino Deo eſt . . . cur non ſimiliter poterit eſſe obligatio aliqua a Deo quæ non ob hoc appropriate ſpectabit ad legem divinam?*

Contra vero aliquando & ſæpius docet legem dici poſſe humanam & quidem pure humanam, quantumvis hoc pacto ex divina eruatur: ita Corollario quarto lectionis ſecundæ, *Lex aliqua*, inquit, *non ideo dicitur divina appropriate, quia ex principiis juris divini deducitur. Primo quia ſicut omne verum omni vero conſonat, ſic omnis lex quantumcunque poſitiva & humana conſonat divinæ legi, immo ex ea deducitur ſaltem*

tem

tem a Deo & Beatis. Amplius nulla eſt lex quæ non innitatur principiis iſtis, Deo jubenti obediendum eſt, auctorizatis a Deo parendum eſt, ſuperioribus ſuis in eo quod ſuperiores ſunt non eſt inobediendum; & ita nulla eſſet lex pure humana contra id quod veritas habet & uſus communis.

Demum aliquando leges cenſet humanas ab earum materia, quando nempe verſantur circa meram politiam civilem, circa res mere ſæculares; quandoque vero ab earum fine, ut cum finem non habent ſupernaturalem, ad vitam ſcilicet æternam neutiquam ordinatæ. Unde Coroll. 5. ejuſdem lectionis ſatis ſuperque teſtificatur ſe ſub variis reſpectibus leges denominare humanas, *Sequitur*, inquit, *ex præcedentibus coaſſumptis quibuſdam veris, quod eadem lex dici poteſt de jure divino & naturali & humano ſeu poſitivo, ſed alia & alia ratione reſpectu diverſorum*.

Ubi paulo poſt tanquam accuratam legis humanæ definitionem, iſtam profert his verbis: *Lex humana ſive poſitiva præceptiva pure & appropriate deſcribitur, quod eſt ſignum verum humana traditione & auctoritate immediate conſtitutum, aut quod non infertur neceſſaria deductione ex lege divina & naturali ligans ad aliquid agendum vel non agendum pro conſecutione finis alicujus humani.* Ex qua definitione quam ibi ponit Gerſonius tanquam fundamentum eorum quæ poſtea dicturus eſt, ſincere fateor colligi poſſe leges humanas ab eo accipi pro illis legibus, quæ ſola hominum auctoritate conſtituuntur in rebus a Deo nunquam præſcriptis; adeoque illum exiſtimaſſe leges humanas non obligare in conſcientia, ſumendo leges humanas pro illis legibus, quæ ab hominibus feruntur in materia a Deo minime præcepta.

Verum quia in errorem propterea lapſus videretur Gerſonius; quandoquidem communis ſuper iſta re omnium Theologorum doctrina eſt, leges humanas obligare conſcientiam & ſub pœna peccati, etiam quando per illas aliquid præſcribitur, quod non fuit lege divina conſtitutum; diximus inſuper in noſtra reſponſione id ſolummodo affirmaſſe Gerſonium de quibuſdam legibus, non autem de omnibus & ſingulis, quod ſecundum eſt noſtræ reſponſionis caput.

Id porro manifeſte liquet ex multis ejuſdem Gerſonii teſtimoniis: in procemio lectionis ſecundæ jam citato ſic loquitur, *Fit amplius de levi jugo Chriſti & lege libertatis jugum ferreum, & onus grave premens cervices Chriſtiaorum, dum ſcilicet aliqui ſuas* (*omnes*) *leges, ſuas inſtitutiones, ſuas regulas & ſtatuta arbitrari volunt accipiendas eſſe, ſicut præcepta legis Dei ad æternæ mortis interitum, ſi prætereantur, mergentia.* Ubi Gerſonius in eos ſolum inſurgit, qui leges humanas *omnes*, nulla excepta, contendebant ſub pœna peccati obligare; unde addit verbis immediate ſequentibus: *Has vero traditiones hominum quis cunctas dinumeret in Canonibus ſummorum Pontificum, in Conſtitutionibus Synodalibus Provinciarum, aut Diœceſium, Religionum Regulis, in Univerſitatum, Collegiorum, & Eccleſiarum Statutis, in Edictis Imperatorum & Principum, in plebiſcitis Communitatum, &c.* Quis vero dixerit omnia & ſingula illorum Superiorum Statuta, quæcunque tandem ſint, & in quacunque materia edantur, conſcientias hominum ligare?

Idem habet Corollario tertio, *Circa quod deducitur ulterius*, inquit, *quod non* (*omnes*) *Canones ſummorum Pontificum, vel Decreta ſunt de lege divina. Patet hoc ex radice præmiſſa, quamvis aliæ non deſint inferius aſſignandæ: Sunt itaque* (*plures*) *ejuſmodi Canones ad politicam ſolum converſationem accommodati*. Cum porro dicit Gerſonius plures eſſe Conſtitutiones humanas, quæ mere politicæ ſunt, aperte fatetur

nonnullas eſſe quæ in foro interiori obligant.

Scilicet nemo ignorare poteſt Cancellarium noſtrum, quando tam obſirmate contendit leges humanas non obligare conſcientiam, in id potiſſimum incubuiſſe, ut illis reſiſteret legislatoribus qui ſua paſſim auctoritate abutuntur, quando leges condunt, ſic enim, v.g. loquitur lect. 4. Corol. 4. *Idcirco præterea legislatores Eccleſiaſtici & civiles plerumque (ſua poteſtate & auctoritate noſcuntur abuti) præſertim Eccleſiaſtici illi qui quicquid ordinant, quicquid monent, quicquid præcipiunt, volunt pro divinis legibus haberi, par, æquale quoque robur habere per interminationem damnationis æternæ. Neque tamen accuſaverim omnes legislatores taliter & talia loquentes.*

Et Coroll. X. *Quamobrem*, inquit, *dicimus pro regula quantum & qualiter licet dubitare de poteſtate alicujus propter defectum debitæ electionis ſuæ (aut abuſum ſuæ auctoritatis) tantumdem & aliter licet dubitare de obligatione traditionum ſuarum, ut ſuæ ſunt præciſe.* Unde ſequitur mentem Gerſonii non ita demum accipi debere, quaſi voluerit nullas plane leges humanas obligare conſcientiam.

Denique, quod tertium eſt noſtræ reſponſionis caput, dicimus eo ſenſu tantum voluiſſe Gerſonium leges humanas non obligare ſub pœna peccati, quod vim eandem obligandi non habeant ac leges divinæ; quam ſententiam quæ multorum tunc temporis fuit, ubique hic fortiter impugnat, lect. 2. in proœmio: *Deum ſcilicet*, inquit, *ſuas omnes leges, ſuas inſtitutiones, ſuas regulas & ſtatuta arbitrari volunt accipiendas eſſe (ſicut præcepta legis Dei) ad æternæ mortis interitum, &c.*

Quod idem habet vel expreſſius lect. Coroll. 4. mox citato: *Volunt*, inquit, *pro divinis legibus haberi, par, æquale quoque robur habere per interminationem damnationis æternæ.* Tum vero Corol.X. *Veritates omnes*, inquit, *univerſales in quibus fundatur legislatorum hominum poteſtas, ſonantes quod (parum habent auctoritatem traditiones ſuæ cum lege divina) & qui eas ſpernit, Deum ſpernit & Deo reſiſtit, neceſſario debent intelligi, ſi & quando poteſtate ſua non abutuntur.* Denique Coroll. 11. ait *fatuum eſſe traditiones Eccleſiaſticas & humanas pro lege pure divina ſuſcipere.* Et iterum ſub finem Tractatus: *Cæterum paralogizant qui ſic argumentantur, non eſt poteſtas niſi a Deo, & quicquid præcipimus, vice Dei præcipimus; quicquid jubemus in terris, illud approbat Deus in Cœlis. Omnia igitur præcepta noſtra divina ſunt & paris ad Evangelium auctoritatis.* Quæ quoniam millies repetit Gerſonius, ſatis aperte ſignificat hoc ſolum ſibi propoſitum eſſe, mentem quorumdam impugnare, qui legibus humanis parem auctoritatem ac divinis aſcribere non dubitabant.

Quod autem Gerſonius, cum docuit leges humanas non obligare conſcientiam & in foro interiori, locutus fuerit vel de legibus humanis quatenus humanæ ſunt præciſe; vel de quibuſdam tantum legibus, non de omnibus & ſingulis, vel demum eo ſenſu quod par non habeant pondus ac leges divinæ, quod quidem ex omni parte maxime catholicum eſt; ita ut hæc ejus opinio tandem redeat ad quæſtionem pure metaphyſicam; ex eo inſuper & quidem invicte oſtenditur, quod non ſemel manifeſte declaret in toto hoc atque integro Tractatu, ineſſe hominibus legitimam condendi leges auctoritatem, nec poſſe quemquam illa infringere ſine peccato, ſic iſtud explicat, v.g. lect. 4. Coroll. 5. *Ex hoc quod aliquis peccaret mortaliter tranſgrediendo Conſtitutiones aliquas humanarum traditionum, non ſufficienter concluditur quod illæ Conſtitutiones obligent ad mortale delictum. Declarabimus iſtud argumentantes a ſimili vel minori. Sit aliquis peritus Medicus ordinatus*

natus pro Republica, dicat ille Petro, Do tibi legem pro tua ſanitate, quam ſi tranſgreſſus fueris, ſtatim diſſolvetur corpus tuum, quod eam conſervando convaleſcet; non bibas vinum purum hoc triduo. Nullus neſcit quod Medicus ut Medicus caret facultate condendi leges obligantes ad peccatum mortale, & tamen in caſu tranſgreſſor hujus legis ſuæ damnationem incurret .... Non prorſus diſſimiliter eſt in propoſito; quamvis enim leges humanæ & civiles ut tales ſunt, ſint ſolum pro ordinatione politiæ, humanæ, Eccleſiaſticæ vel civilis in eis quæ corpus reſpiciunt, & ita ſolum merentur punitionem temporalem violatores earumdem, & obſervatores præmio temporali donantur. Nihilominus ex conſequenti & mutua colligatione ac mixtione quam ad leges divinas habent, reſultat crimen faciens reos æternæ damnationis ipſos contemptores.

Et Coroll. 11. *Traditiones Eccleſiaſticas & humanas*, inquit, *ſicut fatuum eſſet omnes pro lege pure divina ſuſpicere, ita nihil in omnibus velle de divinis legibus agnoſcere nequaquam ſcandaloſa temeritate vacaret*. Porro leges humanas, quæ cum divinis aliquam habent affinitatem, obligare conſcientiam & ſub pœna peccati conſtans fuit Gerſonii doctrina; proindeque cenſuit quaſdam leges humanas obligare conſcientiam & in foro interiori.

Denique lectione ſexta ſub finem ſic diſſerit: *Prælati & Principes*, inquit, *habent auctoritatem a Deo regendi populum ſuum per leges & inſtituta ultra leges divinas inſpirata, non quod leges ſuæ & inſtitutiones cenſendæ ſint divinæ, ſed recipiendæ ſunt ut ſalubria monita, nec leviter contemnendæ. Alioquin tranſgreſſio pœnam habet non quamlibet, ſed qualem poſſibile faſque eſt homines infligere. Propterea concludimus majorem deberi obedientiam Prælatis & Principibus in eis in quibus ſunt ſolum velut præcones & nuncii, quam in illis quæ ſuo relicta ſunt arbitrio ſtatuenda*. Ubi duo ſcribit Gerſonius notatu digna: 1. Prælatos & Principes à Deo poteſtatem accepiſſe leges condendi ultra leges divinas: 2. Obedientiam illis deberi, etiam in iis quæ pro nutu & arbitrio decernunt.

Ex quibus manifeſte perſpicuum ſit, quam longe lateque ab Hæreticis differat Gerſonius; ſiquidem illi aperte profitentur nullam legem obligare in foro conſcientiæ; niſi ſit prorſus divina, ut ait Calvinus; quo quidem fulti principio jejunium quadrageſimale, & quamcunque aliam a carnibus abſtinentiam, vota monaſtica, vitam cœlibem, aliaſque humanas conſtitutiones reſpuunt; quod ne cogitavit quidem Gerſonius, qui leges humanas, de quibus loquitur, ad eas tantum revocare videtur quæ ad externam politiam attinent, quales ſunt leges de ferenda excommunicatione, ut videre eſt in lectione quarta, Corollario ſeptimo, ubi loquens de conſtitutionibus Prælatorum ſic habet: *Ne vel obſint præceptis Dei propter multitudinem oneroſam juxta improperium Chriſti factum Phariſæis, vel ne credantur ligare ad pœnam æternam, ubi pœna civilis ſola reperitur. Doctrina hæc præcipue locum habet in materia excommunicationum latæ ſententiæ.*

Inſtabis: Iiſdem fere ratiociniis, iiſdemque Scripturæ locis utitur Gerſonius ad aſtruendam ſuam opinionem, quæ poſtea uſurparunt Hæretici, qui ejus veſtigia hac in parte calcare videntur, ut conſtat ex præfatis ejus verbis; ergo revera confundi merito poteſt cum Hæreticis.

Diſt. ant. Iiſdem utitur momentis ut oſtendat omnes & quaſcunque leges humanas & civiles, ad externam politiam pertinentes non obligare ſub pœna peccati mortalis, C. ut oſtendat nullas plane leges humanas obligare conſcientiam, quod quidem demonſtrandum in ſe vehementer ſuſcepit Calvinus,

N. id ſatis ſuperque ex dictis intelligitur.

Inſtabis: Lect. 3. Coroll. 2. docet univerſim Gerſonius leges humanas prout a divinis diſtinguuntur, non ordinari ad finem ſupernaturalem, ſed duntaxat politicum & externum: atqui leges quæ non ordinantur ad finem ſupernaturalem, non obligant in foro interiori; ergo.

Diſting. maj. Docet Gerſonius leges humanas non ordinari ad finem ſupernaturalem, hoc intellecto de quibuſdam legibus finem temporalem habentibus; quæve ad externam politiam tantum pertinent, C. hoc intellecto de omnibus & ſingulis legibus humanis, quales ſunt leges de jejunio quadrageſimali, de cælibatu Sacerdotum, & aliis ejuſmodi, N. ſolutio patet ex dictis.

Inſtabis iterum. Lect. 4. in procemio dedita opera probat ſolum Deum poſſe leges condere ſub pœna peccati, quia ſicut ſolus habet poteſtatem infundendi gratiam, ita ſolus poteſt illam eripere, quia ſolus habet claves vitæ & mortis æternæ; ergo cenſuit nullam plane legem humanam poſſe obligare ſub pœna peccati, ut ipſe his verbis diſertiſſimis affirmat, *iſta vero concludunt, quod ſolus poteſt dare præcepta affirmativa aut negativa ſub pœna mortis æternæ.*

Diſt. conſ. Cenſuit nullam plane legem humanam obligare ſub pœna peccati, verba faciens de lege humana quatenus humana eſt, C. quatenus a lege divina proficiſcitur & cum ea aliquam habet neceſſitudinem, N. cum itaque hæc duo diſtinxerit Gerſonius in eadem lege quam ſpectabat ut humanam & ut divinam, ut abunde conſtat ex dictis; mirum profecto nemini videri debet, ſi dicat ſolum Deum poſſe ſub pœnam damnationis æternæ leges præſcribere; ſiquidem leges humanæ eatenus ſub illa pœna, quæ omnium graviſſima eſt, conſcientiam ſtringere poſſunt, quatenus auctoritate a Deo conceſſa inſtituuntur, conſule quæ ſuperius citata ſunt ex Coroll. 1. ejuſdem lect. 4.

Inſtabis: Ait Coroll. 13. Prælatos plus non habere poteſtatis ad ligandos ſubditos in iis quæ non ſunt tradita in Evangelio, quam *Abbates ſuper Religioſis ſuis ad obligandum eos præter regularem profeſſionem ſuam:* atqui non poteſt Abbas aliud Monacho præcipere quam quod in Regula ſua profeſſus fuerit, ut docet S. Thomas cum aliis Doctoribus, inquit Gerſonius; ergo.

Diſt. maj. poteſtatis qua poſſint nempe innumeras leges ad nutum & pro arbitrio condere, plus æquo durius facientes jugum Chriſti, C. qua poſſint leges ullas ferre quæ conſcientiam ligent, N. Patet iſta reſponſio, tum ex eo quod, ut vidimus ſupra, plerumque docet Gerſonius alias leges humanas obligare ſub pœna peccati mortalis; tum quia non ſemel inſurgit in eos qui leges humanas numero prope infinitas vellent ſubditis imponere, quod unum hic videtur eſſe ejus propoſitum; obſervat enim jam magnam partem eorum, quæ ſtatuerunt ipſa Concilia generalia, non ſervari: *Nam, inquit, & in primo vigore Eccleſiaſticæ diſciplinæ multa ſevero rigore ſtatuta ſunt, quæ modo defluentibus in pejora moribus non ſolum inutilem, ſed impoſſibilem haberent executionem.* Quibus adde non omnino conſtare Abbatem aliud Monachis præcipere non poſſe, quam quod in Regula ſua profeſſi fuerint, unde nullum eſt momentum quod ex iſta comparatione petitur; aut ſane accipi debet in præfatum ſenſum; ita ut Prælati non poſſint in Eccleſia pro nutu & arbitrio quaſcunque leges condere, quæ cum lege divina nullam habeant affinitatem; quemadmodum Abbates non poſſunt varia ad arbitrium ſtatuta ſuis Religioſis præſcribere, quæ nimirum cum eorum regulari profeſſione nullam habeant neceſſitudinem.

Inſtabis denique: Coroll. 5. ejuſdem lectionis comparationem repetit Gerſonius ex Medico, aitque conſtitutiones humanas non aliter obligare conſcientiam, quam præcepta Medicorum, ſed *nullus neſcit*, inquit, *quod Medicus ut Medicus caret facultate condendi leges obligantes ad peccatum mortale*; igitur nec ab hominibus ferri poſſunt leges quæ obligent ſub pœna peccati mortalis.

Diſt. maj. Ait conſtitutiones humanas non aliter obligare conſcientiam quam monita Medicorum, quatenus nempe ſunt humanæ præciſe, C. ſimpliciter loquendo, quaſi ſine peccato contemni poſſint vel etiam infringi, N. hæc ſolutio jam a nobis ſuperius expoſita eſt; id vero unum certiſſimum eſt Gerſonium eo loci verba facere de legibus humanis quatenus humanæ ſunt, quemadmodum etiam loquitur de Medico ut Medicus eſt, qui licet careat facultate condendi leges obligantes ad peccatum mortale, efficit tamen *ut tranſgreſſor hujus legis ſuæ damnationem incurrat*, atque ut legitur Coroll. 8. *cujus conſilio*, loquitur de Medico, *aliquando parere debemus ſub pœna peccati mortalis, dum ex tranſgreſſione ſui conſilii, vel ſcimus, vel probabiliter & vehementer credimus nos tranſgreſſuros legem Dei*. Unde ſequitur ne vel minimam erroris ſuſpicionem occurrere in hac Gerſonii doctrina; perinde eſt enim quod leges humanæ dicantur obligare quatenus humanæ ſunt, vel quatenus aliquam cum lege divina habent affinitatem; modo ita cenſeantur obligare, ut earum tranſgreſſores æternam damnationem incurrant, quod frequenter affirmat Gerſonius & præſenti quidem loco diſertiſſime his verbis: *Nihilominus ex conſequenti & mutua colligatione ac mixtione quam ad leges divinas habent, reſultat crimen faciens reos æternæ damnationis ipſos contemptores*.

Utrum leges pœnales obligent conſcientiam.

Aliter proponitur quæſtio, an dentur leges pure pœnales.

Lex pœnalis eſt ea quæ tranſgreſſoribus aliquam ſtatuit temporalem pœnam. Sunt autem aliæ quæ dicuntur pœnales, aliæ vero quæ appellantur pure pœnales. Quæ pœnales ſunt, in verbis exprimunt voluntatem præceptivam legislatoris, & præterea pœnam decernunt tranſgreſſoribus, ut ſi edicat Princeps, *Nemo noctu ferat arma, qui vero tulerit, ſolvet decem nummos*. Quæ autem leges pure pœnales ſunt, expreſſis verbis nec rem præcipiunt, nec prohibent, ſed ſolummodo pœnam ſtatuunt, ut ſi quis legem ferat hoc pacto: *Qui noctu arma tulerit, ſolvet decem nummos*.

Certum eſt legem pœnalem, uti & alias minime pœnales obligare conſcientiam, id, inquam, certum eſt apud Catholicos omnes qui fatentur leges humanas in univerſum conſcientias ligare, ut præcedenti diſputatione oſtendimus; neque enim lex a legislatore legitime lata conſcientiam minus obligat, quando pœnam aliquam temporalem decernit, quam ſi nullam decerneret.

Sed difficultas eſt, an, quando legislator legem humanam ſtatuit pure pœnalem, id eſt, in cujus formula non ponitur expreſſe verbum præceptivum vel prohibitivum, ſed tantum fit comminatio pœnæ temporalis, ejuſmodi lex conſcientiam obliget, vel ſolum teneatur tranſgreſſor pœnam temporalem lege ſtatutam ſolvere; quo quidem poſito daretur lex pure pœnalis, quod ita ſentiunt multi Theologi, quibuſdam contrarium opinantibus.

Con-

Concluſio.

Sunt quædam leges pure pœnales, quæ in foro interiori conſcientiam non obligant.

Et ratio eſt: 1. quia ſi in materia plane indifferenti, quæ nec lege naturali, nec lege divina præcipitur, poteſt legislator legem ferre vel non ferre; non video cur non poſſit ejusmodi legem ſtatuere ſub hac vel illa pœna; adeoque ſolam pœnam temporalem apponere.

Secundo, quia mentem legislatoris fuiſſe hac ſua lege non obligari conſcientiam, plerumque patefit ex circunſtantiis; ſeu, v. g. quando lex pœnam temporalem nonniſi leviſſimam ſtatuit, ſignum eſt enim nullam tunc eſſe obligationem culpæ; ſeu quando nihil eſt in lege quod vel ad minimum inſinuet conſcientiam & culpam, tunc enim legem benigne interpretari debemus, eo quod favores ſunt ampliandi, odia reſtringenda.

Tertio, quia falſum eſt, quod putant contrariæ ſententiæ aſſertores, hujusmodi pœnam quæ per legem ſtatuitur, nonniſi propter culpam præſumptam infligi; ea etenim decernitur propter ſimplicem tranſgreſſionem legis, quia videlicet ita expedit bono Reipublicæ, & quia non eſt alia legislatoris hac in parte ſupremi Domini mens atque voluntas; unde iſtud legimus in regula 23. de Regulis Juris in *6. ſine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.*

Quocirca idipſum docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 186. art. 9. ad 1. *In aliqua Religione*, inquit, *ſcilicet Ordinis Fratrum Prædicatorum, tranſgreſſio talis vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam neque mortalem neque venialem, ſed ſolum ad pœnam taxatam ſuſtinendam, quia per hunc modum ad talia obſervanda obligantur, tamen poſſent venialiter vel mortaliter peccare ex negligentia vel libidine ſeu contemptu.*

Ex iſta porro doctrina minime conſequi volumus leges vectigalium quæ plerumque ſunt pure pœnales in foro interiori conſcientias ſubditorum non obligare; ejusmodi enim leges rem ſtatuunt lege naturali & divina debitam, qua nempe tenentur ſubditi ad regiam Principum dignitatem ſuſtentandam neceſſaria ſuppeditare.

Quæres, an gravis pœna, quæ legem aliquam humanam infringentibus decernitur, qualis, v. g. incarceratio, alicujus membri mutilatio, vel mors ipſa ſit indicium ſufficiens gravis culpæ in tranſgreſſione.

Reſpondeo ita eſſe, & meo quidem judicio, ſimiles pœnas graviſſimas ſtatui non poſſe, niſi ob gravem culpam, poſtulat enim legis æquitas, ut pœna æqualiter reſpondeat culpæ; unde, cum agitur de legibus Eccleſiaſticis, ex pœna excommunicationis majoris; quæ inter ſpirituales graviſſima eſt, infertur culpam mortalem admiſſam fuiſſe, eandem itaque colligere debemus ex pœna gravi temporali, ſi juſta nimirum lata ſit lex.

Utrum lex humana obliget etiam cum vitæ periculo.

Leges humanas obligare ad ſui obſervationem cum vitæ periculo docent multi Theologi, quos inter primas tenet Cajetanus qui oppoſitam ſententiam putavit erroneam haberi poſſe; hiſce exemplis id confirmant nonnulli: 1. Quia, inquiunt, ſine veſte ſacra, & ſine aliis jure humano requiſitis nullus poteſt Miſſam celebrare etiam cum periculo vitæ; 2. Quia nullus poſſet nequidem metu mortis contrahere matrimonium cum conſanguinea in gradibus prohibitis ſola humana lege; 3. Quia Parochus jubente Epiſcopo manere debet in ſua Parochia tempore peſtis,

ſtis, ſicut & juſſu Ducis miles in ſtatione ſua cum manifeſto vitæ diſcrimine; 4. Addunt Conſtitutionem Carthuſianorum non veſcendi carnibus, quæ nimirum ab ægrotis obſervari debet.

Alii contendunt legem humanam non obligare cum vitæ periculo, quia videlicet lex poſitiva humana minus obligat quam naturalis, qua tenetur quivis propriam vitam conſervare.

Nos vero mediam inter utrumque extremum ineuntes, dicimus quaſdam eſſe leges humanas cum vitæ periculo obligantes, neque tamen omnes & quaſcunque leges; immo pauciſſimas & raro admodum ſic obligare: atque ut certo judicari poſſit quænam humana lex ſub illa pœna obliget conſcientiam, quæve non obliget; exiſtimamus hanc regulam præ oculis habendam, an videlicet id quod lege præcipitur ita cadat in utilitatem publicam, ut majus bonum ſit obſervare legem quam ſervare propriam vitam; tunc enim dicimus legem obligare cum vitæ periculo, ſecus autem ſi non major ſit Reipublicæ utilitas quæ ex legis obſervatione naſcitur; ita paſſim ratiocinantur plerique Thomiſtæ, Gabriel, Ochamus, Sotus, Vaſquez, & alii contra Cajetanum.

Quamobrem Parochus tempore peſtis tenetur in ſua Parochia commorari cum manifeſto vitæ ſuæ periculo; tum & in bello Dux ita præcipere poteſt militi excubias agere, vel ſtationem ſuam in certo loco tenere, ut neque propter evidens mortis periculum illam deſerere poſſit; quia nempe in illis caſibus agitur de bono publico quod ſemper privato anteponi debet.

Atque hinc contra leges de abſtinentia carnium, de jejunio & aliæ id genus, non obligant conſcientiam cum vitæ periculo, propter rationem oppoſitam, quia nempe id non poſtulat commune Reipublicæ bonum, in publica commoda neutiquam peccat qui frangit jejunium, vel tempore Quadrageſimæ carnes manducat. Porro cum dicimus ob mortis periculum infringi poſſe legem aut prætermitti, non affirmamus peccatum committi poſſe ad vitandam ſcilicet mortem, quaſi lex ſemper maneat, vimque ſuam obligandi retineat; ſed dicimus tunc ceſſare legem & in eo caſu vim obligandi non habere.

Quæres, an Conſtitutio Carthuſianorum de abſtinentia ab eſu carnium etiam in articulo mortis obliget: his verbis concepta eſt, *Quia ſecundum ſanctiſſimam noſtri Ordinis conſuetudinem a ſanctis Patribus noſtris introductam, omnem eſum carnium & omnium, quæcunque ex carnibus quomodolibet conſtant, ſive per modum cibi, ſive per modum potionis aut ſorbitionis ſumantur, a noſtro propoſito abjecimus; ſtatuimus ut quicunque noſtri Ordinis profeſſus hujus tam laudabilis inſtitutionis transgreſſor extiterit, carnes videlicet comedendo, ſeu alicui perſonæ Ordinis miniſtrando, aut comedentibus vel miniſtrantibus conſentiendo, vel non prohibendo, cum potuerit prohibere, vel qui intra domus ſuæ clauſuram quibuscunque perſonis carnes miniſtraverit, ſeu ab aliis permiſerit miniſtrari nec prohibuerit, prohibere cum valebit, ſi Prior, vel Vicarius aut Procurator hoc fecerit ipſo facto tanquam ipſius ſuæ profeſſionis calumniator & tranſgreſſor obedientiam perdat, & vocibus ac locis debitis, & cæteris obedientiis Ordinis careat in æternum.*

Reſpondent nonnulli Carthuſiano in periculo mortis ob ægritudinem conſtituto licitum eſſe, immo neceſſarium publice abſtinere a carnibus propter ſcandalum inde venturum, ut putant, quod alii Carthuſiani occaſionem ex eo ſumerent aut legem violandi, aut in ea frequentius diſpenſandi: ita Gerſonius in Tract. de abſtinentia Carthuſianorum qui habetur Alphab. 39. Jo-

annes Major in 4. diſt. 38. quæſt. 24. concl. 5. & Adrianus quodlib. 1. art. 3.

Reſpondent alii, non modo publice, cum timetur ſcandalum aliorum, ſed ceſſante quovis ſcandalo tam publice quam ſecreto debere Carthuſianum a carnibus vel a cibo ex carnibus condito abſtinere, etiamſi ea ratione ſperet ſe ex mortis periculo evaſurum; ita doctiſſimus Vaſquez in 1. 2. diſput. 162. cap. 4. ubi teſtatur hac in parte ſe nulla alia auctoritate majori nixum quam ſanctiſſima & antiquiſſima hujus religioſi inſtituti conſuetudine.

Verum exiſtimo longe probabiliorem eſſe eorum ſententiam, qui dicunt non ſolum poſſe Carthuſianum & alium quemcunque Religioſum in ægritudine conſtitutum, ſed etiam debere veſci carnibus, ſi judicio Medicorum ſine illis ab ægritudine liberari non poſſit: quæ ſententia eſt Martini de Magiſtris q. 3. de abſtinentia; Joannis Medinæ cap. de jejunio, quæſt. ultima; Almaini in 4. diſp. 15. qu. 2.

Et ratio eſt quia, ut in ſuperiori diſputatione diximus, hæc certa eſt & indubitata regula qua judicari poſſit an leges humanæ obligent conſcientiam cum evidenti mortis periculo, ſi nempe id quod lege præcipitur, negligi vel omitti non poſſit ſine graviſſimo Reipublicæ detrimento: tunc enim dici debet, ut docuimus, legem obligare etiam cum periculo mortis. Quam quidem regulam præ oculis ſemper habendam eſſe monet ipſe Vaſquez diſput. 161. cap. 2. qui proinde ſibi hac in parte minus conſtare videtur: atqui, licet in graviſſimo mortis periculo carnes edat aut juſculum ſorbeat Carthuſianus, nullum inde Reipublicæ detrimentum affertur; immo nullum erga alios Carthuſianos emergit ſcandalum, quod ſaltem legitima ex cauſa naſcatur; ergo Carthuſianorum conſtitutio non obligat, immo non expedit, ubi inſtat mortis periculum.

Præterea jure naturæ unicuique præceptum eſt vitam ſuam ſervare, ita ut non modo ab omni recta ratione alienum ſit mortem ſibi aſciſcere, vel vitæ ſuæ non conſulere, ſed & iſtud præter omnem humanum ſenſum, quod natura ipſa abhorret, longe poſitum ſit: ſed nulla lex humana aut etiam votum obligare poteſt contra legem naturalem, quæ nunquam in cordibus hominum obliterari poteſt, niſi & ratio ipſa deleatur; ergo in præfatis circunſtantiis non licet Carthuſiano abſtinere a carnibus.

His accedit fateri Gerſonium, Joannem Majorem & Vaſquezium in eo caſu non poſſe Carthuſianum a carnibus abſtinere, in quo alii cibi non adeſſent quibus veſci poſſet, quia, inquiunt, præter omnem humanam rationem eſt tale genus abſtinentiæ quo quis cogatur fame perire; tunc enim nulla videretur cauſa juſta & honeſta talis abſtinentiæ: atqui ex iiſdem principiis manifeſte colligitur nec licere Carthuſiano a carnibus abſtinere, monente Medico ægrotum non poſſe alio remedio vitam tueri quam carnibus; idem eſt enim ac ſi volens fame periret, gladio ſe ipſum interficeret, &c. juxta tritum illud S. Ambroſii, *Non paviſti, occidiſti;* igitur veſci carnibus licite poſſunt Cathuſiani inſtante mortis periculo.

Atque idem & par omnino judicium ferri debet de nonnullis aliorum Religioſorum Conſtitutionibus, quas puto non obligare cum periculo vitæ, quoniam ſcilicet juſta & publica cauſa neutiquam expoſcit, ut adeo liberaliter vitam ſuam profundant. Narrat Vaſquez apud Hiſpanias in uſu poſitum fuiſſe, ut milites S. Jacobi, cum eſſent in ultimo vitæ articulo conſtituti, ex lecto extraherentur, & ſupra crucem ex cinere factam in pavimento morituri collocarentur. Id factum equidem laudo, ſi hoc ſit ſolummodo inſigne humilitatis

tis & pœnitentiæ exemplum, nec inde vitæ ſalus pendeat; ſed ſi hujuſmodi vitæ aſperitas cauſa ſit manifeſta quemadmodum ex prudenti medicorum judicio colligi debet, ut vel moriatur ſimpliciter ille Religioſus, vel citius vitam agat, mihi ſane non probatur.

An juſti & perfecti ſubjiciantur legibus.

HIc quæſtio non eſt de humana lege tantum, ſed & de lege divina, cui ſimiliter neminem juſtum & perfectum proprie mancipatum docere videntur Hæretici noſtri. Scilicet accuſari ſolent a pleriſque Catholicis, quod manifeſte affirment juſtum fiducia aut fide ſua ita juſtificari, ut a lege vere liberetur, ac proinde tranſgreſſione illius non amittat ſuam juſtitiam, ſi in fiducia quam ſemel habuit, perſeveret.

Non me latet reſpondere Calviniſtas id erroris ſibi falſo & maxima cum injuria impactum a Catholicis, ut colligitur ex Chamiero hujus ſectæ ſcriptore nobili, qui lib. 15. cap. 6. ſic reſpondet Bellarmino: *Nos accuſat*, inquit, *quaſi docentes, nulli legi fideles ſubjici in conſcientia & coram Deo, Chriſtumque habere pro redemptore, non pro legiſlatore, Moſen cum ſuo Decalogo nihil ad eos pertinere. Sed ille ſui ſemper eſt ſimilis in nobis calumnia gravandis. At nos longe aliter & diſtinctius. Libertatem Chriſtianam conſideramus in uſurpandis omittendisve rebus, quas diſtinguimus incertas & indifferentes...... Circa res neceſſarias, legemque adeo moralem conſtat ex præcedentibus immanem nobis fieri injuriam, cum dicimur ulli nos legi ſubditos negare coram Deo. Neque enim id de iis veraciter dici poteſt qui profitentur ſibi obedientiam legis divinæ eſſe neceſſariam; & quidem ita ut quicunque eam violet, peccati reus ſit.*

An jure conqueratur Chamierus, judicari poteſt ex verbis Calvini quæ huic controverſiæ materiam ſuppeditarunt; ſic loquitur lib. 3. Inſtit. cap. 19. n. 2. *Chriſtiana libertas*, inquit, *in tribus partibus ſita eſt. Prima ut fidelium conſcientiæ, dum fiducia ſuæ coram Deo juſtificationis quærenda eſt, ſeſe ſupra legem erigant, atque efferant, totamque legis juſtitiam obliviſcantur. Nam quum lex, ut alibi jam demonſtratum eſt, neminem juſtum relinquat, aut ab omni ſpe juſtificationis excludimur, aut ab illa ſolvi nos oportet, ac ſic quidem ut nulla prorſus operum ratio habeatur. Nam qui vel tantillum operum ſe afferre debere ad obtinendam juſtitiam cogitat, non poteſt modum aut finem præfigere, ſed debitorem univerſæ legis ſe conſtituit. Sublata igitur legis mentione & omni operum cogitatione ſepoſita, unam Dei miſericordiam amplecti convenit, cum de juſtificatione agitur.* Ubi Calvinus, meo quidem judicio, revera non docet expreſſe Deum non poſſe ferre leges, quæ juſtum & perfectum hominem ligent, ſed ita tamen de Chriſtiana libertate & de negotio juſtificationis diſſerit, ut ex illius doctrina manifeſte ſequatur nullam legis habendam eſſe rationem, ſed ex ſolo Dei favore & fide, qua quis credit ſe eſſe juſtificatum, penſitandam eſſe ejus juſtitiam: unde citra calumniam dici poteſt docere Calviniſtas nulla lege etiam divina obligari juſtos, hac nempe ſua fiducia ab omni lege abſolutos. Idem ſcripſerat Lutherus in lib. de libertate Chriſtiana, & in Epiſt. ad Galatas in argumento, & in cap. 2. & Sermon. de Moiſe.

His præluſerant Beguardi & Beguinæ qui videlicet non omnes quidem juſtos volebant a lege humana liberos, ſed omnes perfectos, qui vel in hac vita, ut ajebant, ad ſtatum quemdam beatitudinis pervenerant: id colligitur ex Clementina *Ad noſtrum*, ubi eorum errores recenſentur.

CONCLUSIO.

Juſti & perfecti omnes, quandiu hanc mortalem vitam agunt, ſubjiciuntur legi. Idque aperte & luculenter demonſtrant ea omnia Scripturæ teſtimonia quæ ſuperius adducta ſunt, ut legum humanarum inſtitutionem & obligandi vim oſtenderemus; his enim momentis efficitur neminem tametſi baptizatum, juſtum, perfectum, immunem eſſe a lege; quandoquidem generaliter in univerſum loquitur Scriptura Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*. Joan. 15. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego præcepta Patris mei ſervavi*. Ubi Chriſtus Dominus alloquitur juſtos. Ad Roman. 3. cap. (*Omnis*) *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, ſi omnis anima lege tenetur, profecto ab ea non eximuntur juſti & perfecti.

Atque per gratiam & fidem Chriſti neminem ab onere legis immunem, ſatis intelligitur ex iſtis Apoſtoli verbis ad Rom. 3. *Legem ergo deſtruimus per fidem? abſit ſed legem ſtatuimus*. Scilicet dixerat Paulus non per legem, ſed per fidem juſtificari homines; id autem ſibi objicit, *ergo legem deſtruimus per fidem*, hoc eſt, jam neceſſaria non erit ulla lex, ſed gratia; adeoque pacto deſtruitur virtus legis, & nemo legem obſervare tenebitur; Et reſpondet, *abſit, ſed legem ſtatuimus*; quaſi dicat, quin potius per fidem & gratiam dantur vires ad obſervandam legem, *legem ſtatuimus*: unde ſequitur nec juſtos gratia & fide inſtructos ab obſervatione legis eſſe immunes.

Eleganter vero id olim ſcribebat S. Chryſoſtomus, homil. in c. 13. Epiſt. ad Romanos. *Omnis*, inquit, *poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus ſit, ſi Evangeliſta, ſi Propheta, ſive quiſquis tandem fueris. Neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio, & non ſimpliciter dicit, obediat, ſed ſubdita ſit. Eſt autem prima hujus conſtitutionis juſtitia, quæ & fidelibus cogitationibus ſatis decora eſt & honeſta: nimirum quod a Deo ordinata ſint iſta, non enim eſt poteſtas niſi a Deo*. Quæ plane eadem fuit aliorum Patrum doctrina, quorum loca paulo ſupra indicavimus.

Idque demum aperte definivit Conc. Trident. Seſſ. 6. can. 19. his verbis: *Si quis dixerit nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera, aut decem præcepta non pertinere ad Chriſtianos, anathema ſit*. & can. 20. *Si quis hominem juſtificatum & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum, quaſi vero Evangelium ſit nuda & abſoluta promiſſio vitæ æternæ ſine conditione obſervationis mandatorum, anathema ſit*.

Objiciunt nonnulla Scripturæ loca; in quibus viri ſaltem juſti & perfecti videntur eximi a lege, ad Rom. c. 6. *Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*. ad Corinth. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*. Certum eſt autem Spiritum Domini in juſtis eſſe, ad Galat. cap. 5. *Si Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege*. At juſti Spiritu Dei & gratia ducuntur, habent enim ſpiritum adoptionis. Denique verbis expreſſis ad Timoth. 1. *Juſto non eſt lex poſita, ſed injuſtis*; ergo juſti non ſubjiciuntur legi.

Reſpondeo nullius plane momenti eſſe hæc & ſimilia Scripturæ teſtimonia, quæ ad aſtruendam libertatem Chriſtianam congerere ſolent Calviniſtæ.

Ac

Ac primum quidem teſtimonium nullam omnino continet difficultatem; vel enim per illa verba, *Non eſtis*, intelligit Apoſtolus Chriſtianos jam non eſſe ſub lege Moſis, cum ſola legis Moſaicæ notitia, utpote qui vivunt ſub Chriſti gratia, quia hoc nomine exhortatur Romanos ne propterea peccent amplius, ut multi interpretantur poſt S. Auguſtinum lib. de continentia cap. 3. vel legem eo loci uſurpat Paulus pro dominio peccati, quaſi dicat, peccatum jam dominari non debet ſuper vos qui *non eſtis ſub lege*, hoc eſt, qui non eſtis ſub peccato, *ſed ſub gratia* juſtificati per gratiam, in quem ſenſum legem frequenter accipit paſſim in ſuis Epiſtolis.

In ſecundo teſtimonio nec vel unicum verbum eſt, quod leviter inſinuet immunitatem juſtorum a legibus; ibi enim libertas nihil aliud eſt quam amor juſtitiæ qui opponitur timori vindictæ, ut ſcilicet ſponte & libere legem impleamus ex amore virtutis, non ex formidine pœnæ, quæ quidem interpretatio familiaris eſt S. Auguſtino, ut colligitur ex lib. de ſpiritu & littera c. 10. & lib. de natura & gratia cap. 57. aut ſi magis ad litteram hunc locum Pauli exponere animus ſit, libertas ibi opponitur non obligationi legis, ſed obſcuritati & ignorantiæ, qua veritas occultabatur in antiquo Teſtamento; confert enim Apoſtolus legem veterem cum nova, atque eo nomine novam veteri præſtantiorem eſſe, quod illa nonniſi obſcure & ſub aliquo veluti velamine ſenſum quemdam litteralem, qui occidit, Judæis præbuerit, iſta vero non per litteram, ſed per ſpiritum gloriam Dei manifeſtet ſine ullo velamine: quæ quidem reſponſio cuivis totum atque integrum hoc caput legenti perſpicua eſt, verſ. 6. ſic habet: *Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti, non littera ſed ſpiritu, littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat*. & verſ. 18. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini ſpiritu*.

Ad tertium ex cap. 5. Epiſt. ad Galat. petitum, reſpondeo his verbis: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*, non intelligere Apoſtolum eos qui ſpiritu gratiæ ducuntur, legi non eſſe ſubjectos, ſed ſolum eos ſibi contrariam non habere legem, quia nempe juſtus qui legem obſervat, legis onus non portat, & ita non eſt ſub lege: quo ſenſu dixerat cap. 3. ejuſdem Epiſtolæ, *omnes qui ſub lege ſunt, ſub maledicto ſunt; ſcriptum eſt enim, Maledictus qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis*. eſt illa interpretatio S. Auguſtini Epiſt. 82. quæ eſt ad S. Hieron. ubi ſic habet: *Hos ergo damnabiliter dicit eſſe ſub lege, quos reos facit lex non implentes legem, dum, non intelligendo gratiæ beneficium, ad facienda Dei præcepta, quaſi de ſuis viribus ſuperba elatione præſumunt*.

Neque alius demum eſt ſenſus iſtius teſtimonii quod quarto loco objicitur, *juſto non eſt lex poſita*. Quaſi nempe dixiſſet Apoſtolus, Lex juſtis nihil aſperitatis habet, non eſt oneroſa, locum pœnæ non tenet. *Nam juſto*, inquit Anſelmus in hunc locum, *non eſt lex poſita, id eſt impoſita ut ſupra illum ſit, in illa enim eſt potius quam ſub illa, quia non ſua vita vivit, cui coercendi lex imponitur. Injuſtus vero ſub illa eſt, quia ſua vita vivit, cui coercendi lex imponitur*.

Quæres utrum & ſuis legibus ſubjiciantur Legiſlatores.

Reſpondent vulgo Theologi ſuis legibus ſubjectos eſſe legiſlatores quoad vim directivam, non autem quoad vim coactivam; quoad vim quidem directivam, quatenus, inquiunt, non minus eas ſervare debent legiſlatores quam ſubditis; unde & perinde peccarent ſi propriam legem infringerent. Non autem

quo-

quoad vim coactivam ; quaſi rei fiant pœnæ impoſitæ per ſuam legem, ſi eam ipſi tranſgrediantur.

Verum exiſtimo huic quæſtioni reſpondendum, adhibita prius aliqua diſtinctione ; ſunt enim, ut puto, quædam leges quibus non ſubjiciuntur ipſi legislatores, ſunt vero aliæ longe plures quibus ſubjiciuntur, quoad vim ſcilicet directivam, non autem quoad vim coactivam.

Primo quidem nonnullæ feruntur leges quæ neutiquam ipſos obligant legislatores, quando nempe ejuſmodi ſunt leges illæ ejuſque conditionis, ut ſolos reſpiciant ſubditos, & Principem a quo latæ ſunt, non deceant ; vel quando Reipublicæ bonum atque utilitas non poſtulat, ut his legibus ſe ipſum una cum ſubditis ſubjiciat Princeps, ut ſi, v. gr. lege lata prohibuiſſet Rex, ne quis in tota civitate gladium portaret, aut ne ullus veſte deaurata indueretur, facile intelligitur ejuſmodi lege non obligare ipſum legislatorem, quarum ſcilicet obſervatio non decet Principis majeſtatem, qui *non ſine cauſa gladium portat*, nec debet ſicut plebejus veſtiri.

Secundo, aliis permultis ne dicam fere omnibus ac ſingulis ſuis legibus ſubjicitur legislator : Cum enim, ut a nobis oſtenſum eſt initio hujus Tractatus, lex omnis ferri debeat in bonum commune, ordo rerum & recta ratio poſtulat, ut legislator leges ferendo publicum & commune bonum pro viribus procuret : ſed niſi ſe ipſum ſuis legibus manciparet, ſi eas accurate non obſervaret ; adeo ſane bonum commune non procuraret, ut potius in magnum Reipublicæ detrimentum id vergeret : lex enim illa tunc temporis in æſtimatione ſubditorum omnino vileſceret, quam viderent ab ipſo legislatore minime ſervatam. Addunt multi eadem lege naturali qua ſubditus debet Superiori obedire, Superiorem etiam debere tanquam caput ad reliquum Reipublicæ corpus conformari ; qui proinde & ſuis ipſe legibus tenetur quoad vim ſcilicet directivam ; unde ſi Epiſcopus lege lata in ſua Diœceſi veſtem talarem Clericis præceperit, profecto huic ſtatuto debet ipſe ſe conformare, nec veſtem decurtatam deferre.

Tertio, ſuis legibus non tenentur legislatores quoad vim coactivam. Siquidem coactio qua pœna repetitur ab eo qui legem infregit, eſt actus Superioris, cogi vero & impoſitæ pœnæ ſubjacere, eſt ſolum inferioris ; unde ſequitur eum ſolum cogi poſſe qui eſt inferior, adeoque legislatorem ſuis legibus non ſubjici quantum ad vim coactivam.

An & quomodo lex humana mutari poſſit.

JAm diximus, ubi de lege naturali, multipliciter legem aliquam mutari poſſe, videlicet per interpretationem, per tolerantiam, per derogationem, per irritationem, per abrogationem, per diſpenſationem, addimus & per contrariam conſuetudinem ; de quibus ſingulis compendioſas inſtituemus quæſtiones, quoad ſpectat leges humanas.

Quæres 1. utrum in legem humanam cadat interpretatio.

Reſpondeo, in leges humanas cadere non modo interpretationem ſimplicem, ſed & Epiikiam. Siquidem Epiikia eſt judicium quo ſubditus judicat legem a legislatore in univerſum latam, hic & nunc non obligare, quia non prævidit legislator novum aliquem caſum qui evenit : ſed ejuſmodi legis explicatio cadit in legem humanam, ſi enim, v. g. legem tulerit Princeps, ne quis noctu arma ferat in civitate, ſubito tamen in eam hoſtes irruant ; profecto cuivis privato civi licitum erit legem Principis interpretari per Epiikiam, & judicare in illa circunſtantia legem non obligare, eo quod talem hoſtium irruptionem non prævideret Princeps, quando

legem

legem tulit; igitur lex humana patitur & ſimplicem interpretationem & Epiikiam.

Quæres 2. utrum lex humana mutari poſſit per tolerantiam.

Reſpondeo, non modo licitam, ſed & prudentem nonnunquam & neceſſariam eſſe tolerantiam. Siquidem tolerantia eſt tacita quædam diſpenſatio & indulgentia, qua Superiores permittunt infractionem legis, nec pœnas ullas a transgreſſoribus repoſcunt: atqui licita nonnunquam & neceſſaria eſt ejusmodi indulgentia, ut nimirum publica procuretur utilitas, quod primarium eſt & in condendis legibus principale Legislatoris propoſitum; perſæpe enim majus contingeret malum, ſi reus puniretur, quam ſi tacite ipſi condonetur, quemadmodum olim ſe gerebat S. Cyprianus, ut teſtatur Epiſt. 55. his verbis, *remitto omnia, multa diſſimulo ſtudio & voto colligendæ fraternitatis*; igitur tolerantia locum habet in legibus humanis.

Quæres 3. utrum lex humana mutari poſſit per derogationem.

Reſpondeo affirmative. Siquidem tunc fit derogatio a lege, cum ex parte tollitur lex; derogatio eſt imminutio legis quoad aliquam ſui partem; ut ſi Eccleſia, quæ pro tempore Quadrageſimæ præcipit fidelibus & jejunium & abſtinentiam a carnibus, aliquem privatum ab onere jejunii ſolveret; eatenus enim unam partem legis abrogaret, quod eſt proprie derogare a lege: atqui nihil impedit quominus fiat ejuſmodi legum humanarum imminutio, ab eo nempe qui poteſtatem habet plene diſpenſandi, ut mox dicturi ſumus; igitur lex humana mutari poteſt per derogationem.

Quæres 4. utrum lex humana mutari poſſit per abrogationem.

Reſpondeo legem humanam abrogari poſſe, ab eo nempe qui auctoritate pollet in Republica; ſiquidem abrogatio nihil aliud eſt quam legis latæ reſciſſio, revocatio, obliteratio: atqui eadem auctoritate, qua quis in Republica aut civili aut Eccleſiaſtica legem tulerat in bonum ſcilicet publicum, poteſt & illam eandem legem revocare & ex omni parte reſcindere; quod quidem contingit potiſſimum, quando ceſſat legis conſtitutæ ratio, aut non patitur ſubditorum qui eam ſervare debent infirmitas; igitur lex humana poteſt abrogari.

Quæres 5. an lex humana mutari poſſit per irritationem.

Reſpondeo affirmative. Siquidem in eo poſita eſt irritatio legis, quod antequam acceptata fuerit, vimque obtinuerit, nulla & invalida habeatur: atqui lex humana ſic impediri poteſt & deſtrui priuſquam vim obtinuerit in Republica; ſi nempe voluntatem mutet Legislator, agnoſcens hanc legem juſtam non eſſe nec convenienter latam; tum vero ſi ejuſmodi legem ferendi poteſtatem legitimam non habuerit Legislator, quo quidem in caſu ipſi ſubditi legem irritant; igitur lex humana irritari poteſt.

Quæres 6. utrum a legibus humanis proprie dicta diſpenſatio concedi poſſit.

Reſpondeo affirmative. Siquidem diſpenſatio eſt immunitas ab aliqua lege ad tempus data a legitimo ſuperiore: ſed ejuſmodi immunitas aliquando juſte concedi poteſt, quando nimirum legitima adeſt cauſa; tum quia perſæpe id poſtulat publicum Reipublicæ bonum; tum quia Legislator eadem auctoritate legem reſcindere, adeoque ab ea quempiam diſpenſare poteſt, qua potuit illam ferre; igitur diſpenſatio a legibus humanis concedi poteſt.

Atque hujuſce poteſtatis in Legislatoribus tum Eccleſiaſticis, tum civilibus reſidentis, ſingula exempla ſi recenſere animus eſſet, univerſam hiſtoriam utriuſque generis hic exſcribere neceſſe foret. De legibus quidem Eccleſiaſticis id innumeri propemodum comprobant Concilio-

ciliorum Canones, quibus perſpicuum ſit Epiſcopos identidem cum peccatoribus penitentiæ publicæ addictis remiſſius egiſſe, & ſic eos a ſeveritate legum Eccleſiaſticarum diſpenſaſſe. Sunt & alia prope infinita diſpenſationum ab aliis Canonibus & Regulis exempla, quibus referendis ſuperſedeo: neminem enim latere poſſunt, niſi in hiſtoria Eccleſiaſtica plane hoſpes ſit & peregrinus. De legibus autem civilibus idem aperte docent hiſtoriæ; Principes enim hac ſua ſemper uſi ſunt auctoritate ad diſpenſandum, qua noverant ſe potuiſſe eaſdem leges ſancire.

Quæres a quibus concedi poſſit diſpenſatio.

Reſpondeo, diſpenſationem a legibus humanis concedi poſſe a ſuperioribus qui communitatis curam gerunt, quanquam ſint legiſlatores inferiores; unde hoc nomine a legibus Eccleſiaſticis & Canonibus Conciliorum generalium diſpenſat ſummus Pontifex tota Eccleſia inferior; quia nempe totius communitatis Eccleſiaſticæ curam gerit.

Quæres an ſuperioribus licitum ſit diſpenſare ſine cauſa; de ſupremo Pontifice potiſſimum controvertitur.

Reſpondeo negative, tum quia ſuperior quando ſine cauſa diſpenſat a lege, officio ſuo cadit, tenetur enim legum obſervationi invigilare & quidem jure naturali, quod ita ſuperioribus legis commiſit, ut earum ſint diſpenſatores, non domini; tum quia eatenus peccat contra prudentiam quæ nimirum poſtulat, ut omnes & ſingulos ſubditos, quantum fieri poteſt, adeoque niſi appareat juſta quædam cauſa, ad legis obſervationem adducat; aliter ut acceptor perſonarum haberetur; & valde timendi locus eſſet, ne propterea in æſtimatione aliorum leges vileſcerent.

Neque aliter de diſpenſationibus locuti ſunt SS. Patres: atque inter alios quam copioſe tam eleganter ſic diſſerit S. Bernardus libro integro de præcepto & diſpenſatione, Cap. 2. *Tenent ergo fixam firmamque immobilitatem etiam apud Prælatos quæ ex ſtabili neceſſario ſunt, ſed quatenus charitati deſerviunt: Numquid autem hoc ego vel ſolus ſentio? an non vel primus dico? an non hoc ipſum & Papa Gelaſius ſenſit? ait ſiquidem ubi neceſſitas non eſt, inconvertibilia maneant Patrum ſanctorum decreta. Leo quoque Papa, ubi inquit, neceſſitas non eſt, nullo modo ſanctorum Patrum conſtituta violentur. Et infert, ubi ergo neceſſitas fuerit ad utilitatem Eccleſiæ, qui poteſtatem habet, ea diſpenſet: ex neceſſitate enim fit mentio legis.*

Et lib. 3. de Conſideratione cap. 4. *Quid ergo*, inquit, *prohibeo diſpenſare? Non ſum tam rudis ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. utilitas dico communis, non propria: Nam cum nihil horum eſt: non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Ubi docet aliorum SS. Patrum auctoritate fultus, ſine neceſſitate vel utilitate ſaltem non privata ſed publica concedi non debere diſpenſationes.

Quod ipſum ſolemni decreto ſancitum eſt a Patribus Tridentinis ſeſſ. 25. de reformatione cap 18. his verbis: *Sicuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus caſibus & neceſſitatibus pro communi utilitate ſatiſfiat: ſic frequentius legem ſolvere, exemploque potius quam certo perſonarum rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud eſt quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant univerſi ſacratiſſimos Canones exacte ab omnibus, & quod etiam fieri poterit indiſtincte obſervandos. Quod ſi urgens juſtaque ratio & major quandoque utilitas poſtulaverit cum aliquibus*

quibus diſpenſandum eſſe, *id cauſa cognita ac ſumma maturitate*, *atque gratis a quibuſcunque ad quos diſpenſatio pertinebit*, *erit præſtandum*, *aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur*. Ubi & notare eſt obiter æquam non eſſe legum diſpenſationem, ſed ſubreptitiam quæ numerata pecunia conceditur, aperte definiri ab iiſdem Patribus.

Atque hinc facile colligitur, ſicut ſuperioribus non licet concedere diſpenſationes ſine cauſa, ita nec ejuſmodi diſpenſationibus uti licitum eſſe ſubditis, quando aperte conſtat eas ſine cauſa fuiſſe conceſſas: unuſquiſque enim tenetur in foro conſcientiæ legem obſervare, quoadusque fuerit ab ea legitime immunis factus; eatenus enim vim ſuam ſemper retinet lex; ſed ut ſupponitur legitima non eſt diſpenſatio & legitimam non eſſe aperte conſtat; ergo licitus non eſt uſus diſpenſationum quæ ſine cauſa juſta & legitima conceduntur.

Vellem tamen hanc noſtram de diſpenſationibus quæ a ſummis Pontificibus ſine cauſa conceduntur, ſententiam cum aliqua reſtrictione intelligendam, ut ſcilicet in iis quæ ſingulos reſpiciunt, & tertii jura vel ſtatum publicum non lædunt, diſpenſatio a Pontifice etiam ſine cauſa indulta & licita & valida cenſeretur, ita illuſtriſſimus Petrus de Marca lib. 3. de Concordia cap. 15. num. 3. cujus ſententiæ præcipuum fundamentum in eo conſtituit, quod perpetuo uſu qui jam viget a trecentis annis & ultra in Curia Romana receptum eſt, ut ſine cognitione cauſæ pleræque diſpenſationes concedantur, quibus, v. g. irregularitates tolluntur, impedimenta conſanguinitatis & affinitatis in tertio & quarto gradu amoventur, beneficiorum pluralitas conceditur; quo quidem uſu inductum eſt, ut pœnis a Canone indictis liberi habeantur, qui diſpenſationibus illis utuntur, adeo ut nec eorum ordinationes vitioſæ cenſeantur, nec de matrimoniorum viribus dubitetur: *Itaque*, inquit Marca, *cum præcipuus eorum Canonum effectus per diſpenſationem indebitam ex conſuetudine recepta ſublatus ſit*, *ſcilicet nullitas matrimonii*, *quid ſupereſt quod ſubditorum conſcientias onerare poſſit? Tanta eſt vis conſuetudinis*, *ut legem omnino tollere poſſit*, *ergo & modum illius ſolvendæ per diſpenſationes alioqui indebitas inducere poterit; præſertim cum diſpenſationis ea ſit conditio*, *ut a conſuetudine magnas vires accipiat... Cæterum quanta ſit vis conſuetudinis in hujuſmodi diſpenſationibus tolerandis*, *inde patet quod ea quæ a Conciliis œcumenicis inſtituta ſunt in gravioribus negotiis*, *novis reſcriptis diſpenſatoriis aliam formam quotidie accipiunt: Epiſcoporum conſecratio*, *quæ ſine Metropolitano fieri non debet poſt abrogatam Pragmaticam Sanctionem*, *inconſulto Metropolitano tribus Epiſcopis ad arbitrium ſummi Pontificis committitur. Duabus Eccleſiis aſcribuntur frequenter Clerici contra Canones Concilii Chalcedonenſis*, *diſpenſationibus indultis ad plura beneficia retinenda. Diſpenſationes in gradibus prohibitis a Concilio Lateranenſi olim rariſſimæ*, *hodie vero ſunt frequentiſſimæ... Multa quoque alia peraguntur quæ ſummam quidem & eximiam in Romano Pontifice a conſtitutionibus generalium Conciliorum diſpenſandi auctoritatem etiam ſine cauſa ineſſe probant: ſed quanta ſit vis conſuetudinis receptæ quæ his diſpenſationibus connivet*, *inde oſtenditur*, *quod in minoris momenti rebus hæ diſpenſationes ægre recipiantur. His addendum eſt Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. habitum anno* 1272. *quod ad Romani Pontificis arbitrium retulit de diſpenſationum ſufficientia diſquirere*. (*Et æſtimare quem modum beneficii ſui Pontifex eſſe voluerit*.) *Itaque ſi ſummo Pontifici placuerit ſine cauſa cognitione aliquem Canonibus ſolvere*, *dummodo ſtatus publicus non lædatur*, *hoc ab eo pendere colligi poteſt ex Concilio illo Lugdunen-*

ſi . . . at vero ſi ſtatus publicus, aut recepta in regno jura lædantur, amplectenda eſt ſententia eorum qui in univerſum diſpenſationes ſine juſta cauſa indultas, invalidas eſſe cenſent. Quibus certe nihil in hanc rem illuſtrius afferri poteſt.

Quæres inſuper quodnam ſit diſcrimen inter diſpenſationem, & privilegium.

Reſpondeo id eſſe diſcriminis quod diſpenſatio ſit immunitas a lege quæ non niſi ad tempus conceditur, privilegium vero detur per modum legis duraturæ: unde privilegium recte definiri poteſt, *immunitas a lege quæ in alicujus gratiam datur per modum legis*.

Odioſa eſſe privilegia ſatis aperte declarat Conc. Trident. ſeſſ. 24. de reform. cap. 11. ubi ſic habet, *Quoniam privilegia & exemptiones quæ variis titulis pleriſque conceduntur, hodie perturbationem in Epiſcoporum judiſdictione excitare & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur, decernit ſancta Synodus, ut ſi quando juſtis, gravibus & fere neceſſariis ſuadentibus cauſis, &c.* Ubi & decernit Synodus privilegia nonniſi ex juſtis & gravibus cauſis concedenda: qui de variis privilegii ſpeciebus, conditionibus & regulis ſcire voluerit, conſulat Canoniſtas.

Quæres denique, utrum leges humanæ mutari poſſint per contrariam conſuetudinem.

Reſpondeo affirmative; ſiquidem docet Eccleſiæ praxis perſæpe leges in Conciliis vel etiam generalibus ſolemni decreto ſancitas, nihilominus tamen per contrariam conſuetudinem, aut etiam deſuetudinem fuiſſe abrogatas; ſic enim v. g. canon editus in Concilio Nicæno primo de duabus Synodis quolibet anno habendis per meram deſuetudinem periit; de conſuetudine plura dicemus in fine hujuſce Tractatus, cui brevem ex profeſſo de conſuetudine appendicem ſubnectemus.

De Lege Civili.

NOnniſi pauca de lege civili nobis nunc tractanda ſuperſunt, quæcunque enim ad hanc legis humanæ ſpeciem attinent, ſatis & abunde examinata intelliguntur ex iis quæ tum de lege in univerſum, tum de lege humana diximus. Scilicet ex illis quæſtionibus perſpicuum fit legem civilem & politicam, cujuſcunque ſit imperii & regiminis, ferri debere in bonum commune ab eo qui curam habet communitatis & ſufficienter promulgari, ut vim obtinere poſſit obligandi ſubditos. Conſtat inſuper legem civilem ut & Eccleſiaſticam ad jus divinum pertinere, quandoquidem ſupremam auctoritatem etſi temporalem obtinentibus condendarum legum poteſtas ab ipſo Deo collata eſt. Quapropter unum circa legem civilem examinandum ſupereſſe videtur, quod nempe acceptationem populorum ſpectat.

De acceptatione Legis Civilis.

QUæſtio eſt utrum ad legem civilem neceſſaria ſit populi acceptatio, ut nempe vim obligandi obtineat. Duplex porro diſtinguitur modus, quo poſſit populus legem Principum non acceptare; vel, ut ajunt, duplex eſt non acceptatio, alia quæ fit quando populus legem reſpuit ſtatim atque promulgata eſt; alia vero quæ ex longa contravenientium deſuetudine derivatur. De iſta non acceptatione nulla plane difficultas eſt, ut enim mox a nobis obſervatum eſt, nihil impedit quominus lex quævis humana aut mera deſuetudine, aut contraria conſuetudine abrogetur. Quamobrem agitur de priori non acceptationis ſpecie, & quæritur, utrum lex ſæcularis Principum ita populorum acceptatione indigeat, ut ſi ab iis reſpuatur, nullam proinde obligandi vim retinere poſſit.

Non

Non deſunt inter Theologos & Juriſtas, qui contendant legem civilem neceſſario exigere populorum conſenſum & acceptationem, aut eam ſaltem, ut alii paulo mitiores docent, quæ a majori multitudinis parte data ſit; quæ ſententia, quoniam Scripturis manifeſte adverſatur, viamque ſternit populorum rebellioni, vehementer nobis diſplicet: quocirca ſit

Conclusio.

Leges civiles populorum acceptationem non exigunt, ſi nimirum latæ ſint in regimine aut Monarchico aut Ariſtocratico; neque enim quæſtio proponitur de legibus latis in regimine pure Democratico, in quo nimirum ſuprema poteſtas reſidet in populo.

Probatur vero ex iis Scripturæ teſtimoniis, quibus ſupra oſtendimus hanc ſupremam legum condendarum auctoritatem qua pollent Reges & alii Principes, ipſis a Deo fuiſſe collatam Prov. 8. *Per me Reges regnant*, inquit Dominus, *& legum conditores juſta decernunt*. Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi a Deo*. Et paulo poſt: *Ideo enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes: reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem*. Item I. Epiſt. Petri c. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, &c.* Quam quidem doctrinam tradiderunt unanimi conſenſu omnes Patres, quorum loca indicavimus in quæſtione mox citata.

Ex his autem abunde conficitur leges Principum neutiquam indigere populorum acceptatione, quia nempe hoc uno principio nituntur adverſarii, quod poteſtas Principum, vel etiam Regum in eos a populo immediate derivetur, quaſi Reſpublica ita poteſtatem præcipiendi tranſtulerit in Principem, ut ſibi facultatem non obediendi reſervaverit, quoties nimirum major aut ſpectabilior multitudinis pars judicaverit mandatum Principis non eſſe acceptandum; ſed aperte falſum eſt & erroneum hoc principium, ut clare demonſtratur ex præfatis Scripturæ locis; neque enim dici poteſt ab ipſis populis in Principes derivatam eſſe ſupremam imperandi & leges condendi poteſtatem; quandoquidem poteſtas illa qua pollent dicitur eſſe a Deo ſtabilita & ordinata; igitur leges civiles Principum in regimine Monarchico aut Ariſtocratico non egent populorum acceptatione, ut vim habeant obligandi.

Probatur inſuper ratione, 1. enim opinio illa adverſariorum viam ſternit rebellioni, nullam quippe legem in illa hypotheſi condere aut ſaltem imponere poterit Princeps qui Reipublicæ curam gerit, aut ſaltem nullam quæ vel minimum oneri ſit ſubditis, penes quos nimirum erit quamcunque legem reſpuere ſi libuerit; certum eſt enim omnem & quamcunque legem aliquid oneris habere, ſeu ad virtutem exercendam, ſeu ad vitium coercendum lata ſit, 2. quia ſi ad confirmandam vim legis & obligandi poteſtatem acceptatio populi requireretur, populus potiorem haberet partem in lege, tota enim vis legis ab eo penderet, abſurdum conſequens; ſi quæ ſit enim in Principe poteſtas, ſtat maxime in ordine ad legem ferendam, unde illud vulgare juris effatum, *Voluntas Principis legis habet vigorem*, 3. demum, quia in definitione legis de ejuſmodi acceptatione populorum nulla plane injicitur mentio, quin potius penes ſolos Principes eſſe legem condere ſublato populi conſenſu manifeſte declaratur, cum lex dicitur facta *ab eo qui curam habet communitatis*.

Objicies : Nonnulla leguntur in *jure* quæ manifeſte declarant leges humanas indigere populorum acceptatione, 1. enim Digeſt. lib. 1. titul. 3. qui eſt de legibus; lex a Papiniano definitur, communis Reipublicæ ſponſio qua ipſi conſentire, & in eam ſimul cum Principe conſpirare Reſpublica intelligitur, 2. ibidem lege 12. paragr. 1. ſic habetur, *Cum leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ ſunt*; 3. Lib. 1. Codicis tit. 14. qui eſt de legibus Principum, lege octava quæ incipit *Humanum eſſe*, Theodoſius & Valentinianus ſcribunt ad Senatum hanc in poſterum in legibus ſanciendis rationem eſſe ſervandam, ut res tum primum frequente Senatu portractetur, nec niſi ex omnium unanimi conſenſu feratur, 4. Decreti part. 1. diſt. 4. cap. *In iſtis*, leges inſtitui dicuntur cum promulgantur, firmari vero cum moribus utentium approbantur.

Reſpondeo ex iſtis aliiſque ſimilibus locis id unum colligi poſſe leges fieri & firmari, cum adjuncta populorum acceptatione; aliquando & in quibuſdam regnis, quando nempe ita placet Principibus voluntatem & conſenſum populorum ſequi, velut æquiſſimam legis condendæ rationem; quomodo interdum ſe ſe geſſerunt Imperatores Romani, ut populorum animos ſibi conciliarent, ab omni tyrannidis ſpecie eatenus recedentes: ſed inde non ſequitur ſupremam non eſſe in Principibus poteſtatem condendæ legis, quæ vim obligandi non obtineat niſi ſubditorum conſenſu & acceptatione firmetur.

Atque ita lex definitur a Papiniano *communis Reipublicæ ſponſio*, eo tamen ſenſu, quod ad hanc ſponſionem ſeu legem acceptandam Reſpublica plerumque conſtringatur, ſi voluerit Princeps.

Secundo, cum leges dicuntur uſu perfici, & judicio populi recipi, id intelligendum eſt, ita ut ad ejuſmodi uſum & acceptationem aſtringatur populus, nec poſſit ab illa lege deſueſcere niſi conſentiente Principe.

Tertio loco quod ponitur, ſignificat, ut dictum eſt, hanc legis condendæ rationem æquiſſimam viſam fuiſſe Theodoſio & Valentiniano, qui tamen nec ſibi nec aliis legiſlatoribus hujus conditionis onus impoſuerunt.

Denique quod additur ex decreto, adverſariis neutiquam favet, eſto enim firmentur leges, cum moribus utentium approbantur, tamen ante ejuſmodi uſum veræ ſunt leges, vere latæ, vim obligandi habentes, ut ibidem declaratus his verbis: *Leges inſtitui dicuntur, cum promulgantur*.

Neque in alium plane ſenſum locutus eſt Auguſtinus, cum lib. de vera Religione cap. 31. ſic habet: *Sicut in iſtis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent, cum eas inſtituunt, tamen cum fuerint inſtitutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas*. Ibi enim ſolummodo agnoſcit leges veluti firmius inſtitutas, cum uſu & conſuetudine roborantur, quod utique veriſſimum eſſe fatemur.

De Lege Eccleſiaſtica.

Circa leges Eccleſiaſticas hæc quæruntur. 1. Cujus ſit leges Eccleſiaſticas condere, num & id competat Laicis. 2. An & quomodo leges Pontificiæ promulgari debeant. 3. Utrum leges Eccleſiaſticæ actus etiam internos præcipiant. 4. demum, an liceat Clericis ditiones ſæculares poſſidere.

An leges Eccleſiaſticas condere competat Laicis.

Dupliciter intelligitur leges Eccleſiaſticas condendi poteſtatem competere Laicis Principibus; nimirum, vel ita ut novas leges in materia Religionis, ut & ipſi Eccleſiæ Prælati, ſan-

ſancire poſſint ; vel ſolum ita ut ea ſuprema qua pollent auctoritate, legum vel Divinarum vel Eccleſiaſticarum executionem ſuis decretis promoveant ; quid ſuper ea re ſentiamus mox aperiendum eſt.

Prima Conclusio.

Non licet ſæcularibus Principibus novas ferre leges de iis quæ ad Religionem Chriſtianam pertinent, adeoque nec de fidei quæſtionibus, nec de Sacramentis, nec de pœnis ſpiritalibus & canonicis. Siquidem hanc Eccleſiæ gubernandæ rationem & formam præſcripſit ipſe Chriſtus Dominus, qui fidei controverſiarum judices, adeoque legislatores inſtituit, ut condendi leges in materia fidei poteſtatem impertierit ſolis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis, ut manifeſte colligitur ex Matth. 18. cap. his verbis: *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo ; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Hic ſolos alloquitur Apoſtolos, non Laicos, non Principes ſæculares, quibus nullum unquam vel ſimile privilegium impertiit.

Atque id olim præfiguraverat inſigne Regis Oziæ exemplum, qui divinam ultionem expertus eſt, lepra nimirum ſubito correptus, quod ſumpto thuribulo incenſum coram Domino adoleviſſet, quanquam ab eo conſilio eum deterrere conatus fuiſſet Sacerdos, ut legitur lib. 2. Paral. c. 26. his verbis: *Non eſt officii tui, Ozia, ut adoleas incenſum coram Domino, ſed Sacerdotum hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad hujuſmodi miniſterium.* Sed ſi in Principes, qui in iis quæ cultus divini ſunt, ſacerdotale munus ſibi aſſumunt, ita excandeſcit Deus, quid in illos demum qui in materia fidei novas ſancire leges auderent?

Hæc porro certa fuit ſemper & conſtans omnium SS. Patrum doctrina ; rem confirmat univerſa Eccleſiæ praxis; id definitum eſt non ſemel a Conciliis, & agnoverunt ipſi Imperatores, qui non niſi legum ab Epiſcopis & Conciliis conditarum executioni promovendæ ſtuduerunt, ipſi vero novas ſanciendi auctoritatem ſibi nunquam arrogarunt ; cujus quidem diſciplinæ exempla huc adducere nihil neceſſe eſt, ne operam in re non neceſſaria collocemus.

Secunda Conclusio.

Licitum eſt Principibus laicis leges ferre quæ ad legum tum Divinarum tum Eccleſiaſticarum executionem promovendam dirigantur. Nititur primum hæc doctrina exemplis quorumdam Regum Juda, quorum hac in parte pietatem & ſollicitudinem commendant auctores ſacri. Lib. 1. Paralip. cap. 15. leges Moſis de cultu Dei ſervando exequendas præcipit piiſſimus David. Lib. 2. cap. 24. ſolemni decrero juſſit Joas, ut pecunia colligeretur ad inſtauranda Templi mœnia. Cap. 29. Ezechias abolitum Dei cultum aperto Templo reſtitutiſque Sacerdotibus inſtauravit, cap. 30. miſſis in omnem Iſrael & Judam nuntiis curavit, ut Phaſe & azymorum ſolemnitatem obſervarent. Lib. 4. Reg. c. 23. Joſias Rex ſanctiſſimus *juſſit Helciæ Pontifici & Sacerdotibus ſecundi ordinis, & janitoribus, ut projicerent de templo Domini omnia vaſa quæ facta fuerant & Baal & in luco univerſæ militiæ Cœli, & combuſſit ea foris Jeruſalem.*

In nova lege eandem curam & ſollicitudinem in religioſiſſimis Imperatoribus laudarunt Epiſcopi, vel ab illis aliquando ſumma vi & ſtudio efflagitarunt, ſeu de reſarciendo cultu divino ageretur, ſeu ad Canonum Eccleſiaſti-

corum

eorum executionem procurandam, ſeu ad profligandas hæreticorum novitates. Sic Conſtantius M. vel antequam Chriſto nomen dediſſet, ut emergente Donatiſtarum factione pacem Eccleſiæ conciliaret, Romanum indixit Concilium, ac poſtea dedit aliud Arelatenſe. In cauſa Arianorum Oſium Cordubenſem Alexandriam miſit, tum vero magnam Nycænam Synodum convocavit, ubi & ipſe adfuit pacis procurandæ cauſa. Audiendus ſuper ea re Euſebius lib. 1. de vita Conſtantini Magni cap. 44. *Verum*, inquit, *Eccleſiæ Dei præcipue curam gerens, cum per diverſas Provincias quidam inter ſe diſſentirent, ipſe velut communis omnium Epiſcopus a Deo conſtitutus Miniſtrorum Dei Concilia congregavit, nec dedignatus adeſſe & conſidere in medio illorum conventu, cognitionis particeps fuit, ea, quæ ad pacem Dei pertinent cunctis procurans.. Porro ſedebat in medio, tanquam unus e multis protectores quidem cunctoſque corporis cuſtodes procul amovens*.

Præclara ſunt quæ ſcribit Theodoſius junior in ſacra ad Cyrillum Epiſtola in Concilio Epheſino lecta. *Reipublicæ noſtræ conſtitutio*, inquit, *ea, quæ in Deum eſt pietate præcipue nititur; multaque inter hanc & illam cognatio & familiaritas intercedit. Nam & ex ſe invicem pendent, & utraque proſperis alterius ſucceſſibus incrementa ſumit, quandoquidem ut vera Religio juſta actione perficitur, ita Reſpublica utriuſque ope nixa floreſcit. Cum itaque Deus Imperii habenas nobis tradiderit, iiſque qui imperio noſtro parent, pietatis & ſecuritatis quoddam quaſi vinculum nos eſſe voluerit, harum inter ſe ſocietatem providentes, & hominibus medios nos præbentes, indivulſam perpetuo conſervare contendimus*. Et poſtea: *Ante omnia autem operam damus, ut Eccleſiaſticus Status ejuſmodi ſit, qui & Deum deceat & temporibus noſtris quam maxime congruat, idemque ex omnium concordia & conſenſione ſuam tranquillitatem obtineat, tum per Eccleſiaſticarum controverſiarum pacem a turbis & ſedisionibus liber exiſtat; tum demum ut pia Religio ab omni omnino nota & reprehenſione immunis perſeveret*.

Hanc vero Imperatorum curam ac veluti Paſtoralem ſollicitudinem magnificis paſſim laudibus cumularunt Epiſcopi, Concilia, & ſummi Pontifices; ſic Theodoſio v. g. poſt Synodum Epheſinam gratulatus eſt Cœleſtinus ſummus Pontifex in Epiſtola quæ legitur part. 3. ejuſdem Conc. cap. 21. *Vos Chriſto Deo noſtro auctore regnantes hoſtes impios fidei veſtra virtute viciſtis, cœleſtem revocantes triumphum, per quod religioſo munimen in perpetuum præſtetis imperio.. Vere enim Prophetica gloriæ veſtræ vox convenit, & regnum veſtrum dici poteſt regnum ſeculorum omnium, quod defenſæ fidei meritis propagatur*.

Occurrunt ejuſmodi Epiſtolæ apud S. Leonem qui zelum Imperatorum & ardorem ad exterminandas hæreſes ubique commendat, legi poſſunt Ep. ſt. 21. 26. 48. 60. ſic vero Epiſt. 75. ad Leonem Imperatorem cap. 3. *Apud Chriſtianiſſimum Principem*, inquit, *& inter Chriſti prędicatores digno honore numerandum utor catholicę fidei libertate, & ad conſortium te Apoſtolorum & Prophetarum ſecurus exhortor... debes incunctanter advertere regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſię prędidium eſſe collatam, ut auſus nefarios comprimendo, & quę bene ſunt ſtatuta defendas, & veram pacem his quę ſunt turbata, reſtituas*.

Sic S. Greg. M. Epiſt. 32. lib. 4. Mauritio Imperatori gratulatur, quod a Deo conſtitutus Dominus noſter *inter cęteras auguſtorum ponderum curas conſervandæ quoque ſacerdotali charitati rectitudine ſtudii ſpiritalis invigilabat, videlicet pie veraciterque conſiderans neminem poſſe recte terrena regere, niſi noverit divina tractare pacemque Reipublicæ ex*

uni-

univerſalis Eccleſiæ pace pendere. Quibus omnibus alia pene ſimilia, vel etiam luculentiora paſſim videre eſt in ſynodalibus Epiſtolis, quæ ſingula hic exſcribere longum ſane foret atque moleſtum.

An & quomodo promulgari debeant Leges Pontificiæ.

Leges Pontificias, hoc eſt, Conſtitutiones ſummorum Pontificum, de quibus hic movetur quæſtio, promulgandas eſſe, ut vim legis habeant, ex iis abunde conficitur, quæ ſuperius adducta ſunt, cum oſtendimus legem omnem in univerſum debere prius promulgari & innoteſcere, quam ſubditorum conſcientiam ligare cenſeatur. Quamobrem quæſtio eſt de modo quo fieri debeat iſthæc legum Pontificiarum promulgatio; an videlicet ſufficiat eas in Romana Curia publicatas fuiſſe; an vero per ſingulas Provincias inſuper promulgari debeant. Priorem partem tenent Joannes Andreas gloſſæ in Decretales auctor, Navarrus, Azor, Vaſquez, & plerique ex Italia Auctores Romanæ Curiæ plus æquo addicti; contrarium vero docent Panormitanus, Dominicus Soto, Cajetanus & omnes fere Galli, Germani & Hiſpani cum Illuſtriſſimo Petro de Marca, cui nos majori ex parte eorum collectionem debemus, quæ ſumus modo in ejuſdem ſententiæ defenſionem adducturi.

CONCLUSIO.

Leges Pontificiæ, ut & aliæ quæcunque per ſingulas orbis univerſi Provincias publicari debent, nec ſufficit promulgatio, quæ fiat in Curia Romana.

Id autem potiſſimum oſtenditur ex conſtanti & perpetua Eccleſiæ praxi, quæ docet hanc ſemper & ubique fuiſſe Epiſcoporum conſuetudinem, ut omnium legum & ſanctionum etiam in Conciliis generalibus editarum promulgatio per omnes Provinicias illico procuraretur.

Sic enim, ut ordiamur ab ipſis Apoſtolis, legimus Act. 15. ubi primum coacto Jeroſolymis Concilio ſtatuerunt Chriſtianos lege Moſis non ligari, ſolemne hocce decretum eos confeſtim miſiſſe his qui erat Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, per Judam & Silam viros primos in fratribus; rati ſunt nimirum ſatis non eſſe, ſi ejuſmodi ſanctio publicata eſſet Jeroſolymis.

Tertullianus eo modo loquitur lib. de pudicitia cap. 1. de Zepherini Romani Pontificis edicto, quo mœchis pœnitentia functis veniam indulgebat; ut aperte ſignificet illud edictum fuiſſe ad omnes orbis Chriſtiani partes miſſum, ubique publicatum, & valvis Eccleſiarum affixum.

Arelatenſe Concilium primum, quod habitum eſt anno 314. ex omnibus Imperii Conſtantini Provinciis ad compeſcendam Donatiſtarum factionem: curavit ſedulo ut per Sylveſtrum ſummum Pontificem de ſuo decreto certiores fierent omnes Chriſtiani, quemadmodum patet ex Epiſtola ejuſdem Concilii ad Sylveſtrum: *Placuit etiam*, inquiunt Patres, *a te qui majores Diœceſes tenes, per te potiſſimum omnibus inſinuari.*

In eundem finem magna Nicæna Synodus ſuis litteris ad Ægyptios & cæteros Epiſcopos qui cœtui non interfuerant præſcriptis, quæ decreta fuerant ſignificavit, *Eaque litteris*, inquiunt in Epiſtola ſynodica, *ad vos præſcribere neceſſarium viſum eſt, ut intelligere poſſitis, cum quæ ibi in quæſtionem & diſquiſitionem vocata, tum quæ decreta ſancitaque ſunt*. Cæteris enim Provinciis decreta per eos Epiſcopos tranſmiſſa ſunt qui Concilio intererant, ut perſpicuum eſt ex Catalogo quem ea de re texuit Gelaſius Cyzicenus lib. 3. cujus inſcriptio hæc eſt, *Catalogus ſanctorum Epiſcoporum per quos ſancta, magna & uni-*

univerſalis Synodus Nicææ coacta miſit omnibus in toto orbe terrarum Dei Eccleſiis ea quæ ab ipſis per Spiritum Sanctum in ea conſtituta ſunt.

Item, & Synodus Sardicenſis Julium Romanum Epiſcopum rogavit, ut pari cura per omnes Provincias definitiones Concilii publicaret, ſic vero mentem ſuam explicant Epiſt. ſynod. ad Julium: *Tua autem excellens prudentia diſponere debet, ut per tua ſcripta, qui in Sicilia, in Sardinia & in Italia ſunt fratres noſtri, quæ acta ſunt & quæ definita cognoſcant, & ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, quos extra Epiſcopatum juſta ſententia declaravit.*

Præclara ſunt & ad rem maxime pertinentia, quæ ſcribit Hilarius in fragmentis, verba faciens de Epiſcopis Occidentalibus qui Photinum Syrmienſem ob renovatam Pauli Samoſateni hæreſim proſcripſerant; *Decretum*, inquit, *ab Occidentalibus, ſicut mos poſcebat, ad Orientales mittitur, non injuria extorquendi, ut nunc agitur, aſſenſum, ſed inſtruendæ univerſorum conſcientiæ conſuetudine.*

Idem exequuntur Patres Epheſini Epiſtola ad ſingularum Provinciarum & Civitatum Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & univerſum populum data, *Quoniam autem*, inquiunt, *oportebat & abſentes a ſancta Synodo moranteſque in Urbibus & Provinciis ob aliquod impedimentum ſive Eccleſiaſticum, ſive corporeum, non ignorare quæ de ipſis ſunt conſtituta.*

Extant vero hac de re duo expreſſiſſima Conciliorum generalium ſtatuta, quæ videlicet Canonum promulgationem per omnia loca neceſſariam præcipiunt. Primum eſt Concilii Lateranenſis IV. ſub Innocentio III. ubi cum Patres medicis injunxiſſent infirmos commonefacere, ut tum primum in morbo medicos animarum advocent, & ſuæ ſaluti æternæ conſulant, ſic addunt cap. 22. *Si quis autem medicorum hujus noſtræ Conſtitutionis poſtquam per Prælatos locorum fuerit publicata, tranſgreſſor extiterit, tandiu ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, donec pro trangreſſione hujuſmodi ſatisfecerit competenter.*

Alterum eſt Concilii Tridentini hoc idipſum vel expreſſius præſcribentis ſeſſ. 24. de reformatione matrimonii cap. 1. ſub finem, his verbis, *Ne vero hæc tam ſalubria præcepta quamquam lateant Ordinariis omnibus præcipit, ut cum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in ſingulis ſuarum Diœceſum Parochialibus Eccleſiis, idque in primo anno quam ſæpiſſime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit inſuper, ut hujuſmodi decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerando.*

Ex quibus intelligi poteſt hanc perpetuam fuiſſe Eccleſiæ praxim & Doctrinam, ſtatuta ab ipſis Conciliis edita prius vim legis non obtinere quam per ſingulas locorum Provincias publicata fuerint.

Eandem porro rationem de ſuis Conſtitutionibus promulgandis ſecuti ſunt Romani Pontifices, ut ex nonnullis inter cætera exemplis patefiet.

Siricius in Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem, cujus conſultationibus reſpondet, illi dat in mandatis, ut hæc ſua decreta ad aliarum Hiſpaniæ Eccleſiarum Epiſcopos mittat, ne ſcilicet ignorantiam juris iſtius prætexere poſſent: *Et hæc*, inquit, *ad tua conſulta reſcripſimus, ut in omnium Coepiſcoporum noſtrorum perferri facias notionem, & non ſolum eorum qui in tua ſunt Diœceſi conſtituti, ſed etiam ad univerſos Carthaginenſes, Bæticos, Luſitanos, atque Callaicos, vel eos qui vicinis collimitant hinc inde Provinciis, hæc quæ a nobis ſunt ſalubri ordinatione diſpoſita, ſub litterarum tuarum proſecutione mittantur. Et quanquam ſtatuta Sedis Apoſtolicæ,*

ſtolicæ, vel Canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum ignorare ſit liberum, utilius tamen & pro antiquitate Sacerdotii tui dilectioni tuæ admodum poterit eſſe glorioſum, ſi ea quæ ad te ſpeciali nomine generaliter ſcripta ſunt, pro unanimitatis tuæ ſollicitudine in univerſorum Fratrum noſtrorum notitiam perferantur; quatenus & quæ a nobis non inconſulte, ſed provide & ſub nimia cautela & deliberatione ſunt ſalubriter conſtituta, intemerata permaneant, & omnibus in poſterum excuſationibus aditus, qui apud nos nulli patere poterit, obſtruatur.

Sane adeo erat neceſſaria decretorum Siricii per Provincias promulgatio, inquit Marca, in eo ſaltem jure quod novum condebat, nempe de Sacerdotum dejectione qui ab uxoribus non abſtinebant, ut Innocentius de hoc capite ab Exuperio Epiſcopo Toloſano conſultus, reſcripſerit diſparem eſſe conditionem illorum ad quos pervenit forma Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ ab Epiſcopo Siricio per Provincias commeavit, & eorum qui formam vivendi a Siricio miſſam ſciviſſe deteguntur: *Illis enim*, inquit Innocentius Epiſt. ad Exuperium, *ignorationis venia remittetur, ita ut de cætero penitus incipiant abſtinere, hi autem ſunt omnibus modis ſubmovendi.*

Ad hac conſuetudine apud Romanos Pontifices uſitata manat, quod Zozimus ſcribit Epiſtola ad Epiſcopum Arelatenſem; cum enim ſtatuiſſet ut ſine illius Epiſcopi formata Epiſtola nullus Clericorum e Galliarum Provinciis Romam veniens in communionem Romani Pontificis ſuſciperetur, decretum ſuum publice per Provincias propoſuit his verbis, *quam auctoritatem ubique nos miſiſſe manifeſtum eſt, ut cunctis regionibus innoteſcat, id quod ſtatuimus omnimodis eſſe ſervandum.*

Item S. Leo Romanus Pontifex ſic ad Theodorum Forojulienſem ſcribit Epiſtola quæ eſt 82. *Hæc autem quæ ad interrogationem tuam reſpondi, ne aliquid contrarium ſub ignorantiæ excuſatione generetur in Metropolitani tui notitiam facias pervenire, ut ſi qui forte ſunt fratrum, qui de his antea putaverint ambigendum, per ipſum de omnibus quæ ad te ſcripta ſunt, inſtruantur.* Quibus, ut ego quidem exiſtimo, nihil ad præſentem controverſiam accommodatius adduci poteſt.

Ad cujus tamen veritatis confirmationem merito ſubjungimus in omni Imperio hanc fuiſſe Principum curam & ſollicitudinem ut per omnia tuarum ditionum loca leges a ſe latas publice proponerent; eo præciſe quod ſatis non ſit eas tantummodo in aula promulgari; neque enim gravius eſt atque moleſtius jugum Eccleſiæ quam Principum ſecularium, cum Chriſtus dixerit, *Jugum meum ſuave eſt, onus meum leve.* Id porro ubique ſemper in more poſitum fuit. Apud Græcos leges conditæ a Principibus publice proponebantur, & tabulis columniſque affigebantur. Quoad Romanos attinet extat apud Juſtinianum novella Conſtitutio quæ eſt 66. modumque præſcribit legum publicandarum, earumque vim cohibet, donec per promulgationem omnibus innotuerint.

Atque idem plane mos nunc obtinet in hocce noſtro Galliarum regno quoad Regum noſtrorum edicta, quæ primum ad varia regni Parlamenta mittuntur, & deinde ad Seneſchallos, qui promulgationi promovendæ in minoribus Civitatibus quibus præſunt, incumbant; eo nimirum animo, quod qui legum ſententiam ignorant, nulla religione ad earum obſervationem teneri poſſint.

Objicies: Multa ſunt quæ in Galliis vim legis obtinent, tametſi non fuerint promulgata; ſic, v. g. Decretum Gratiani; libri quinque Decretalium a Gregorio nono collectarum; Sextus Bonifacii, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII. ex quibus ſimul coalitis componitur Jus Canonicum; quin & ejuſmodi

modi decretales in Scholis publice leguntur, & in diſputationibus etiam apud Theologos citantur tanquam vim & pondus habentes; unde ſequitur manifeſte eas vim legis obtinere.

Reſpondeo ejuſmodi collectiones quibus novum comprehenditur Jus Canonicum, neutiquam legis loco haberi apud nos, niſi forte, ex iis monimentis nonnulla in regno propter aliquam peculiarem cauſam de mandato Principis & publica auctoritate promulgata fuerint; quid enim tandem ſit hæc collectio & qua ratione velut jus quoddam novum prodierit, nullus plane ignorat. Poſt varias Canonum Eccleſiaſticorum tum in Oriente tum in Occidente in variis ætatibus adornatas, Gratianus circa annum 1150. collectionem tam Dionyſii Exigui quam Iſidori, & Ivonis in partes diſſectam in unum corpus compegit, noviſque Pontificum Conſtitutionibus, cum multis & Patrum & Conciliorum locis propria auctoritate amplificavit; idque appellatur Decretum Gratiani. Succeſſit Gregorius Papa IX. qui circa annum 1236. alias Epiſtolas ſummorum Pontificum ab ætate Gratiani ſcriptarum ſimul collegit diviſitque in quinque libros. Gregorium imitatus Bonifacius VIII. ſextum addit librum Decretalium, qui propterea dici ſolet Sextus Bonifacii. Clementinæ ſunt decreta Concilii Viennenſis, ſic dictæ quia potiſſimum factæ a Clemente V. hujus Synodi Præſide. Denique eſt alia collectio Extravagantium, quæ ſic dicuntur quod ſint extra Gratiani Decretum & ſex libros Decretalium, dupliciſque ſunt generis, aliæ Joannis XXII. aliæ communes, quia non unius ſed & aliorum ſunt ſummorum Pontificum.

Ex his facile colligitur quo quidem in pretio habeantur ejuſmodi collectiones, quamve auctoritatem obtineant in regno noſtro; ſcilicet, quoniam a regula noſtra non deflectimus, vim legis ſortiuntur eæ Conſtitutiones præfatæ collectionis, quæ cum moribus noſtris conſentientes auctoritate Principis in varias regni partes promulgatæ ſunt. Quocirca Auctorum teſtimonia, quæ in *Decreto* collecta reperiuntur privato Gratiani ſtudio, non aliam auctoritatem habere poſſunt quam apud proprios Scriptores. Quo quidem inniti fundamento ſingularem fatemur Extravagantium eſſe rationem, cum a Pontifice Gallo Clementis V. ſucceſſore editæ ſint, Avenione promulgatæ, atque ut plurimum a Gallis acceptæ, quod idem ferri poteſt judicium de Clementinis, quæ quidem editæ ſunt in Concillio Viennenſi, a Gallis proinde, apud quos Vienna ſita eſt, promulgatæ & acceptæ.

Hæc porro regula quæ certa & inconcuſſa tenetur in Regno, ut ſcilicet nullæ Romanorum Pontificum Conſtitutiones vim legis obtineant apud nos, quin prius publica Principis auctoritate fuerint promulgatæ, ſit vero in poteſtate Principis eas non approbare, nec ſinere ut publicentur; eo maxime nomine juſta & legitima reputari debet; quod aliter pleriſque his Curiæ Romanæ Conſtitutionibus multa Regis & Regni, vel etiam Eccleſiæ Gallicanæ jura violarentur. Unde, inquit Suarez lib. 4. de Legibus, quia ſcientia univerſalis Papæ non poteſt ad particularia cujuſque Regni extendi, cum fertur a Pontifice Conſtitutio, quæ cum patriis legibus non conſentiat, commonefactio de re decerni debet ad Pontificem.

Neque eſt quod mos iſte ab omni ævo in Galliis uſitatus quemquam moveat Curiæ Romanæ plus æquo addictum; ſiquidem hujus publicæ & authenticæ promulgationis defectu nec ipſa Conciliorum generalium decreta loco legis admittuntur, in quem ſenſum Concilium Tridentinum dici ſolet nondum a Gallis receptum, quia nimirum ea qua pollent auctoritate, noluerunt Reges Chriſtianiſſimi, ut illius Synodi decreta, ad negotium diſciplinæ Eccleſiaſti-

cæ

cæ pertinentia, in Regno promulgarentur.

Eſt tamen notatu dignum pleraſque & præcipuas Concilii Tridentini Sanctiones, etiam apud nos obſervari & vim legis obtinere, non quod a Concilio Oecumenico manaverint, ſed quia eædem leges in Regiis Conſtitutionibus latæ ſunt, quale eſt quod in Bleſenſi contractum matrimonii ſpectat; ſicut & alia capita quæ Gallicanæ Eccleſiæ receptos mores & jura antiqua non infringunt.

Atque hoc non ita interpretari oportet, ac ſi contumaci animo Concilii Tridentini decreta reſpuant Principes noſtri, cujus nempe placita & auctoritatem religioſiſſime colunt: quin potius ita ſe gerere voluerunt in regno, ne quid introduceretur quod cum libertatibus Gallicanis cohærere non poſſet. Quocirca, inquit Marca, Concilii Tridentini publicatio dilata eſt ad concordiam alendam, quæ ſi alia ætate alios mores poſtulet, integrum erit Regibus noſtris ea de re, quæ uſui futura erunt, decernere.

Hujus Regum noſtrorum conſenſus neceſſitas tum prius agnita fuerat occaſione decretorum Concilii Baſileenſis, quod apud Gallos Concilii generalis nomine cenſebatur; ſiquidem noſtrates Epiſcopi Carolum VII. de recipiendis Synodi decretis vehementiſſime ſollicitarunt; ea vero poſt maturam deliberationem, & cum intellexiſſet Rex Chriſtianiſſimus ejuſmodi ſtatuta cum Gallicanæ Eccleſiæ libertatibus recte cohærere poſſe, celebri illa *Pragmatica Sanctione* confirmavit, quæ Concilii Baſileenſis capitibus vim legis publicæ addidit.

Ad hanc demum diſputationem illuſtrandam adduci merito poteſt, quod anno 1629. die Decemb. 1. a ſacra Facultate Pariſienſi ſtatutum eſt, ut initio cujuſcunque actus jurejurando quilibet propugnaturus ſeſe obſtringeret, nihil unquam ſe dicturum aut ſcripturum adverſus Conciliorum & ſummorum Pontificum decreta; ſed cum ejuſmodi ſacramentum viſum eſſet nonnullis eo nomine moleſtum, quod plura ſunt ſtatuta tum Conciliorum tum Pontificum in Galliis minime recepta, ut religio hæc ſubduceretur, declaratum eſt hoc juramento ea non comprehendi quæ Eccleſia noſtra nondum probavit.

At, inquies, Jus illud Canonicum ex ſummorum Pontificum Decretalibus compactum, ut & ipſum Gratiani Decretum in multis hujus Regni Scholis prælegitur, in publicis diſputationibus ab unoquoque in præſidium ſuæ cauſæ adducitur, tum denique & frequenter apud ſumma Curiarum Tribunalia laudatur a Cauſidicis; ergo pondus & auctoritatem in Regno vimque legis obtinet.

Nego conſeq. Eſto enim qualecunque pondus habeat aliqua Romani Pontificis Conſtitutio, cum de aliquo Eccleſiaſticæ diſciplinæ capite aſſerendo agitur; adeoque citari poſſit nonnunquam in alicujus veritatis confirmationem, quo fere pacto auctoritas divi Thomæ vel alterius ſimilis ſolet plerumque in rebus Theologicis proferri; Negamus tamen ejuſmodi Conſtitutionem, antequam publica Principis auctoritate promulgetur, vim legis in regno obtinere poſſe. Hæ porro Decretales publice leguntur in Scholis, non quod ut veræ leges habeantur, ſed ut plenius uberiuſque omnia quæ ad Jus Canonicum pertinent, ſtudioſis ſubminiſtrentur, ut olim ſignificavit Rex Chriſtianiſſimus Philippus Pulcher, in Epiſtola qua Aurelianenſi Academiæ dotes nonnullas impertiit: *Non putet aliquis*, inquit, *nos recipere vel progenitores noſtros recepiſſe conſuetudines quaslibet ſive leges, eo quod in diverſis locis & ſtudiis Regni noſtri per Scholaſticos legi ſinuntur; hæ namque eruditioni & doctrinæ proficiunt, licet receptæ non fuerint.*

Inſtabis: Cum ſummus Pontifex ſit in univerſa Eccleſia caput & ſupremus rector, non videtur quo fundamento ipſi denegetur poteſtas condendi leges, quæ

univerſum orbem Chriſtianum ligare poſſint, in rebus nimirum Eccleſiaſticis. Adde quod illa ſententia, quæ ad prætenſas libertates Gallicanas conſervandas conſtanter a Gallis propugnatur, neutiquam ipſis Romanis Pontificibus probatur.

Reſpondeo abunde, ut puto, ſuperius oſtenſum eſſe & demonſtratum invictiſſimis argumentis, hanc ſupremam condendi leges auctoritatem non competere ſummis Pontificibus, quæ nimirum obligent ante publicam promulgationem Regis nomine factam: unde nihil eſt quod nobis hæc ſumma Pontificis auctoritas obtrudatur; ita enim ſumma eſt, ut non ſit plane immenſa, aut nullis circunſcripta limitibus; quin potius ea vel maxime antiquorum Conciliorum ſtatutis, & uniuscujusque Regni receptis moribus finita.

Neque ab illa, quæ apud nos fundatiſſima eſt, doctrina, ſemper receſſerunt ſummi Pontifices, quin potius huic ultro aſtipulatus eſt Leo X. qui Concordata cum Franciſco primo inita non niſi poſt publicam promulgationem & Parlamentorum acceptationem, vim ſuam habitura conſenſit, ſpecialiter *Regiæ acceptationis* mentione habita. Quibus adde invaluiſſe ante pacta illa publica hanc opinionem in Regno, ut graviſſimi tum in Theologia tum in Jure Scriptores profitentur, qui nulla unquam cenſura hac in parte perſtricti ſunt, atque inſuper ut colligitur ex conventu Bituricenſi & Pragmatica Sanctione.

Inſtabis: Nonnulla ſunt, quæ quoniam a Concilio Tridentino definita fuerunt, obſervantur in Regno vimque legis habent, quantumvis auctoritate regia non fuerint promulgata; ejusmodi ſunt ea quæ ſpectant reductionem impedimentorum matrimonii, quæ quidem ad numerum longe minorem & arctiorem contraxit Synodus; tum vero ea quæ ad irregularitates, ſuſpenſiones, & caſus reſervatos attinet, ubi videlicet facultas de illis diſpenſandi conceditur Epiſcopo; igitur neceſſaria non eſt promulgatio.

Reſpondeo univerſam populorum acceptationem, quæ ſcilicet tacitum involvit Principis conſenſum, vel locum tenere promulgationis, vel ſaltem paris eſſe cum promulgatione roboris; cum præſertim agitur de ſtatutis Conciliorum quæ legem oneroſam revocant, jurique communi reſtituendo conſulunt; unde fluxit commune illud effatum in Jure, In favorabilibus neceſſaria non eſt promulgatio. Jam vero capitibus mox laudatis, & leges oneroſas revocavit Synodus Tridentina, ut per ſe patet, & jus commune Epiſcopis antea ſubductum reſtituit.

Inſtabis: Romæ ſolum, nec in alia orbis Chriſtiani Civitate promulgatur celeberrima illa Conſtitutio quæ dicitur *Bulla in Cœna Domini*, quod in die Cœnæ Domini quotannis Romæ publicetur; hac autem Bulla anathemati ſubjiciuntur, quicunque rerum Eccleſiaſticarum juriſdictionem ad ſe trahunt, etiam prætextu *gratiarum illis conceſſarum*; Igitur cujuslibet legis Eccleſiaſticæ neceſſaria non eſt promulgatio.

Reſpondeo illam Conſtitutionem nullius plane roboris eſſe in hoc regno propter rationes ſuperius adductas, quibus nempe oſtendimus nullam legem apud Gallos vim obtinere, quin prius Regis auctoritate fuerit promulgata. Quibus addo nimis probare, ut ajunt, qui hujus Bullæ auctoritatem vindicare conantur; inde enim ſequeretur & noſtros Reges anathemate percelli, ſi in juriſdictionem Eccleſiaſticam vel ad minimum involent; quod quidem privilegia Regum noſtrorum & ab ipſa Romana Sede conceſſa & longo uſu firmata penitus evertit: Scilicet Galliam diſerte excipit Clemens V. a qualibet excommunicationis ſententia, niſi ea nominatim deſignetur.

Obji-

Objicies: Nunc invaluit Eccleſiæ conſuetudo, ut qui ab aliqua privatæ Eccleſiæ communione pulſus fuit, habeatur pro excommunicato ubique & in omnibus Provinciis, ut traditur Decreti 2. p. cauſa 11. q. 3. cap. *Si quis*, ubi ſic habetur: *Si quis a proprio Epiſcopo excommunicatus eſt, nec eum debere ab aliis ſuſcipi, niſi a ſuo fuerit receptus Epiſcopo*. Ad cujus conſuetudinis probationem adduci poteſt quod ſcribit Innoc. III. de poſtulat. Prælat. cap. 1. lib. Decret. 1. titul. 5. cum lex ſolemniter promulgata fuerit, non eſſe neceſſe, ut ſpeciali mandato auribus ſingulorum inſinuetur.

Reſpondeo vitari non poſſe ſemel excommunicatos privata alicujus Epiſcopi ſententia, niſi ab iis qui de hac excommunicatione certiores facti ſunt; quapropter ea ſemper viguit in Eccleſia conſuetudo, ut ſi quis a communione Eccleſiaſtica ejiceretur, Epiſcopus a quo pulſus fuerat, alios per litteras admoneret, ut patet ex Concil. Epheſ. Can. 1. ex Concil. Arauſ. an. 441. Can. 11. ex Turonenſi 2. an. 567. Can. 8. Quin etiam, ut obſervat doctiſſimus Marca, tempore Ivonis excommunicatus ab uno Epiſcopo, a cæteris Epiſcopis erat excommunicandus, ut omnibus nota eſſet lata in reum ſententia: *Sic enim*, inquit Ivo Ep. 76. *antiquitus eſt inſtitutum, & nuper in Arvernenſi Concilio omnium Epiſcoporum qui aderant conſenſu confirmatum, ut ab uno Epiſcopo quemlibet pro injuriis Eccleſiaſticis excommunicatum vicini quoque Epiſcopi excommunicent*.

Tantum abeſt vero, ut adverſus noſtram ſententiam quidquam habeat virium Innocentii III. teſtimonium, quin potius omnino & aperte nobis favet; ait enim *cum lex ſolemniter promulgata fuerit*, neceſſe non eſſe, ut ſpeciali mandato auribus ſingulorum inſinuetur. Ubi duo ſunt apprime notanda, 1. de ſingulis hominibus loquitur non autem de Provinciis, nemo vero noſtrum docuit unquam eam legis promulgationem eſſe neceſſariam quæ omnium & ſingulorum aures tangeret. 2. manifeſte ſupponit Innocentius legem ſolemniter promulgatam fuiſſe.

Quibus & alia duo minime ſpernenda ſubjungi poſſunt, 1. Nimis probari hoc argumento adverſus noſtram concluſionem, probaretur enim neque etiam exigi promulgationem quæ fiat Romæ, quod quidem nec ipſi volunt adverſarii. 2. Quæſtionem hic propoſitam eſſe ſolummodo de legibus Eccleſiaſticis quæ ad univerſam Eccleſiam dirigantur, qualis profecto non eſt privata quædam cenſura ab aliquo Epiſcopo facta.

Utrum per Leges Eccleſiaſticas actus interni præcipiantur.

INter Theologos affirmant nonnulli leges humanas perinde præcipere & prohibere poſſe actus internos, qui ſcilicet interius in corde & animo conſummantur, ut & externos qui exterius manifeſtantur; unde, inquiunt, per legem humanam Eccleſiaſticam præcipitur attentio in recitandis Horis Canonicis; hanc ſententiam, ut refert Vaſquez in 1. 2. diſput. 160. docuerunt Adrianus quodlib. 8. art. 1. Albertus Pighius lib. 6. Hierarc. Eccleſiaſt. cap. 26. & Joannes Medina c. de Oratione qu. 15.

Verum oppoſita ſententia ab aliis univerſim defenditur, qui nimirum dicunt nullum legiſlatorem etiam Eccleſiaſticum poteſtatem habere in actus omnino internos, ſi nempe in ſe, directe, & præciſe ſpectentur, prout interni ſunt; ita S. Thomas q. 91. art. 4. & q. 100. art. 9. Durandus in 4. diſt. 17. q. 8. & diſt. 15. q. 12. Palud. in 4. diſt. 17. q. 7. & diſt. 15. q. 5. art. 2. Gabriel in Can. lect. 62. Gerſon. lect. 4. de vita ſpirituali coroll. 1. & 2. Anton. 3. p. tit. 24. Angelus verbo *hæreticus*.

Sylveſter verbo *excommunicatio*. Joannes Driedo lib. 3. de libert. Chriſt. cap. 5. Cajetanus in ſumma verbo *hæreſis*. Alphonſus de Caſtro. Dominicus Sotus & Navarrus qui ab eodem Vaſquezio citantur, & quorum ſententiam nos amplectimur.

CONCLUSIO.

Actus interni, qui nempe interius in mente & corde conſummantur, ſi per ſe & præciſe ut interni ſpectentur, non cadunt ſub lege humana.

Et ratio eſt quia legislator non poteſt præcipere aut prohibere actus, de quibus ſententiam ferre non poteſt: atqui homo ſententiam ferre non poteſt de actibus internis: de iis enim homo judicium ferre non poteſt quæ ſcire nequit, nec vel minima conjectura inveſtigare: ſed ejuſmodi ſunt actus interni, ſeu ſenſus interiores cordis humani, quando nempe nullo ſigno ſenſibili manifeſtantur; non eſt enim hominum, ſed ſolius Dei ſcrutari corda & renes; unde fluxit vulgare iſtud axioma, De internis non judicat Prætor: igitur lex humana vel etiam Eccleſiaſtica non fertur de actibus internis prout interni ſunt.

Objicies: Lege Eccleſiaſtica præcipitur fidelibus, ut quotannis confiteantur omnia peccata mortalia etiam occulta & ſolius cordis & cogitationis: Sed ejuſmodi lex, ut per ſe patet, ad actus pure internos dirigitur, nempe ad peccata cordis: Igitur lex humana quandoque decerni poteſt de actibus pure internis.

Neg. min. Lex quippe Eccleſiaſtica de confeſſione annua id unum præcipit per ſe & directe quod exterius manifeſtatur, puta ut unuſquiſque inter Chriſtianos ſemel in anno peccata ſua confiteatur coram Sacerdote, unde objectum proprie loquendo hujus legis eſt exterior peccatorum confeſſio; ſint autem ex illis peccatis declarandis quædam pure interna, in corde ſcilicet hominis commiſſa, nihil omnino refert, quia non ſunt objectum legis Eccleſiaſticæ, ſed ipſa exterior peccatorum declaratio, hæc ſola ex jure humano pendet. Scilicet id ſolum ab hominibus cognoſci poteſt, an Chriſtianus peccata ſua confeſſus fuerit, ſciri vero a nemine poteſt an quædam peccata cordis omiſerit; quo fit ut nulla pœna pro peccatis cordis in confeſſione Sacramentali minime declaratis infligi poſſit. Quibus adde nec ipſam confeſſionem Sacramentalem, in ſe præciſe, ut confeſſio eſt peccatorum, pertinere ad legem Eccleſiaſticam, ſed tantum ut annua eſt; Chriſtus enim inſtituit confeſſionem, & Eccleſia præſcripſit ut quotannis fieret; ut fuſius oſtendetur in Tractatu de Sacramentis.

Objicies: Sunt leges Eccleſiaſticæ, quibus præcipitur attentio in recitandis Horis Canonicis, id legitur in cap. *Dolentes*, *de celebratione Miſſarum*; ſed ejusmodi attentio eſt actus internus; igitur actus interni plerumque præcipiuntur lege humana.

Diſt. maj. Quibus præcipitur attentio in recitandis Horis Canonicis conſequenter ad præceptum divinum & virtute ipſius præcepti divini, C. quaſi virtute ipſius legis humanæ & Eccleſiaſticæ præcipiatur, N. ſcilicet præcipitur attentio interior in recitatione Horarum, quia nimirum jure divino præcepta eſt oratio; & iterum jure divino attentiorem expoſcit oratio; quare cum Eccleſia præcipit orationem exteriorem, conſequenter ad jus divinum injungit eam debere fieri cum attentione.

Huic autem dudum tritæ apud Theologos difficultati reſpondent alii, virtute præcepti humani prohiberi ſolam diſtractionem externam, & præcipi contra exteriorem & modeſtam attentionem; unde ſequitur lege humana & Ec-

Eccleſiaſtica primo per ſe & directe non præcipi actum interiorem.

Objicies: Eccleſia diſpenſare poteſt a votis interius emiſſis; ergo verſari poteſt circa actum internum.

Reſpondeo leges Eccleſiæ cadere poſſe in vota interius emiſſa, ſi exterius prodeant, uti reapſe prodeunt quando proponuntur & explicantur, non autem ſi omnino interius maneant; ſic enim de iis Eccleſia judicare non poteſt, nec ad ea cogere.

Reſpondet Vaſquez poſſe ſimiliter Eccleſiam diſpenſare a voto aut illud commutare, quando omnino interius manet: Poteſt enim, inquit, Superior ſub conditione dicere, Si tale votum emiſiſti, ego diſpenſo tecum aut illud commuto. Ratio autem diſcriminis inter hæc duo eſt, quia diſpenſatio fit ab eo qui habet poteſtatem nomine Dei remittendi verbum promiſſionis; hoc autem fieri poteſt etiamſi votum non innoteſcat, veluti quiſque poſſet juramentum factum in ſuam utilitatem ab altero ei remittere, etiamſi omnino interius & in corde factum eſſet, neque enim ut Superior votum impediat vel immutet, neceſſe eſt ut prius illud votum ſciat: at vero ut jubeat actum, & de illo legem ferat, oportet ut de illo poſſit judicare & ad illum cogere; & ideo irritare ſeu commutare poteſt interius votum; at vero præcipere aut vetare nequit opus interius, quia nec de illo judicare, nec ad illud cogere poteſt.

Objicies: Plurimis Conciliorum definitionibus anathematizantur, qui crediderint contra id quod ibi definiunt; ergo pro ſolo peccato interius admiſſo infligitur excommunicatio. Quamobrem ſi quis corde tantum habuiſſet hæreſim & illam deinde ore confiteretur, profecto puniretur tanquam hæreticus, proindeque lex humana poteſtatem habet in actus interiores.

Reſpondeo in illis Canonibus & Decretis Conciliorum, in quibus ſententia excommunicationis fertur in eos qui contrarium crediderint, non pronuntiari ſententiam in hæreticos, qui corde ſolum & interius conceperunt, ſed in eos tantum qui aliquo ſigno aut opere animum infidelitatis manifeſtaverint, is enim tanquam hæreticus pœnam excommunicationis incurrere non poteſt, qui non cognoſcitur eſſe hæreticus: ſed niſi quis hæreſim ſuam aliquo ſigno externo manifeſtaverit, non cognoſcitur eſſe hæreticus; ergo tanquam hæreticus pœnam excommunicationis incurrere non poteſt.

Quamobrem falſum eſt eum tanquam hæreticum eſſe puniendum, qui hæreſim ſuam in ſolo animo retinuerit, nec ullo unquam opere externo manifeſtaverit. Nam confiteri ſe in hæreſim incidiſſe, non eſt peccare peccato hæreſis interiori, nec hæreſim profiteri.

Objicies: In cap. *Commiſſa cæterum*, *de Election. in 6.* ſtatuitur, ut ille qui ſuſceperit beneficium parochiale ſine intentione ſuſcipiendi debitum Ordinem intra annum, niſi revera poſtea mutata voluntate ſuſceperit illum, debeat reſignare beneficium & reſtituere fructus illius anni; ergo præcipit Eccleſia affectum omnino internum, ſcilicet intentionem ſuſcipiendi ſacros Ordines.

Reſpondeo hanc beneficii parochialis ejuſque fructuum privationem, quæ pendet ex intentione Parochi nominati non fieri proprie, per ſe, & directe lege humana & Eccleſiaſtica, ſed jure naturali declarato & determinato per Eccleſiam, quatenus omne beneficium ex natura ſua datur propter officium, officium autem Parochi in adminiſtratione Sacramentorum poſitum, non fit niſi a Presbytero; & ſimiliter dictat jus naturale, ſtipendium non mereri qui non laboraverit, adeoque qui intentionem non habuerit accipiendi Preſbyterium, quo poſſit hoc ſuum munus exercere, quæ cum jure naturali præſcri-

ſcripta ſint, eadem ſuis legibus renovat, ſtatuit & confirmat Eccleſia; quo fit ut Eccleſia per ſe, proprie, & directe non præcipiat actum internum.

An liceat Clericis ditiones ſæculares poſſidere.

EPiſcopis vel aliis quibuſcunque viris Eccleſiaſticis licitum non eſſe, jure ſaltem humano divitias, agros & principatus poſſidere, clamarunt olim Waldenſes ſeu pauperes de Lugduno, ut refert Æneas Sylvius in lib. de origine Bohemorum cap. 35. Dehinc in omnes Eccleſiarum Præpoſitos vehementer inſurrexit Joannes Wiclephus, quod nempe opimas poſſiderent dotationes ipſi Sacerdotio conjunctas, ex quibus fluxerunt demum inſolita quædam ſæcularis pompa, ſtipatus magnifici, Epiſcoporum palatia, &c. ut videre eſt apud Thomam Waldenſem lib. 4. doctr. fidei art. 3. his adjungere poſſumus recentiores hæreticos qui contendunt non licuiſſe ſummo Pontifici aliiſque Epiſcopis accipere temporale dominium, ſæcularem poteſtatem; ita Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 11. n. 8. 9. & ſequentibus. Petrus Martyr in c. 13. Epiſtolæ ad Rom. tum vero Magdeburgenſes centur. 1. lib. 2. cap. 4. in quos omnes ſit

CONCLUSIO.

Et ditiones ſæculares & poteſtatem temporalem juſte & legitime poſſident viri Eccleſiaſtici.

Ac primo quod attinet ad ditiones ſæculares, hæc diſciplina quæ nunc viget in Eccleſia, merito colligitur ex veteri Teſtamento, ſiquidem licitum fuit Sacerdotibus & Levitis, urbes, agros & vineas poſſidere, Num. 35. cap. hæc locutus eſt Deus ad Moyſen: *Præcipe filiis Iſrael, ut dent Levitis de poſſeſſionibus ſuis urbes ad habitandum & ſuburbana earum per circuitum, ut ipſi in oppidis maneant & ſuburbana ſint pecoribus ac jumentis .... Ipſaque urbes quæ dabuntur de poſſeſſionibus filiorum Iſrael, ab his qui plus habent, plures auferentur, & qui minus, pauciores. Singuli juxta menſuram hereditatis ſuæ dabunt oppida Levitis.* Quod quidem impletum fuiſſe legimus Joſue c. 21.

Non me latet quod dicit Lyranus in hunc locum Num. 35. eas urbes ſolummodo datas Sacerdotibus quoad uſum, non autem quoad dominium; quod quidem probat de Hebron quæ data eſt Sacerdotibus, ut legitur Joſue 21. cujus tamen dominus erat Caleb de Tribu Juda, Joſue 14. Verum fallitur Lyranus, conſtat enim ex Levit. c. 25. ſempiternas fuiſſe Levitarum poſſeſſiones quas potuerunt vendere & redimere, ſicut alii faciebant Iſraelitæ. *Ædes Levitarum quæ in urbibus ſunt, ſemper poſſunt redimi, ſi redemptæ non fuerint, in jubilæo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro poſſeſſionibus ſunt inter filios Iſrael. Suburbana autem eorum non veneant, quia poſſeſſio ſempiterna eſt.* De Hebron porro legimus Joſue 21. ſolos agros & vineas illius territorii fuiſſe Caleb; urbem autem & ſuburbana Sacerdotum. Item Levit. ultimo præcipitur, ut ſi quis agrum Domino voverit, eum Sacerdotes poſſideant. Et Jeremias qui Sacerdos fuit & Propheta teſtatur cap. 32. ſe emiſſe agrum.

Atque hoc idem licitum eſſe Sacerdotibus novi Teſtamenti, ex eo vel maxime intelligitur, quod ipſis Apoſtolorum temporibus pecunias ſuas Eccleſiæ Miniſtris deferre ſolebant, act. 4. cap. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Unde Ananias & Saphira agro diven-

divendito pretii partem ſibi ſervantes ſubita morte percuſſi ſunt, act. c. 5.

Favet inſuper quod I. ad Corinth. cap. 9. ſcribit Apoſtolus æquum eſſe, ut qui Evangelium annuntiant, ex Evangelio vivant. *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi? ..... Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? nunquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi: non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? an non propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe qui arat arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus ...... Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui altari deſerviunt, cum altare participant? Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. Ubi Apoſtolus ſex argumentis probat licere ſibi aliiſque miniſtris verbi divini ſtipendium laboris accipere, 1. Exemplis aliorum Apoſtolorum; 2. Similitudinibus militum, Paſtorum, & Agricolarum; 3. Ex lege Moſis; 4. Ex exemplo Sacerdotum & Levitarum veteris Teſtamenti; 5. Ex Dei & Chriſti ordinatione; 6. Ex ipſa rei natura quæ dictat omni laboranti deberi ex juſtitia ſtipendium.

Quamobrem in decurſu temporum vel donationis titulo, vel emptionis ſeu ceſſionis nomine, aut demum proprio labore agros, vineas, domos & alia bonorum genera obtinuerunt Clerici, quorum certe & recta eſſe poteſt adminiſtratio, & legitima eſt poſſeſſio; quidni enim opes terrenas his præfatis titulis poſſidebunt Clerici, ut & ipſi poſſident Laici?

Addimus ſecundo nec quidquam cum lege divina vel jure humano pugnare, quod Eccleſiæ Prælati non modo ſpiritualia, ſed temporalia tractent ſuprema cum auctoritate, adeo ut unus idemque homo ſit Princeps Eccleſiaſticus & politicus ſimul. Id nimirum demonſtrant Sanctorum exempla tum e veteri, tum e novo Teſtamento deprompta.

In veteri quidem Teſtamento Melchiſedech fuit Rex ſimul & Pontifex, ut patet ex Geneſ. 14. cap. & Hebr. 7. Moſes fuit quoque & Princeps temporalis & ſummus Pontifex; nam Exodi 18. Judicabat populum. Et cap. 40. Adolevit Domino incenſum. Unde Philo lib. 3. de vita Moſis ſic de eo loquitur: *Hæc eſt vita, hic exitus Moſis Regis, Legislatoris, Pontificis, Prophetæ*. Et S. Auguſtinus quæſt. 23. in Levit, *Ambo ſummi Sacerdotes erant Moyſes & Aaron*. De ejus principatu prius dixerat quæſt. 68. in Exod. *Sedebat*, inquit, *judiciaria ſublimitate ſolus, populo univerſo ſtante*; quibus adde Machabæos uſque ad Herodem fuiſſe ſimul & Sacerdotes & populi Judaici duces.

In novo autem Teſtamento certum eſt tanquam piiſſimos & ſanctiſſimos celebratos fuiſſe, qui Epiſcopis, ac præſertim Romano Pontifici Principatum temporalem conceſſerunt. Item conſtat ejuſmodi donationes ex Regum & Imperatorum munificentia factas, ab Epiſcopis vitæ ſanctitate conſpicuis acceptas fuiſſe; ſcilicet ad ſupremum Epiſcopatum rite gerendum interdum neceſſariam eſſe poteſtatem temporalem utrique intellexerant.

Objicies hæc verba S. Pauli ad Timotheum qui Epiſcopus erat, Epiſtola nempe ſecunda cap. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit*. Sed qui temporalia tractat, quippe magnas opes & ditiones poſſidet, neceſſario implicatur negotiis ſæcularibus; ergo ex Apoſtolo

nec ditiones nec dignitates temporales habere debent Eccleſiæ Prælati.

Reſpondeo mentem Apoſtoli eſſe Epiſcopum Deo & rebus divinis occupatum, debere quantum fieri poteſt, & prout expoſcit bonum Eccleſiæ, ab omnibus negotiis ſæcularibus immunem eſſe, præſertim ſi a muniis Eccleſiaſticis obeundis eum avocent illa negotia temporalia; ſed non ita demum intelligi debet Apoſtolus, quaſi ab omni negotio ſæculari, quodcunque tandem illud ſit, abſtinere debeant Epiſcopi; ſi nempe illud vergat in bonum & utilitatem Eccleſiæ quam gubernant. Obſervant inſuper quidam Interpretes in hunc divi Pauli locum, vocem Deo non reperiri in Græco nec in quibuſdam latinis verſionibus, unde accipi deberet hæc ſententia tanquam generaliter pertinens ad omnes & quoslibet milites.

Objicies hæc verba Chriſti, Luc. 22. cap. *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem ſic*. In quæ verba ſic diſſerit Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 11. n. 8. *ſignificavit Dominus*, inquit, *non modo Paſtoris officium diſtinctum eſſe ab officio Principis, ſed res eſſe magis ſeparatas, quam ut in unum hominem coire queant*.

Reſpondeo id unum his verbis monere Chriſtum Dominum, non debere Apoſtolos, qui ad Eccleſiæ gubernationem vocati ſunt, Gentilium Principum dominationem æmulari, qui nempe magis ambitioſi & crudeles eſſe ſolebant, quam Judæorum Principes qui religione & timore Dei in officio continebantur; quapropter non quoslibet, ſed Gentium Principes nominavit, *Reges Gentium dominantur eorum*. Id inſuper ex eo maxime confirmant Interpretes quod Matthæus utitur verbo *κατακυριεύουσι* quod quidem ſignificat *violenter dominantur*, non autem dominantur ſimpliciter.

Objicies illud Lucæ 12. Chriſtus ait, *Homo, quis me conſtituit Judicem aut diviſorem inter vos?* Ubi ſcilicet Dominus reſpuit munus judicandi tanquam minus conſentaneum muneri Paſtorum; unde Apoſtoli dicunt Actor. 6. c. *Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei & miniſtrare menſis*.

Reſpondeo in utroque teſtimonio admoneri duntaxat Eccleſiæ Præpoſitos, ne vilibus officiis ita occupentur, ut majora omittere cogantur, quamobrem in hunc finem Apoſtoli ita curam miniſtrandi menſis detulerunt ſeptem Diaconis, ut majoribus vel etiam gubernandis incumberent, ut ſupra oſtendimus.

Appendix de Conſuetudine.

TRactatui noſtro de legibus brevem hanc de conſuetudine ſubnectimus appendicem, quia conſuetudo plerumque vim legis obtinet.

Sumitur quandoque conſuetudo pro crebro, frequenti ac familiari uſu, vel pro re, tempore ac frequenti hominum uſu confirmata, quo ſenſu conſuetudo maximam vim habet & difficulter tolli poteſt: unde Iſraelitæ qui ex Ægypto egreſſi manna habebant, fruebanturque libertate, tamen in Ægyptum redire cupiebant ut ſervirent Ægyptiis, nempe propter *conſuetudinem*, quia in Ægypto aſſueverant aliis & ſervituti.

Hic vero nomine conſuetudinis intelligitur, jus quoddam uſu & moribus ſtabilitum, tametſi nulla lege ſit ſancitum: 1. Dicitur *jus quoddam*, quia ut mox oſtendemus, vim legis nonnunquam obtinet conſuetudo; 2. Additur *uſu ſtabilitum*, ut differat a lege, quæ ferri debet a legislatore, cum e contra conſuetudo ſolis locorum moribus introducatur; unde & ſubjungitur in definitione, tametſi nulla lege ſit ſancitum. Hæc porro definitio & alia quæ ad conſuetudinis notionem & dotes pertinent, longe melius patefient, ſi ad

ſi ad nonnullas, quæ ſuper ea re inſtitui poſſunt quæſtiones, quoad fieri poterit, reſponderimus.

Quæres primo, utrum aliquid conferat conſuetudo ad propugnanda fidei dogmata.

Reſpondeo conſuetudinem nonnunquam aliquid conferre ad fidei defenſionem. Id potiſſimum conſtat ex controverſia, quæ tertio ſæculo de baptiſmo ab Hæreticis collato emerſit in Eccleſia: tunc enim utrinque Stephanus, ſcilicet ſummus Pontifex, & SS. Cyprianus & Firmilianus in confirmationem ſuæ ſententiæ conſuetudinem acriter protulerunt. Sic enim v. g. loquitur Stephanus in hoc celeberrimo Decreto quod tunc temporis emiſit, *ſi quis a quacunque hæreſi venerit, nihil innovetur niſi quod traditum eſt, &c.* Non ſcripto, ſed uſu & conſuetudine. Item S. Cyprianus qui in contraria ſententia verſabatur, ſuæ ſimiliter Eccleſiæ conſuetudinem obtendit, Ep. 73. quæ eſt ad Jubajanum. *Apud nos autem*, inquit, *non nova aut repentina res eſt, ut baptizandos cenſeamus eos qui ab Hæreticis ad Eccleſiam veniunt.*

Ac denique Firmilianus Epiſtola quæ eſt inter Cyprianicas 75. *Cæterum*, inquit, *nos veritati & conſuetudinem jungimus, & conſuetudini Romanorum conſuetudinem, ſed veritati opponimus, ab initio hoc tenentes quod a Chriſto & ab Apoſtolis traditum eſt. Nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpiſſe, cum ſemper iſtic obſervatum ſit, ut nonniſi unam Dei Eccleſiam noſſemus, &c.* Ex quibus palam fit illos ſcriptores ex utraque parte uſum & conſuetudinem ſuarum eccleſiarum loco probationis adhibuiſſe ad fidem propugnandam.

Dicam tamen, ut res eſt, omnino non videntur utrinque in illa materia conſuetudinem accipere, quomodo hic ſumitur pro jure quodam moribus utentium ſtabilito in re plane indifferenti, ſed conſuetudinem uſurpare videntur pro traditione quæ initium haberet ab ipſis Apoſtolis; quo cenſu certum eſt apud omnes conſuetudinem ad propugnanda fidei dogmata perutilem eſſe.

Neque objici debent hæc Tertulliani verba lib. de velandis virginibus c. 1. *Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum, ex his enim fere conſuetudo initium ab aliqua ignorantia vel ſimplicitate ſortita in uſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita adverſus veritatem vindicatur. Sed Dominus noſter Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit*, quaſi aperte doceat conſuetudines in auctoritatem adduci non poſſe. Etenim Tertullianus eo loci de iis conſuetudinibus loquitur, quas veritati oppoſitas ſupponit; ait enim veritati neminem præſcribere poſſe, quod idem docet & ipſe S. Cyprianus Ep. 74. his verbis: *Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt.*

Quæres utrum in rebus quæ ad mores pertinent, conſuetudo vim legis obtineat.

Reſpondeo affirmative. Id quippe expreſſis verbis teſtatur S. Auguſtinus Epiſt. 36. olim 86. ad Caſulanum cap. 1. *In his enim rebus de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt.* Eandem doctrinam tradiderat Origenes Homil. 5. in Leviticum, his verbis: *Sed & in Eccleſiaſticis obſervationibus*, inquit, *ſunt nonnulla hujuſmodi, quæ omnibus quidem facere neceſſe eſt, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quod, v. g. flectimus genua orantes, & quod ex omnibus cœli partibus ad ſolam Orientis partem converſi Orationem fundimus, non facile cuiquam puto ratione compertum: & ita de Euchariſtia & de cæremoniis Baptiſmi, &c.* Item S. Epiphanius Epiſt. 197. ad Diodorum duas ſorores ſucceſſive matrimonio ſibi conjungi non poſſe probat ex Eccleſiæ conſuetudine, quam legis

vim obtinere docet : *Principio igitur*, inquit, *quod in ejusmodi rebus maximi momenti eſt, morem, qui apud nos eſt, objicere poſſumus, quod is legis vim habeat ; propterea quod ſanctiones iſtæ a ſanctis viris ſunt nobis traditæ .... quare etiamſi nihil aliud dici poſſet, ſufficeret mos iſte ad cavendum hoc malum*. Sic porro loquuntur & alii Patres.

Quæris tertio quæ conſuetudines & & in quibus circumſtantiis admitti debeant, vel omnino improbari ; quando ſint tolerandæ, vel omnino eradicandæ.

Reſpondeo in ordine ad varias & diverſas conſuetudines, tum vero & ad varias circunſtantias in quibus verſatur, hominem debere ſe diverſimode gerere ; in his porro explicandis unum ſequemur ducem Auguſtinum, quo quidem nemo alius præſentes difficultates enucleatius aperuit.

I. igitur privatas conſuetudines, de quibus nunc ſermo eſt, ab Apoſtolicis Conſtitutionibus & Conciliorum Decretis, vel potius ab illis conſuetudinibus quæ univerſæ Eccleſiæ auctoritate fulciuntur, aperte diſtinguit, Epiſt. 54. olim 118. aitque ejuſmodi privatas regionum conſuetudines ab iis hominibus qui in illis commorantur, ſervandas eſſe, ſed ſine ſcrupulo & vitata omni ſuperſtitioſa obſtinatione : *Illa autem*, inquit, *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri. Sicuti quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in Cœlum, & Adventus de Cœlo Spiritus anniverſaria ſolemnitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrit quod ſervatur ab univerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia. Alia vero quæ per loca terrarum regioneſque variantur, ſicuti eſt quod alii non, alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Domini ; alii certis diebus accipiunt ; alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur ; alibi Sabbato tantum & Dominico, alibi tantum Dominico ; & ſi quid aliud hujuſmodi animadverti poteſt, totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes, nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores eſſe convincitur indifferenter eſt habendum, & propter eorum inter quos vivitur ſocietatem, ſervandum eſt*. Ecce quo pacto cenſet Auguſtinus liberas eſſe eorum obſervationes, quæ pro diverſitate locorum diverſæ ſunt.

Addit tamen paulo infra morem Eccleſiæ in qua vivitur ſervandum eſſe : *Senſi enim*, inquit, *ſæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorumdam fratrum contentioſam obſtinationem, vel ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus hujuſmodi, quæ neque Scripturæ ſanctæ auctoritate, neque univerſalis Eccleſiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate, ad certum poſſunt terminum pervenire (tantum quia ſubeſt qualiſcunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſua patria ſic ipſe conſuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem ſuam, quo remotiorem a ſuis, eo doctiorem factam putat) tam litigioſas excitant quæſtiones, ut niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment*.

Et cap. 5. ejuſdem Epiſtolæ ſic de utroque obſervationum genere diſſerit, *ſimiliter etiam ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia. Nam & hinc quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Sed neque hoc neque illud ineſt in eo quod tu quæris. Reſtat igitur ut de illo tertio genere ſit, quod per loca regioneſque variatur. Faciat ergo quiſque quod in ea Eccleſia, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores hinc vel inde meliores. His enim cauſis, id eſt, aut propter fidem, aut propter*

mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel inſtitui quod non fiebat. Ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.

II. Mens fuit S. Auguſtini, aliarum, in quibus vita non agitur, regionum obſervationes non obligare, ut conſtat ex Epiſt. 36. olim 86. ad Caſulanum, ubi totus eſt S. Doctor, ut quemdam Urbicum refellat, qui univerſos fideles per totum orbem terrarum teneri jejunio Sabbati ex eo contendebat, quod jejunare ſolebant Romæ: *Sed quoniam*, inquit S. Auguſtinus in fine Epiſtolæ, *contingit, maxime in Africa, ut una Eccleſia, vel unius regionis Eccleſiæ alios habeant Sabbato prandentes, alios jejunantes, mos eorum mihi ſequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commiſſa eſt.*

III. Docet aliquando tolerandas eſſe nonnullas conſuetudines, quantumvis ſaluti hominum inutiles, quæ nimirum ſine perturbatione evelli non poſſent, Epiſtola 54. jam citata cap. 5. *Ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt.*

Sed inſigne potiſſimum eſt quod ſcribit S. Doctor de variis conſuetudinibus Epiſt. 55. cap. 18. *Miror ſane*, inquit, *quid ita volueris, ut de iis quæ varie per diverſa loca obſervantur, tibi aliqua ſcriberem; cum & non ſit neceſſarium, & una in his ſaluberrima regula retinenda ſit, ut quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum ſit. Si enim eo modo impediat, ut majora ſtudiorum lucra ſperanda ſint, quam calumniatorum detrimenta metuenda; ſine dubitatione faciendum eſt, maxime id quod etiam de Scripturis defendi poteſt, ſicut de Hymnis & Pſalmis canendis, cum & ipſius Domini & Apoſtolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta, &c.*

Cap. 19. *Quod autem inſtituitur præter conſuetudinem ut quaſi obſervatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum, etiamſi multa hujuſmodi propter nonnullarum, vel ſanctarum, vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo quod multa quæ in divinis libris ſaluberrime præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepelierit. Omnia itaque talia quæ neque ſanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed pro diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur; ita ut vix aut omnino nunquam inveniri poſſint cauſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo.* Ubi docet Auguſt. eas conſuetudines abrogandas, quæ nec Scripturis, nec Eccleſiæ univerſæ auctoritate fulciuntur, hac tamen adhibita cautione, ſi commode & ſine detrimento reſcindi poſſint.

Ex quibus etiam merito colligitur nullas induci debere novas conſuetudines; tum quia ex ejuſmodi conſuetudinum inſtitutione fit, *ut multa quæ in divinis libris ſaluberrime præcepta ſunt, minus curentur*; tum quia, ut ait, Epiſt. 54. jam citata, *ipſa conſuetudo quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN-

INDEX QUÆSTIONUM,

& concluſionum quæ in his duobus Tractatibus continentur.

In Tractatu de Actibus Humanis.

Quid ſit actus humanus & quotuplex. Pag. 1
De principiis actuum humanorum. 4
De beatitudine hominis. ibid.
De beatitudine objectiva. 5
Concluſio. *Solus Deus eſt objectum noſtræ beatitudinis.* ibid.
De beatitudine formali. 11
Prima Concluſio. *Beatitudo formalis non eſt poſita in actione increata.* 12
Secunda Concluſio. *Beatitudo formalis non conſiſtit in ſpeciali quodam illapſu Dei in animam beati.* 13
Tertia Concluſio. *Beatitudo formalis eſſentialiter poſita eſt in viſione Dei intuitiva ſimul in amore fruitivo.* 14
De beatitudine corporis. 18
De reſurrectione corporum. 19
Concluſio. *Certum eſt atque indubitatum corpora noſtra aliquando reſurrectura.* ibid.
De affectibus ſeu proprietatibus reſurrectionis. 23
An perennis futura ſit Sanctorum beatitudo. 24
An beati peccare poſſint. 25
Quænam ſint dotes corporis glorioſi. 27
Nonnullæ de reſurrectione proponuntur quæſtiones. 28
De principiis congenitis actuum humanorum. 32
De intellectu morali. ibid.
De opinionum probabilitate. 34
Quid ſit opinio probabilis. ibid.
An licitum ſit ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori. 35
Concluſio. *Non licet tuta conſcientia ſequi in praxi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.* 38
Solvuntur Objectiones. 55
An liceat aliquando operari ſecundum opinionem probabilem. 69
Concluſio. *Ut quis licite operetur & ſine peccato, non requiritur ut perfectam certitudinem habeat de veritate ſententiæ quam ſequitur.* 70
De voluntate morali. 77
De voluntario & involuntario. 79
De involuntario per vim. ibid.
De involuntario ex metu. 80
De involuntario per concupiſcentiam. ibid.
De involuntario per ignorantiam. 81
Utrum juris naturalis ignorantia invincibilis excuſet a peccato. 82
Concluſio. *Quæcunque ignorantia invincibilis vel etiam juris naturalis hominem eximit a culpa.* 83
An detur ignorantia juris naturalis quæ ſit invincibilis. 108
Prima Concluſio. *Nec prima principia juris naturalis, nec concluſiones proxime ex eo ſequentes invincibiliter ignorari poſſunt.* 109
Secunda Concluſio. *Jus naturale invincibiliter ignorari poteſt quoad certas concluſiones a primis principiis longe remotiores.* 115
Utrum juris poſitivi ignorantia invincibilis excuſet a peccato. 116
Concluſio. *Ignorantia juris divini, modo ſit omnino invincibilis, excuſat a peccato.* ibid.
Utrum ignorantia ſit peccatum formaliter. 118
Concluſio. *Ignorantia eorum quæ quis ſcire debet, ſpeciale quoddam peccatum*

catum

catum eſt. ibid.
De libertate hominis. 122
An detur in homine liberum arbitrium. 123
Concluſio. *Eſt in homine, etiam poſt Adæ peccatum, libertas arbitrii, liberum arbitrium.* 124
De natura & eſſentia libertatis humanæ. 131
Concluſio. *Libertas quæ ad meritum deſideratur, conſiſtit in indifferentia activa cujuslibet neceſſitatis experte.* 132
De proprietatibus actuum humanorum. 160
An dentur actus indifferentes. ibid.
Concluſio. *Omnis actus humanus in* individuo *ſpectatus, vel bonum eſt vel malus moraliter, adeoque nullus datur plane indifferens.* 161
Unde repetatur bonitas & malitia actuum humanorum. 167
Concluſio. *Bonitas & malitia moralis actuum humanorum repeti debet ab objecto, fine & circunſtantiis.* ibid.
Utrum ad peccandum requiratur advertentia ad malitiam peccati. Ubi & de peccato philoſophico. 168
Concluſio. *Ad peccandum formaliter & Theologice non requiritur advertentia actualis & expreſſa ad malitiam actionis & ad divinam offenſam, imo nec requiritur virtualis, quæ poſita ſit in aliquo ſcrupulo vel dubitatione.* 177

In Tractatu de Legibus.

Definitio & diviſio lgis. 186
Utrum lex ſit actus intellectus, an voluntatis. 187
Concluſio. *Lex proprie eſt actus voluntatis.* 188
Utrum lex omnis feratur in bonum commune. 189
Cujus ſit legem ferre. 191
An promulgatio ſit eſſentialis legi. 192
De interpretatione legis. 193
Concluſio. *In legem tum naturalem tum divinam non cadit Epiikia.* 194
De lege æterna. 196
De lege naturali. 198
Quid ſit lex naturalis, & quæ ſint ejus præcepta. 199
Utrum lex naturalis e cordibus hominum deleri poſſit. 202
Utrum lex naturalis mutari poſſit. 204
An Deus diſpenſare poſſit a lege naturali. 205
Concluſio. *Nequidem Deus diſpenſare poteſt a præceptis legis naturalis.* 206
De lege poſitiva. 217
De lege divina veteri. ibid.
Quæ fuerit lex vetus, quæve ejus præcepta. ibid.
Utrum lex vetus fuerit bona. 219
Concluſio. *Lex vetus fuit bona.* ibid.
An lex vetus fuerit imperfecta. 226
An lex vetus a Deo data fuerit. 230
Concluſio. *Lex vetus eſt a Deo vero.* ibid.
An lex vetus data fuerit per Angelos. 232
Concluſio. *Lex vetus data fuit per Angelos.* 235
Utrum lex vetus ſolis Judæis data fuerit. 236
An jure lex vetus abrogata fuit. 238
Concluſ. *Lex vetus jure merito fuit abrogata.* ibid.
An ſtatim poſt Chriſti mortem legalium obſervatio mortifera. 241
Concluſio. *Mortifera non fuit legalium obſervatio ſtatim ab ipſa Chriſti morte.* ibid.
An ſincero animo legalia ſervaverint Apoſtoli, ubi & de reprehenſione S. Petri. 243
Prima Concluſio. *Poſt Chriſti mortem legalia ſervarunt Apoſtoli ſincere, non ſimulate.* ibid.
Secunda Concluſio. *S. Paulus vere & ſincere reprehendit Sanctum Petrum.* 247

Quo-

Quonam præciſe tempore ſaluti nociva fuerit legalium obſervatio. 253
De lege nova. 258
De lege humana. 261
An ſit in hominibus poteſtas condendi leges quæ obligent in conſcientia. ibid.
Concluſio. *Eſt in hominibus æqua & legitima poteſtas condendi leges quæ obligent in conſcientia.* 262
Sententia Gerſonii. 270
Utrum leges pœnales obligent conſcientiam. 279
Concluſio. *Sunt quædam leges puræ pœnales quæ in foro interiori conſcientiam non obligant.* 280
Utrum lex humana obliget etiam cum vitæ periculo. ibid.
An juſti & perfecti ſubjiciantur legibus. 283
Concluſio. *Juſti & perfecti ſubjiciuntur legi.* 284
An & quomodo lex humana mutari poſſit. 286
De lege civili. 290
De acceptatione legis civilis. ibid.
Concluſio. *Leges civiles populorum acceptationem non exigunt.* 291
De lege Eccleſiaſtica. 292
An leges Eccleſiaſticas condere competat laicis. ibid.
Prima Concluſio. *Non licet ſæcularibus Principibus novas ferre leges de iis quæ ad Religionem Chriſtianam pertinent.* 293
Secunda Concluſio. *Licitum eſt Principibus laicis leges ferre quæ ad legum tum divinarum tum Eccleſiaſticarum executionem promovendam dirigantur.* ibid.
An & quomodo promulgari debeant leges Pontificiæ. 295
Concluſio. *Leges Pontificiæ, ut & aliæ quæcunque per ſingulas orbis univerſi Provincias publicari debent.* ibid.
Utrum per leges Eccleſiaſticas actus interni præcipiantur. 301
Concluſio. *Actus interni qui nempe interius in mente & corde conſummantur, legibus humanis non præcipiuntur.* 302
An liceat Clericis ditiones ſæculares poſſidere. 304
Concluſio. *Et ditiones ſæculares, & poteſtatem temporalem juſte & legitime poſſident viri Eccleſiaſtici.* ibid.
Appendix de conſuetudine. 306

FINIS.

INDEX
RERUM ET MATERIARUM LOCUPLETISSIMUS
ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS.

A.

Actus humanus quid ſit & quotuplex. pag. 3
Quinam actus humani ſpectent finem & quinam media. ibid.
Series & ordo humanorum actuum in proſecutione boni. 4.
Quænam dicantur principia humanorum actuum. ibid.
Quid ſint principia interna & externa eorum. ibid.
Horum principia congenita, ſunt intellectus voluntas & libertas. 32
Ad actum humanum licitum & ſine peccato non requiritur perfecta certitudo, ſed ſufficit certitudo moralis. 70
Actus humani facti per metum abſolute, & ſimpliciter cenſeri debent involuntarii. 80
Actus humanus vel conſiderari poteſt in ſpecie, vel in individuo. 160
Quid uterque ſit. 160
Omnis in individuo ſpectatus vel bonus eſt, vel malus moraliter, adeoque nullus datur plane indifferens. 161
Tenetur homo lege naturali & poſitiva omnes ſuos actus & ſingulos ad Deum referre. 163
Non quidem ſemper ex intentione actuali & expreſſa, ſed ex intentione virtuali. ibid.
Hoc non obſtat quod in aliquibus actibus humanis poſſimus licite habere finem aliquem creatum, ſed intermedium. 165
Actus humani unde dicantur morales. 167
Bonitas & malitia moralis actuum humanorum repeti debet ab objecto, fine, & circumſtantiis. ibid.
Ad bonitatem moralem tria hæc debent confluere juxta illud *bonum ex integra cauſa*, ad malitiam vero quod unum ex his tribus ſit malum ſufficit juxta illud *malum ex quocumque defectu*. 168
Ad malitiam moralem actus humani non requiritur advertentia vel expreſſa vel virtualis. 171
Actus interni per ſe & præciſe ut tales non cadunt ſub lege humana. 302
Advertentia quid ſit. 168
Alia actualis & expreſſa, alia virtualis & interpretativa. ibid.
Non omnes conveniunt Theologi in explicanda poſteriori advertentia. 169
Qui docent advertentiam requiri ad peccandum formaliter, ut plurimum intelligunt de actuali, vel de virtuali, quæ coincidit cum actuali. 170
Ad malitiam prout adverſatur rectæ rationi facit per hos auctores peccatum Philoſophicum, prout legi Dei, Theologicum. ibid.
Ad peccandum formaliter & Theologice non requiritur actualis advertentia & expreſſa ad malitiam actionis, & ad divinam offenſam. 171

Immo nec requiritur virtualis, quæ poſita ſit in aliquo ſcrupolo, vel dubitatione. ibid.

Varia abſurda recenſentur, quæ ex oppoſita ſententia ſequerentur. 175

Multi ſunt qui reapſe peccare cenſentur, licet nullam habeant advertentiam ad malitiam peccati. 177

Actualis eſt circumſtantia, non eſſentialis, ſed accidentalis pecca-to. 184

Agilitas - in quonam ſit ſita agilitas corporum Beatorum. 27

Alexander VII. 45. propoſitiones damnavit ex probabiliſmi fonte deductas. 46.

Amor Dei fruitivus in Patria, non eſt tota Beatitudo formalis Sanctorum, ut volunt Scotiſtæ. 16

Amor voluntatis in objectum quid ſit. 3

Differt a gaudio, ſeu voluptate. 18

Apoſtoli ſincero animo legalia obſervarunt poſt Chriſti mortem. 243

Cur legem ſtatuerint de abſtinentia a ſuffocato. 254

S. Auguſtinus quomodo explicet corpora noſtra eſſe reſurrectura in die judicii, etſi plures contigerint corruptiones & dilapſiones corporum mortuorum in alia. 29

Aliquando affirmavit homines, qui vivi reperientur in die judicii non eſſe morituros, ſed cum cæteris reſurgendis accenſendos. 31

Sed hanc ſententiam poſtea retractavit. ibid.

Probabiliſmi Patronum nunquam ſe exhibuit. 57

Sæpe ſumit opinionem in malam partem, ſeu pro errore cum Academicis. 74

Profert hoc principium in moralibus decantatum: *non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras*. 84

Quo ſenſu reprobaverit in Pelagianis hoc eorum dogma, oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato. 93

Cum de ignorantiæ peccatis diſputat contra Pelagianos ſemper diſputat de ignorantia in ſe vincibili. 96

Quam probat perperam ab ipſis vocari vincibilem & gratiæ neceſſitatem, & ob difficultatem occurrentem ex concupiſcentia. 99

De qua ignorantia loquatur dum ſæpius dicit peccata omnia partim ex infirmitate, partim ex ignorantia contingere. 104

De libertate a peccato loquitur cum dicit Arbitrium poſt peccatum ex libero factum eſſe Servum. 143

Docet poſt peccatum arbitrium hominis tantum labefactatum, non tamen amiſſum. 145

In quonam conſiſteret ejus conflictus cum Juliano quoad libertatem. 147

Vult inductam tamen per peccatum peccandi neceſſitatem, ſed moralem non phyſicam. 149

Solam neceſſitatem conſequentem putavit non repugnare libertati. 151

B.

Beatitudo quid ſit. 4

Alia naturalis, alia ſupernaturalis, alia objectiva, alia formalis. 5

Variæ Gentilium opiniones circa Beatitudinem objectivam. ibid.

Solus Deus eſt objectum noſtræ beatitudinis. 5

Oſtenditur Beatitudinem objectivam hominis non eſſe in divitiis, & bonis fortunæ, nec in voluptatibus corporeis. 6

Nec in Dignitatibus mundanis, nec in ipſa virtute. 7

Nec in cumulatiſſima complexione omnium bonorum. 8

Vera & perfecta Beatitudo ſolum

in

in Patria poteſt haberi. 11
Beatitudo formalis Patriæ poſita eſt in aliqua operatione. ibid.
Variæ Theologorum opiniones in hac ſtatuenda operatione. ibid.
Non eſt poſita in actione increata. 12
Nec in ſpeciali quodam illapſu Dei in animam Beati. 13
Sed eſſentialiter in viſione intuitiva Dei, & amore fruitivo. 14
Ex quo ſequitur gaudium tanquam proprietas beatitudinis. 18
In quo proinde Beatitudo formalis non conſiſtit. 18
Fides Catholica docet SS. Beatitudinem fore perpetuam. 24
Contrarium ſenſit Origenes. ibid.
Impeccabilitas erit proprietas Beatitudinis Sanctorum. 25
Beatus erit impeccabilis. 25
Quas dotes habebit ejus corpus. 27
Beguardi docuerunt omnes juſtos a lege humana eſſe liberos. 283
S. Bernardus nunquam docuit Deum poſſe diſpenſare a præceptis legis naturalis. 214
Nunquam docuit ſolam neceſſitatem, quæ ſit violentia, vis, & coactio repugnare libertati. 153
Sumit coactionem late pro qualibet neceſſitate. 154
Liberum confundit cum voluntario. 155
Ad ſummum docet libertatem non eſſe poſitam in indifferentia contrarietatis. 156
Bonitas moralis actuum humanorum deſumitur ab objecto moraliter ſpectato non Phyſice, a fine & circumſtantiis. 167
Ita ut hæc tria ſimul debeant confluere juxta illud: *Bonum ex integra cauſa*. 168

C

Carthuſiani, horum conſtitutio de abſtinentia ab eſu carnium, an obliget etiam in Articulo Mortis. 281
Certitudo perfecta non requiritur, ut quis licite, & ſine peccato operetur. 70
Certitudo moralis ſufficit. ibid.
Quot modis ex S. Antonino colligatur certitudo moralis. 71
Chriſtus Dominus jure merito abrogavit legem veterem. 239
An ab ejus morte fuerit ſtatim mortifera. 241
Claritas, quænam erit claritas Corporum Beatorum. 27
Clerici (vide Eccleſiaſtici)
Coactio, Libertas a coactione quid ſit. 131
An hæc ſola ſit in homine poſt peccatum Adæ. ibid.
Apud Patres ſæpe ſumitur pro qualibet neceſſitate. 153
Concupiſcentia quomodo accipiatur in moralibus. 80
Quid ſit concupiſcentia antecedens, & quid conſequens, neutra tollit voluntarium dummodo antecedens advertentiam rationis non impediat. 80
Confeſſarius non poteſt licite contra propriam opinionem abſolvere pœnitentem utentem opinione probabili, quam ipſe Confeſſarius judicat minus probabilem. 68
Conſcientia eſt judicium practicum intellectus dictantis hoc vel illud in particulari eſſe agendum, vel non. 32
Diſtinguitur a ratione, a lege naturali, a prudentia, & quomodo. 33
Eſt alia habitualis, actualis altera, utraque aut vera, aut erronea: & erronea aut vincibilis, aut invincibilis, aut ſcrupuloſa, vel remiſſa. 33
Iterum eſt vel certa, vel dubia,

vel probabilis. ibid.
Eſt primaria in agendis regula. 48
Quomodo differat a lege naturali. 200

Conſuetudo quid ſit. 306
Aliquid nonnunquam confert ad propugnanda Fidei dogmata. 307
In rebus, quæ ad morem pertinent vim legis obtinent. ibid.
Quæ conſuetudines, & in quibus circumſtantiis admitti debeant, vel omnino improbari, quando tolerandæ, quando eradicandæ. 308

Corpus: Certum eſt ac indubitatum Corpora noſtra aliquando reſurrectura. 19
De dotibus Corporum Beatorum. 27
Corpora reſurgentium eadem omnino futura ſunt, quæ fuerunt in terris. 28
Quid reſpondeat Auguſtinus corruptionibus, & dilapſionibus corporum mortuorum. 29
Singula Corpora reſurgent in proprio ſexu. 30
Auguſtini opinio videtur probabilior, Corpora reſurrectura in ætate virili matura & robuſta. 30
Et quidem omnia ſimul, non alia prius, alia poſterius. 31
Etiam illorum, qui vivi reperientur in die judicii, poſtquam prius guſtaverint mortem. ibid.

D

DEus ſolus eſt objectum noſtræ beatitudinis. 5
Inter Deum & hominem datur proportio entitatis, ſed generica & imperfecta, non ſpecifica, & perfecta. 8
Hæc proportio poſita eſt in convenientia immaterialitatis, vi cujus habet homo, quod ſit intellectivus, ſicut Deus eſt intelligibilis. 10
Non cogit voluntatem nolentem & invitam, ut contra ſuam inclinationem agat, cum eam per gratiam valet. 80
Habet vere liberum arbitrium reſpectu illorum, quæ non neceſſitate vult. 158
Non eſt tamen liber in productione Filii. ibid.
Fuit vere indifferens ad mundum creandum. ibid.
Tenemur lege naturali, & poſitiva omnes & ſingulos actus noſtros referre ad Deum, intentione ſaltem virtuali, & expreſſa. 163
Nequidem Deus poteſt diſpenſare a præceptis legis naturalis. 306
Non diſpenſavit Abraham ab homicidio in iis circumſtantiis, in quibus vetitum eſt lege naturali. 207

Divitiæ non ſunt beatitudo objectiva hominis. 6
Dioſpolitana Synodus reprobavit Cæleſtii propoſitionem, ignorantiam &c. 95
Diſpenſatio præceptorum naturalium nequidem a Deo fieri poteſt. 207
An Deus diſpenſavit Abrahamum, & Judæos a quibuſdam præceptis naturalibus. 208
In legem humanam cadit diſpenſatio, ſed dari non debet ſine cauſa, & quid dicendum de diſpenſationibus Pontificiis. 290
Dotes quænam erunt Corporis glorioſi. 27
Dubitatio non eſt admixta omni opinioni, ſed tamen opinioni imperfectæ. 75

E

ECcleſiaſtici: Ad ipſos ſolum ſpectat leges condere de iis, quæ ad Religionem Chriſtianam pertinent. 293
Et ditiones Sæculares, & poteſtatem temporalem juſte & legitime poſſident. 304
Fa-

F

FAcultates hominis quamnam habeant proportionem habitudinis cum Deo ut objecto. 8
Etſi finitæ intrinſece, ſunt tamen infinitæ exſtrinſece & objective. 10
In operatione utriuſque facultatis intellectivæ & volitivæ reponi debet Beatitudo formalis hominis. 14
Quænam facultates ſint principia congenita actuum humanorum. 32
Utrum, & quomodo in omnes facultates hominis imperium exerceat voluntas. 77
Formido unius partis non excludit aſſenſum determinatum alterius. 75
In quo poſita ſit, hæc eſt ſemper cum opinione licet perfecta. ibid.

G

GAudium quid ſit. 28
Differt ab amore, & non eſt ipſa beatitudo formalis. ibid.
Sed potius proprietas quædam beatitudinis formalis. ibid.
Genethliaci per Syderum influxum fatalem quamdam neceſſitatem hominibus imponi credebant. 125
Non quod inviti agerent, ſed quod ingenita propenſione ad actiones neceſſario inclinarentur. 138
Gerſonius ab errore vindicatur, quem ipſi tribuunt, quod docuerit leges humanas, ſeu eccleſiaſticas, ſeu civiles, quatenus humanæ ſunt non obligare in coſcientia, & ſub pæna peccati mortalis. 270

H

HEnricus Gandavenſis affirmare videtur beatitudinem hominis conſiſtere in quodam illapſu Dei in eſſentiam animæ Beatæ. 12
Rejicitur tanquam fictitius iſte illapſus. 13
S. Hieronymus oppugnavit in Pelagianis quod dicerent ignorantiam quamcumque univerſaliter excuſare a peccato. 96
Cur ad compeſcendas Pelagianorum querimonias ad ignorantiam vincibilem non confugiat, ſed ad profunditatem judiciorum Dei. 101
Honor mundanus non eſt obiectum Beatitudinis hominis. 6
Hugo a S. Victore docuit animas Sanctorum eſſe beatas formaliter per actionem increatam. 11
Rejicitur hæc ſententia. 12

I

JAnſenius docuit ignorantiam invincibilem juris naturalis non excuſare a peccato. 82
Diſcrimen ſtatuit inter ignorantiam juris naturalis invincibilem, & juris poſitivi relate ad excuſandum vel non a peccato; ſed perperam. 90
Abſurda quæ ex ejus doctrina conſequerentur. 91
Errat in excuſanda ignorantia invincibili quam admittebant Pelagiani excuſantem a peccato. 93
Docet hominis voluntatem in præſenti ſtatu naturæ Lapſæ neceſſitari ad agendum, & periiſſe per peccatum Adæ indifferentiam ad bonum. 131
Doctrinam quæ libertatem ſtatuit in indifferentia, docet eſſe Philoſophicam, quin potius Pelagianam. 132
Solvuntur ejus objectiones contra libertatem indifferentiæ. 141
Ignorantia juris poſitivi divini modo ſit invincibilis excuſat a peccato. 117
Ignorantia eorum, quæ quis ſcire de-

debet, ſpeciale quoddam peccatum eſt, ſi nempe ſit voluntaria & vincibilis. (*Vid.* Peccatum.) 118

Quomodo tranſeunte reatu remaneat ignorantia, ſecundum quam peccatum eſt. 120

Quomodo ignorantia quæ peccatum eſt opponatur virtuti morali. ibid.

Ignorantia non eſt confundenda cum inadvertentia. 168

Ignorantia eſt ignoratio rei, quam ſcire debemus. 81

Alia eſt facti, alia juris. ibid.

Facti dividitur in antecedentem, concomitantem, & conſequentem, quæ omnes definiuntur. ibid.

Quæ fiunt ex ignorantia antecedente, & concomitante non ſunt voluntaria, ſed quæ fiunt ex conſequente. 82

Alia eſt vincibilis, alia invincibilis. ibid.

Certum eſt ignorantiam vincibilem non excuſare a peccato. ibid.

Quæcumque invincibilis vel etiam juris naturalis hominem eximit a culpa. 83

Contrarium docet Janſenius. ibid.

Qui falſo jactitat Auguſtinum ſuæ ſententiæ Patronum. 84

Probatur aſſertio etiam ex D. Thoma. 86

Invincibilis vel etiam juris Naturalis reddit actionem involuntariam. 88

Quæ militant pro ignorantia invincibilis juris poſitivi ad excuſandum a peccato, militant etiam pro ignorantia invincibilis juris naturalis. 89

Solvuntur Janſenii rationes contendentis diſcrimen eſſe relate ad hoc inter utramque ignorantiam. 90

Ex doctrina Janſenii ſequeretur hominem debere agere contra propriam conſcientiam. 91

Eſſe in continua conſcientiæ perpleſſitate. ibid.

Et onus graviſſimum iis imponi. ibid.

Quo ſenſu Pelagiani dixerint oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato. 95

Quomodo explicabant ignorantiam invincibilem, quam volebant hominem excuſare a peccato. 98

Quo ſenſu Dioſpolitana Synodus, Auguſtinus & Hieronymus reprobaverint, in Pelagianis hanc ſententiam. 94

Solvuntur Argumenta Janſenii contendentis ignorantiam invincibilem non excuſare a peccatis, quæ ſit juris naturalis. 93

Loca a Janſenio ex Auguſtino adducta explicantur. 103

Ubinam locum habeat illa juris regula: *ignorantia facti, non juris excuſat*. 107

Ignorantia invincibilis non eſt ſufficiens voluntaria in Adamo, ejusque voluntate. ibid.

Nec prima principia juris naturalis, nec concluſiones ex eo ſequentes invincibiliter ignorari poſſunt. 109

Bene vero jus naturale invincibiliter ignorari poteſt quoad certas concluſiones a primis principiis longe remotas. Vide Jus naturale) 113

Impaſſibilitas quomodo conveniat Corpori glorioſo. 27

Impeccabilitas erit proprietas animæ Beatorum. 25

Imperium voluntatis aliud eſt politicum, ſeu civile, aliud diſpoticum, ſeu herile. 77

Utrumque vel directum, vel indirectum. ibid.

Infideles: Opera eorum ut plurimum ſunt mala ex pravo, quem habent finem. 165

Inno-

Innocentius XI. damnavit 65. Propoſitiones ex Probabiliſmi doctrina deſumptas. 46
Intellectus moralis quid ſit. 32
Ad ipſum ſpectat ſynderesis & conſcientia. ibid.
Quid utraque ſit, & quotuplex. 33
Movit voluntatem tum ad ſpeciem, tum ad exercitium. 78
Quotuplex ſit actio intellectus. ibid.
Per quamnam actionem moveat voluntatem. 79
Quotuplex judicium intellectus. ibid.
Intentio boni quid ſit. 3
Involuntarium non eſt quod fit per concupiſcentiam etiam antecedentem, dummodo hæc advertentiam rationis non impediat. ibid.
Involuntaria ſunt, quæ fiunt ex ignorantia antecedente, & concomitante. 82
Quod fit ex ignorantia quacumque invincibili eſt involuntarium. 88
Involuntarium negative, & poſitive quid ſint. 79
In quo differat involuntarium a violento. ibid.
Quænam ſint cauſæ involuntarii. ibid.
Actus interiores & proprii voluntatis non poſſunt eſſe involuntarii, per vim abſolute loquendo. 80
Bene vero aliqui actus qui dicuntur imperati a voluntate. ibid.
Actiones factæ per metum ſunt partim voluntariæ partim involuntariæ. ibid.
Sed quæ fiunt ex metu gravi abſolute & ſimpliciter cenſeri debent involuntariæ. ibid.
Judæi an pro ſolis Judæis lata fuerit lex vetus. 238
Judex quando opiniones verſantur circa jus, tenetur in conſcientia judicare ſecundum ſententiam probabiliorem. 50
Id tradunt plures ex Probabilioriſtis. 45
Judicium intellectus aliud ſpeculativum, aliud practicum generale, aliud practicum particulare, ſed hypotheticum, aliud practice practicum. 78
Per quodnam ex his potiſſimum moveatur voluntas. 79
Jus divinum poſitivum. hujus ignorantia invincibiliter excuſat a peccato. 116
Sive juris ſit, ſive facti. 117
Qui ignorant invincibiliter jus divinum citra contemptum legis valent, & dicere poſſunt non vidimus, non audivimus. 89
Jus naturale - ejus prima principia, nec concluſiones proxime ex eo ſequentes poſſunt invincibiliter ignorari. 109
Sola peccata deſiderii & voluntatis ignorabantur ante legem Moyſis. 110
Poteſt in jus naturale invincibiliter ignorari quoad certas concluſiones a primis principiis longe remotiores. 113
Quomodo hoc non obſtante mandata Dei interdum non ſint impoſſibilia. 115
Juris naturalis ignorantia hominem eximit a culpa. 83
Contrarium ſentit Janſenius, cujus argumenta ſolvuntur. ibid
Oppoſita propoſitio damnata ab Alexandro VIII. 88
Nec Auguſtinus, nec Janſenius favent opinioni Janſenii. 93
Diſputatio horum cum Pelagianis non fuit de ignorantia invincibili juris naturalis, ſed de alia. 97
Qui errant ignorantia invincibili juris naturalis legem nunquam contempſerunt, & merito dicere poſſunt non vidimus, non audivimus. 89
Etſi ignorantia juris naturalis ſit

pœna

pœna peccati Originalis, non tamen habet rationem peccati. 90
Quæ fiunt contra jus naturale, ſunt intrinſece mala, ſed in peccatum non imputantur independenter a cognitione legis naturalis. 91
Quomodo ſit accipienda illa juris regula - *Ignorantia facti, non juris excuſat*. 107

L

Legalia, horum obſervatio ſtatim a Chriſti morte mortifera non fuit. 241
Ea ſincere obſervarunt Apoſtoli. 243
Quo tempore præciſe nociva fuerit illorum obſervatio. 253
Lex - unde ejus nomen. 186
Duæ definitiones legis traditæ a S. Thoma expenduntur. 187
Quotuplex ſit. ibid.
Prout eſt actus legislatoris pertinet ſimul ad intellectum & ad voluntatem. ibid.
Sed magis proprie eſt actus voluntatis. 188
Lex omnis fertur in commune bonum. 189
Explicantur leges nonnullæ, quæ ad ſola privatorum commoda prima fronte referri videntur. 190
Quid ſint leges quas Juſtinianus appellat perſonales. 191
Quid in jure canonico ſit lex privata. ibid.
Leges ferre ſolius eſt perſonæ publicæ, quæ communitatis curam gerit. ibid.
An promulgatio ſit eſſentialis legi. 192
Quæſtio non eſt de æterna lege, nec de naturali. ibid.
Bene vero lex omnis poſitiva promulgari debet, ut vim obligandi obtineat. ibid.
Declaratur id inductione facta cujuslibet legis poſitivæ. 193
Legis interpretatio quid ſit. ibid.
Quid ſimplex Interpretatio, & quid Epiikia. ibid.
At in legem tum naturalem, tum poſitivam non cadit Epiikia. 194
Unde petenda interpretatio legum. 195
In utroque jure haberi poteſt etiam ratio conſuetudinis receptæ, & gravitatis pœnarum, quæ infliguntur, ex quibus repeti poteſt legum humanarum ſenſus. 196
Lex æterna quid ſit ex Auguſtino. ibid.
Differt a Providentia, ab ideis divinis, a lege naturali, & a lege divina. ibid.
Dici poteſt fons & origo, a qua deducuntur cæteræ leges. 197
Quomodo leges humanæ inter ſe oppoſitæ ab æterna deriventur. ibid.
Omnia creata ſubjiciuntur legi æternæ, quia ſubjiciuntur Dei dominio. 198
Lex naturalis in Deo eſt lex æterna. 198
Definitur ratio ipſa hominis per quam boni & mali ſecernendi eſt capax. ibid.
Parum, aut nihil omnino differt a conſcientia. ibid.
Omnes Patres uno ore teſtantur eam eſſe innatam legem, quæ ad bonum moveat, & a malo avocet, aut ſaltem quod interius quoddam lumen ſit, quo unusquiſque novit quid rectum, quid pravum. 199
An ſit actus vel habitus. 200
Dupliciter ſumi poteſt, & in actu primo, & in actu ſecundo. ibid.
Quomodo differant lex naturalis, ſynderesis & conſcientia. ibid.
Ad legem naturalem proprie loquendo pertinent primaria præcepta, & ad ſummum concluſiones quædam ex illis proxime ſequentes. 201

Lex.

Lex naturalis eſt una in omnibus ſi ſumatur ratione primorum principiorum. ibid.
Deleri non poteſt e cordibus hominum quoad eadem principia. 202
Nec deleri quoad ſecundaria præcepta. 203
Quot modis poſſit mutatio accidere alicui legi. ibid.
Lex naturalis poteſt mutari per additionem. ibid.
Sed mutari non poteſt quoad principia primaria per derogationem, neque abrogationem, neque irritationem. ibid.
Varia Theologorum placita circa quæſtionem, an poſſit Deus diſpenſare in lege naturali. 204
Firme tenendum nequidem Deum diſpenſare poſſe a præceptis legis naturalis. 206
Quomodo Deus non diſpenſaverit cum Abrahamo ſuper homicidio. 207
Explicantur alia exempla ex Scripturis deſumpta. ibid.
Non adverſatur aſſertioni S. Bernardus. (*Vide* Jus naturale) 214
Lex - vetus quid ejus nomine intelligatur. 217
Ejus præcepta fuere triplicis generis, moralia, cæremonialia & judicialia. 216
Quot fuerint Sacrificia veteris legis, quot Sacramenta, quot feſtivitates. 219
Fuit bona, etſi contrarium docuerint Marcionitæ & Manichæi. ibid.
Horum Argumenta ſolvuntur. 220
Lex vetus non tulit præcepta juſtitiæ, & æquitati contraria. 222
Aut vindictam vel crudelitatem aperte ſpirantia. 223
Ejus cæremoniæ cum ſumma ſapientia inſtitutæ. 225
Patriarcharum flagitia ſi quæ fuerunt non approbantur a Scriptura, & in aliis locis apertiſſime condemnantur. 226
Quamvis fuerit lex vetus bona, & in ſuis principiis ſancta, fuit tamen imperfecta. ibid.
Non tamen ſimpliciter, & quoad omnia, ſed ſecundum quid tamen, & quoad aliqua. 227
Continebat æternæ vitæ & mortis doctrinam etiam ex S. Auguſtino. 229
Fuit a vero Deo inſtituta. 230
Nec a Deo tanquam a malo Principio, cui Chriſtus adverſus fuerit in nova lege. 231
Nec eſt attribuenda partim Moyſi, partim Senioribus. ibid.
Legis repudii Moyſes fuit tantum præco, non auctor. 232
Solvuntur Cerdonis, & Ptolomæi argumenta. ibid.
Lex vetus olim data fuit Moyſi non per Deum ipſum, ſed per Angelos. 233
Quod potiſſimum ex novo Teſtamento deducitur. ibid.
Solis Judæis data fuit. 236
Cæteri in Orbe Univerſo ea lege quoad cæremonialia, & judicialia non tenebantur. ibid.
Poterant tamen æternam ſalutem conſequi per fidem in Chriſtum venturum mediatorem. 237
Licitum fuit Gentilibus fidem Judæorum ſuſcipere, & Judæis illos ſuæ legis participes facere. ib.
Convenienter data fuit tempore Moyſis. 238
Jure merito fuit a Chriſto abrogata. 238
Quo ſenſu dixerit Chriſtus ſe non veniſſe ut legem ſolveret. 240
In morte Chriſti omnino deſiit, ut non amplius ad ſui obſervantiam Chriſtianos obſtrinxerit. 241
Mortifera tamen non fuit legalium obſervatio ſtatim ab ipſa morte Chriſti. ibid.
Poſt Chriſti mortem legalia ſervarunt

runt Apoſtoli ſincere non ſimulate. 243
S. Paulus vere & ſincere non ſimulate reprehendit S. Petrum. 247
Legalia obſervavit Paulus in diverſis circumſtantiis, ac Petrus. 249
In hac controverſia non eſt pugnandum auctoritate. 252
Notatur oſcitantia Baronii in hac quæſtione. 253
Probabilius videtur legem veterem ſaluti Chriſtianorum nocivam fuiſſe, ubicumque facta fuerit ſufficiens Evangelii promulgatio. 254
Cur lex de abſtinentia a ſuffocato lata fuerit ab Apoſtolis, & diutiſſime in nonnullis Eccleſiis retenta. 255
Lex nova utrum ſit lex ſcripta, & juſtificet homines. 258
Non debuit dari a principio Mundi triplici ex cauſa. 259
Duratura eſt uſque ad finem Mundi. ibid.
Si ſpectetur quoad finem non differt a veteri, bene vero quoad modum. ibid.
In veteri continetur implicite. 260
Vetus fuit gravior nova, Præceptorum multitudine. ibid.
Sed nova eſt gravior veteri quoad exercitium interiorum Actuum virtutis. ibid.
Simpliciter tamen eſt levior. ib.
Decuit Actus exteriores Sacramentales inſtitui ad gratiæ ſuſceptionem tum exteriores actus virtutum præcipi, & vitiorum prohiberi. ibid.
Sufficienter lex nova exteriores actus Sacramentales & morales ordinavit, ſicuti & interiores. 260
Convenienter etiam in lege nova determinata quædam conſilia propoſita fuere. ibid.
Lex humana duplex eſt, alia Eccleſiaſtica, alia civilis. 261
Eſt in hominibus æqua & legitima poteſtas condendi leges ſeu civiles, ſeu Eccleſiaſticas, quæ obligent in conſcientia. 262
Solvuntur Calvini objecta. 265
Et quidem tam civilis quam Eccleſiaſtica quandoque adſtringit conſcientiam etiam ſub peccato mortali. 269
Examinandum vero ex materia, & ex circumſtantiis, quando obligant ſub mortali, an ſub veniali. ibid.
Vindicatur tamen doctrina Gerſonii, & quomodo. 270
Quædam cum vitæ periculo obligant, ſed pauciſſimæ & raro. 281
Conſtitutio Carthuſianorum de abſtinentia ab eſu Carnium non obligat ſub gravi in Articulo mortis. 281
Juſti & perfecti omnes quando hanc mortalem vitam agunt ſubjiciuntur legi. 284
Sunt quædam leges quibus non ſubjiciuntur ipſi Legislatores, ſunt quædam aliæ quibus ſubjiciuntur quoad vim directivam, non quoad coactivam. 286
In leges humanas cadit non ſolum interpretatio ſimplex, ſed Epiikia. ibid.
Non ſolum pia, ſed & prudens & neceſſaria eſt tolerantia in lege humana. 287
Quæ poteſt mutari per derogationem, per irritationem. ibid
Concedi poteſt diſpenſatio proprie dicta a legibus humanis. ibid.
Sed tamen a Superioribus qui communitatis curam gerunt. 288
Quibus tamen licitum non eſt diſpenſare ſine cauſa, ſicut nec ſubdito uti diſpenſatione data ſine cauſa. ibid.
Aliter dicendum de diſpenſationibus Pontificiis, & cur. 289
Quodnam diſcrimen inter diſpenſatio-

ſationem & privilegium. 290
Leges humanæ mutari poſſunt per contrariam conſuetudinem. ibid.
Leges civiles popularem acceptationem non exigunt, ſi latæ ſint in regimine aut Monarchico, aut Ariſtocratico. 291
Non licet Sæcularibus Principibus novas ferre leges in iis quæ ad Religionem pertinent, adeoque nec de fidei Quæſtionibus, nec de Sacramentis. 295
Licitum tamen in iis quæ ad legum divinarum & eccleſiaſticarum pertinent executionem. 293
Leges Pontificiæ debent publicari per totum Orbem, nec ſatis eſt publicatio in Curia Romana. 295
Actus interni qui, & cur non cadant ſub lege humana. 302
Eccleſiaſtici juſte & legitime poſſident ditiones ſæculares, & poteſtatem temporalem. 304
Legislator utrum & ſuis legibus ſubjiciatur & quomodo. 285
Libertas quid generatim ſit, & quomodo diſtinguatur. 122
De qua Libertate potiſſimum agendum ſit. ibid.
Libertatem hominis penitus everterunt Stoici, & alii hæretici. 123
Eſt in homine etiam poſt Adæ peccatum libertas Arbitrii ſeu naturæ. 124
Scripturæ & Patrum auctoritatibus probatur aſſertio. ibid.
De natura & eſſentia libertatis humanæ. 131
Quid ſit libertas a coactione, & quid a neceſſitate. ibid.
Janſenius ſolam libertatem a coactione in homine recognoſcit poſt Adæ peccatum. ibid.
In quo conſiſtat Libertas quæ ad meritum deſideratur. 132
Probatur ex Scriptura & ex SS. Patribus. ibid.
Quibus conſentiunt omnes Doctores Scholaſtici. 133
Hæc fuit Doctrina Theologorum Conc. Tridentini cum de libero Arbitrio edita ſunt decreta. 136
Definita a pluribus Conciliis præſertim a Tridentino. 138
Quam libertatem homini eripiebant hæretici. ibid.
In eodem ſenſu damnatæ a Pontificibus Baii & Janſenii propoſitiones. 140
Sine indifferentia activa meritum, & meriti appendices nec eſſe, nec concipi poſſunt. ibid.
Ad libertatem meriti non ſufficit voluntarium perfectum. 141
Si per peccatum Adæ periiſſet in homine vera libertas indifferentiæ, inutiles forent præceptiones & hortationes ad bonum. ibid.
Solvuntur quæ ex Auguſtino obiicit Janſenius: nimirum arbitrium voluntaris poſt peccatum ex libero factum eſſe ſervum. 143
Modo amiſſum liberum arbitrium. ibid.
Modo in ſtatu hominis vel ſub lege, vel ante legem non eſſe homini libertatem ad reſiſtendum concupiſcentiæ, & faciendum bonum. 146
Modo neceſſitatem peccandi inductam eſſe peccato primi Parentis. 149
Modo ſimplicem neceſſitatem non repugnare libertati. 151
Apud Patres coactionis nomen ſumitur pro qualibet neceſſitate. 154
Non conſiſtit Libertas in indifferentia contrarietatis, ſed contradictionis. 157
Noſtra Libertas non differt ab illa Adami, niſi accidentario. 159

M

MAlitia Moralis actuum humanorum, a quo repeti debeat. 167
Satis eſt ut unum ex tribus principiis ſit malum, juxta illud: *malum ex quocumque defectu*. 168
Ad malitiam moralem non requiritur advertentia actualis, nec virtualis, quæ poſita ſit in aliquo ſcrupulo vel dubitatione. 171
Manichæi non coactionem & violentiam ab extrinſeco humanæ voluntati inductam dicebant, ſed ſolum quandam neceſſitatem, & ad unam determinationem. 125. 138
Manichæi idem docuerunt ac Marcionitæ, ſed omnes confutantur. 219
Marcionitæ legem veterem in ſe malam, & a malo principio latam docuerunt. ibid.
Medicus in applicandis remediis debet ſequi opinionem probabiliorem, relicta minus probabili. 51
Suſtinent id plures ex Societatis Jeſu Fratribus. 45
Meritum morale quænam libertas ad illud deſideretur. 140
Sola libertas a coactione non ſufficit. 141
Metus gravis reddit actiones hominis abſolute & ſimpliciter involuntarias. 80
Miniſter Sacramentorum juxta omnes non poteſt in adminiſtratione ſequi probabilem, relicta probabiliori. 45
Moyſes qui Moyſi apparuit cum legem accepit non fuit Deus, ſed Angelus. 233

N

NEceſſitas, alia Moralis, alia Phyſica. 149
Prima libertati non opponitur, bene vero ſecunda. ibid.
Solam moralem neceſſitatem per peccatum inductam Auguſtinus dixit. ibid.
Conſequens ex Auguſtino libertati non repugnat, bene vero antecedens. 151
Nunquam docuit Bernardus ſolam neceſſitatem quæ ſit violentia, vis & coactio repugnare libertati. 153
Novatores ſolam libertatem a neceſſitate ſeu indifferentia homini denegarunt. 125
Sicuti eſſe in Eccleſia poteſtatem condendi leges. 261
Docent juſtos & perfectos legibus divinis proprie non eſſe mancipatos. 283

O

OPinio probabilis quid ſit. 34
Duplex eſt, alia perfecta, alia imperfecta. 75
Poſterior importat determinatum aſſenſum. ibid.
Excludit dubitationem, ſed importat formidinem. ibid.
De hac agitur contra rigidiores Caſuiſtas. ibid.
Origenes docuit, teſte Hieronymo & Auguſtino, Beatitudinem Sanctorum non fore perpetuam. 24

P

S. PAulus vere & ſincere non ſimulate reprehendit S. Petrum. 247
Hieronymi objectiones contra S. Auguſtinum ſolvuntur. 249
Baronii oſcitantia notatur. 253
Peccatum - quo ſenſu omne peccatum debeat eſſe voluntarium. 180
An debeat eſſe tale ſemper directe, an vero indirecte volitum. ibid.
Quid ſit eſſe indirecte volitum. 187
Advertentia actualis non eſt circumſtantia eſſentialis, ſed accidentalis peccati. 184

Ad

Ad peccandum formaliter & Theologice non ſequitur advertentia actualis & expreſſa ad malitiam actionis, immo nec virtualis, quæ conſiſtit in aliquo ſcrupulo vel dubitatione. 170
Abſurda quæ ſequerentur ex oppoſita ſententia. 175
Multi cenſentur peccare, etſi non habeant advertentiam ad malitiam actionis. 177
Sufficit ad peccatum formale, quod ſit advertentia ad actum, & cur. 187
Sufficit quod ſit voluntarium ſi non directe, ſaltem indirecte &c. 181
Sufficit quod agens cognoſcat ſingula in quibus eſt actio. 182
Solvuntur objecta ex D. Thoma, quæ huic ſententiæ non adverſatur. 180
Quid ſit peccatum Philoſophicum, quid Theologicum. 170
Nullum datur peccatum Philoſophicum, quod non ſit Theologicum. 171
An leges humanæ obligent aliquando ſub peccato, & quando. 269
Peccatum - quænam peccata doceat Paulus homines non cognoviſſe ante legem Moyſis. 110
Id ſolum habet rationem peccati, quod voluntarium eſt, vel etiam liberum. 88
Ignorantia juris naturalis etſi peccati ſit, non habet rationem peccati. 90
Quid ſint peccata contra legem naturalem. 91
An definitio Auguſtini de peccato ſit accurata. 119
Quomodo ignorantia, quæ peccatum eſt, ſit in voluntate. 121
An peccatum ex ignorantia ſit duplex. ibid.
An per peccatum Adæ ſublatum fuerit liberum arbitrium, ut conſiſtit in indifferentia activa. 132
Ad peccatum formale, & Theologicum non requiritur advertentia nec actualis, nec expreſſa, nec virtualis. 171
Pelagiani generatim dicebant oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato. 95
Colligitur id ex Synodo Paleſtina, ex Hieronymo, & Auguſtino. 95
Eam ignorantiam appellabant invincibilem, quæ vinci non poſſet ſolis naturæ viribus, & ad quam ſuperandam requirebatur gratia, vel quæ facile non erat vincibilis propter aliquam agendi difficultatem. 99
Præceptum - tenetur homo præcepto naturali & poſitivo referre omnes & ſingulos actus ad Deum. 162
Non quidem intentione actuali, & expreſſa, ſed virtuali. 163
Hoc præceptum eſt affirmativum, quod obligat ſemper, non abſolute loquendo, ſed hypothetice. 164
Pontifex Romanus an poſſit diſpenſare ſine cauſa. 290
Princeps an ipſi competat condere leges Eccleſiaſticas. 292
Probabilis, quando ſequenda eſt opinio mere probabilis. 70
Contrarium ſenſere nonnulli rigidiores, & qui. 69
Hæc propoſitio - non licet ſequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabiliſſimam damnata fuit ab Alexandro VIII. 72
Non tenetur homo ſequi ſemper opinionem tutiorem. 73
Sententia adverſariorum ſecum adfert onus nimis grave. ibid.
Opinio vere probabilis nullam plerumque includit dubitationem de malitia operis, ſed ſolum aliquam formidinem. 74
Probabilis opinio quid ſit. 34
Probabile quid ſecundum nominis æthimon. ibid.
Sumitur pro eo quod veroſimile eſt, etſi

etſi non cognoſcatur ut verum. ibid.
Aliud probabile intrinſece, aliud extrinſece. ibid.
Probabilitas eſt reſpectiva ad opinantem. 35
Probabilis opinio vel eſt ſubjective talis, vel objective. ibid.
Aliud eſt opinionem aliquam eſſe tutiorem altera, aliud eſſe probabiliorem. ibid.
Quæſtio agitatur inter Theologos, an licitum ſit ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori. ibid.
Non poteſt tuta conſcientia ſequi minus tutam opinionem, ſi altera tutior ſit probabilior. 36
Probabiliſtica opinio ad finem Sæculi xvj. incæpit. 37
Non eſt dicenda peculiaris Jeſuitarum, vel Caſuiſtarum. ibid.
Non licet tuta conſcientia in praxi de rebus ad fidem & mores ex præcepto ſpectantibus ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori. 38
Oſtenditur Scripturis & SS. Patribus. 38
In Probabilismum vix emergentem inſurrexere omnes Theologi melioris notæ. 45
Quid ſentiant etiam Probabiliſtæ recentiores. ibid.
Quas Propoſitiones & quot damnavit Alexander VII. 46
Quas ex Probabilismi fonte deductas damnavit Innocentius XI. ibid.
Gallicani Præſules quem Librum damnarunt. ibid.
Probabilismi doctrina facit hominem agere imprudenter, & quomodo. 47
Opinionem falſam ſequitur qui relicta probabiliori minus probabilem amplectitur. 48
Quænam certitudo requiratur, ut honeſte agat. ibid.
Probabilismi doctrina inutile redditur ſtudium Theologiæ moralis. ibid.
Quinam errores ex hac ſequentur. 49
Innumeræ ſententiæ referri poſſunt quibus tota Moralis Chriſtiana perturbatur. 51
Cum nimirum quisque poſſit, quam velit tuto amplecti Religionem. 53
Jugum Chriſti ſuave dici non favet hæc doctrinæ. 55
Nec Auguſtinus, nec S. Leo, nec S. Antoninus Probabilismi Patroni. 58
Pontifices in Praxi diſpenſationum non docent hanc doctrinam. 60
Non ſequitur ex rejectione Probabilismi hominem ſequi debere tutiorem, relicta minus tuta. 65
Quando locum habeat illud Axioma in dubiis ſeligendum tutius. 37
An Subditus poſſit licite ſequi minus probabilem opinionem cum Superiori obtemperat. 66
Quomodo Confeſſarius gerere ſe debeat cum Pœnitente opinionem probabilem tenente, quam ipſe judicat minus probabilem. 68
Quid agendum ſit cum proponuntur duæ opiniones contrariæ æque probabiles. 68
Falſum & periculoſum eſt ſyſtema eorum, qui contendunt aliquam opinionem libertati faventem contra præceptum eſſe probabilem ob unius Doctoris tantum auctoritatem. 69
Probabilismus non eſt peculiaris ſolum Jeſuitis vel Caſuiſtis. 37
Quonam tempore cæperit. 45
In ipſum inſurrexere Theologi omnes melioris notæ. ibid.
Quænam abſurda ex ipſo conſequantur in regulis morum. 47
Promulgatio eſt eſſentialis cuilibet legi poſitivæ ut vim obligandi obtineat. 192
Pro-

Pro legibus humanis non ſufficit promulgatio quæ fiat in urbe Roma. 295
Proportio habitudinis quænam requiratur inter facultatem & objectum. 8
Quænam detur inter facultates hominis & Deum. 10
Prudentia, quomodo diſtinguatur a conſcientia. 33
An habeatur in ſequente opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris. 47
Quid ipſa ſit. ibid.
An revera detur in eo qui ſequitur opinionem probabilem quam aperte videt oppoſitam probabiliori, etſi perfecta certitudine non cognoſcat illam eſſe veram. 73

R

Reſurrectio corporum, certum eſt & indubitatum Fidei Catholicæ dogma. 19
Oſtenditur ex Scripturis, Patribus, & ratione. ibid.
Facienda eſt in eadem carne, in qua vivimus. 29
In eodem quoque ſexu. 30
& probabilius in ætate virili, & matura juxta S. Auguſtin. ibid.
Omnium ſimul eſt facienda, nec contrarium docuit Apoſtolus. 31
Homines qui vivi reperientur in die Judicii prius ſunt morituri, poſtea reſurrecturi. 31
Hæc eſt Auguſtini ſententia, qui contrariam retractavit in Epiſtola ad Mercatorem. ibid.
Rex non poteſt etiam ſecundum Probabilioriſtas bellum indicere, ſi pro utraque parte ſint opiniones probabiles, & longe minus ſi contradicat opinio probabilior. 45

S

Saducæi negarunt Corporum reſurrectionem. 19
Stoici Libertatem hominis per divinam præſcientiam everti putarunt. 125
Non tamen ut induceretur coactio, ſed ſolum agendi neceſſitas. 138
Subditus, an licite poſſit & debeat ſequi opinionem minus probabilem, cum Superiori obtemperat. 66
Subtilitas Corpori beato conveniet, & in quonam conſiſtet. 28
Synderefis eſt cognitio primorum bene vivendi principiorum. 32
Duplex eſt, alia habitualis, alia actualis, & quid utraque ſit. ibid.
Quomodo differat a lege naturali. 200

T

Tutus - poteſt quis tuta conſcientia ſequi opinionem tutam, ſi altera tutiori ſit, probabilior. 37
Quando locum habeat illud axioma in dubiis, *ſeligendum eſſe tutius*. ibid.
Ex rejectione Probabilismi, non ſequitur ſemper nos debere ſequi tutiorem. 65. 73

V

Violentus, in quo differat ab involuntario. 79
Vis non poteſt inferri actibus voluntatis propriis & interioribus ab ea elicitis. 80

MAC 2017726

Digitized by Google

5-2

Digitized by Google